THESAURUS
LIBRORUM
PHILOLOGICORUM
ET
HISTORICORUM

In quo habentur

I. *Bonav. Corn. Bertrami Lucubrationes Franktallenses, editæ à Theodorico Hackspanio, cum censuris eruditorum.*
II. *Theod. Hackspanii Interpres errabundus.*
III. *Laur. Fabricii Partitiones Codicis Hebræi.*
IV. *Joh. Erici Ostermanni Disputatio de Consultationibus Veterum.*

THOMAS CRENIUS

conlegit, recensuit, & notas, indices, ac Præfationem, in qua de ab interitu retrahendi eruditorum scripta studio differitur, adjecit.






LUGDUNI BATAVORUM,
Apud CONRADUM WISHOFF,
MDCCXXXI.

CANDIDO LECTORI



S. D.

THOMAS CRENIUS.



ON infreqventes ſolemus ad ſepulturam defunctorum Clariſſimorum hominum, celebrandáſqve virorum publico de egregio præ ceteris meritorum convenire exſeqvias: at qvi de mortui alicujus doctrina propaganda fide ac eruditione, libris ab interitu retrahendis, Mſcris evulgandis, nomine, fama ac memoria renovanda cogitet ſeriò, qvotus qvæſo qviſqve eſt? Scilicet omnes ſepeliunt, pauci excitant. Qvod minimè novum eſſe ſeqvens docet x. ſexti libri C. Plinii epiſtola, in qva conqveritur, Verginio Rufo, viro nunqvàm ſatis laudato, poſt decimum mortis annum nondum abſolutum ſepulcrum. *Qvocumqve me contuliſſem*, inqvit, *illum animus, illum oculi reqvirebant. Libuit etiam monimentum ejus videre, & vidiſſe pœnituit. Eſt enim adhuc imperfectum, nec difficultas operis in cauſſa, modici, ac potiùs exigui; ſed inertia ejus, cui cura mandata eſt. Subit*



indignatio cum miseratione, post decimum mortis annum reliqvias, neglectúmqve cinerem, sine titulo, sine nomine jacere, cujus memoria orbem terrarum gloriâ pervagetur. At ille mandaverat caverátqve, ut divinum illud & immortale factum versibus inscriberetur,

HIC SITUS EST RUFUS, PULSO
QVI VINDICE QVONDAM,
IMPERIUM ADSERUIT NON SIBI,
SED PATRIÆ.

Tam rara in amicitiis fides, tam parata oblivio mortuorum, ut ipsi nobis debeamus etiam conditoria exstruere, omniáqve heredum officia præsumere. Nam cui non est verendum, qvod videmus accidisse Verginio? cujus injuriam ut indigniorem, sic etiam notiorem ipsius claritas facit. Nimirum suam qvilibet, nemo alterius qværit gloriam. Scio qvidem non paucos dari, qvi qvasi esurientes lupi, ut cum Plauto dicam, Bibliothecas & Mscra eruditorum inhient, aliqvando etiam non sine famæ detrimento: at non id eâ fini, ut Antecessorum verorúmqve Auctorum gloriæ publicæqve rei consulant, verùm propriæ ac tantùm privatæ, fieri, qvò ii magni habeantur & eruditi, exempla satis abundè me docuerunt. Vidi jam olim in Bibliotheca qvadam

dam non adeò inluſtri aliqvot Scaligeri libros, qvorum in marginibus qvædam emendaverat loca illuſtris ille vir, hos Codices nactus alius, emendavit poſteà illa loca, emendationéſqve pro ſuis audacter venditavit, nec ego, nec qviſqvam alius, aliud ſuſpicatus fuiſſem, niſi iſtos in Codices qvondam intuito veniſſet illarum emendationum in mentem. *Cautiores,* inqvit Dn. Dan. Georg. Morhofius, lib. I. Polyhiſtoris, c. IX. p. m. 83. *illi plagiarii ſunt, qvi poſtumis virorum doctorum ſcriptis inſidias ſtruunt. Sæpe enim contingit, ut prematurâ illorum morte vel non edi vel non abſolvi posſint eorum opera: Ad qvorum pabula fuci alieni qvi accedunt, non ſibi facta mella deprædantur. Vix credi poteſt, qvàm freqvens illa fallendi ratio ſit. Vidi non ita pridem ipſe editum alienô nomine librum, qvem Vir doctisſimus privatis ſcholis olim propoſuerat.* Auguſtino de Barboſa, Pinacothecâ II. n. XVIII. p. m. 61. ſ. edit. Colonienſ. (Amſtelod.) CIↃ IↃC XLV. in 8t. hæc tradit Janus Nicius Erythræus: *Hinc illa ſunt orta volumina, qvibus editis immortalem ſui nominis memoriam reddidit. Ac primum, prodiit in lucem, opus illud egregium, de officio Epiſcopi, duobus voluminibus comprehenſum: qvod tantum habuit commendationis, ut multorum beneficentiam, ad illius inopiam ſuble van-*

dam, illexerit. Alterum opus, qvod non minorem illi famam ac benevolentiam hominum peperit, fuit illud insigne, de jure ecclesiastico universo volumen, qvod opus, magnô alienô labore partum, in se illum transtulisse, ajunt, hôc modô; die qvôdam ejus famulus, salsa qvædam muriatica in prandium coëmerat, qvæ, ne manus digitósqve inficerent, tetrôqve odore imbuerent, cetarius chartis qvibusdam, ut moris est, amiciebat: qvem posteà amictum famulus, domum reversus, cùm, præsente dominô ac vidente, muriatica illa exuisset, qvò in aqvam injecta macerarentur, & in terram abjecisset, dominus, curiosus inspiciendi, qvid chartis illis contineretur, eas sustulit, ac lustrare oculis cœpit; viditqve, elegantissimi doctissimiqve cujusdam operis initium esse; statímqve suspicatus est, id, qvod erat, auctore, anteqvàm potuisset illud impressum typis emittere, è vivis ereptô, heredes, ignaros, qvantum in eo boni inesset, tanqvàm ineptas, nescio qvas, chartas, & inutiles, cetario vendidisse; & statim magnam in spem venit, auctore è medio sublatô, si librum illum qvoqvo modô nactus esset, pro suo edendo, maximam sibi ex eo gloriam posse contingere: ac percontari diligenter è famulo cœpit, in qvonam macello, & à qvo cetario, muriatica illa coëmisset: qvi aperuit illi omnia, & simul signa & notas

notas ostendit, qvibus ad cetarii illius tabernam, sine ullo errore, perveniret: abiit ille curriculô, qvô mittebatur; librum invenit, cui paucæ qvædam chartæ fuerunt detractæ; ac vili eum preciô redemit; tum, subrogatis iis, qvæ deerant, ac pluribus etiam aliis adjectis, imprimendum, pro suo, curavit. Qvod debet esse exemplo omnibus, qvi scribunt, ut dent operam, qvantum potest, qvò vivis ipsis, sua scripta lucem aspiciant. Hæc ab homine, Barbosæ amicissimo, ejúsqve arcanorum omnium conscio, accepimus. Edidit deinceps alia plura, de officio Parochi, de Canonici dignitate, Collectanea super Jus canonicum; qvæ in volumina qvinqve distribuit; Collectanea Concilii Tridentini, aliorúmqve Conciliorum; disputationes varias; praxin exigendæ pensionis, Collectaneorum ex Codice Justinianeo tria volumina; deniqve Vota decisiva. Sed, cùm postrema ejus opera, superioribus, nec doctrinâ, nec methodô, nec sermonis elegantiâ, responderent; suspicionibus locum aperuisse videtur, illa vel à parente, vel ab altero, gentili suo, emanâsse, hæc deteriora ab ejus ingenio esse profecta. Deniqve, insignem Canonicatum adeptus, reversionem fecit in patriam. Hæc Nicius; cui etsi Prosper Mandosius Nobilis Romanus, Ordinis S. Stephani eqves in p. 21. Theatri, qvo in maximorum Christia-

ni Orbis Pontificum Archiatros ſpectandos exhibet, Romæ annô M. DC. XCVI. in 4to. editi, *in Pinacotheca* dicta *parum eſſe credendum* contendit, *cùm is facilè in omnes invehatur, omniumqve ferè famam poſt nonnullas laudes vehementer lædere ſtudeat:* qvod ſuo loco relinqvimus; illi ipſi tamen hac in hiſtoria cur fidem derogare velimus non adparet: cùm novum non ſit qvod narrat, nec incredibile. *Solent à viris doctis*, inqvit Cl. Morhof. 1. Polyhiſtor. Litterar. c. VII. p. m. 61. *ſcribi libri, qvibus illi per totum vitæ ſuæ ſpatium inſudârunt, qvi, cùm Editores nanciſci non potuerint, ſæpe aliis fœtus ſuos relinqvunt, qvi ſuam alieno fundo famam inædificant, modò non cum muribus & blattis illis certandum, aut ad ſalſamentarios & myropolas relegentur. MSta recentiora vocari poſſunt. Dici non poteſt, qvanta bonis literis calamitas ex eo naſcatur, ac ſunt profectò infelices vocandi illi viri docti, qvi non ſibi ſerunt, ſed aliis, ac nullos è ſuis laboribus fructus capiunt. Eorum aliqvi jam abſoluti ſunt, aliqvi imperfecti. Hi plerumqve, vel aliis in prædam cedunt, vel ut inutiles chartæ abjiciuntur. Illi nonnunqvàm hâc fortunâ fruuntur, ut Bibliothecis opulentiorum recepti, qvaſi in tumulo recondantur, aut alterô demum ſeculô in lucem mittantur. Qvi jam anteà famam ſcriptis editis*

occupârunt, in postumis quoque illam retinent, ut aliquando Typographum ad editionem provocent, si in peritos heredes inciderint. Quamquàm &, quæ præsidio fama est, interdum impedimento est: allicit enim prædones & plagiarios, vel saltem cupiditatem insani possessoris auget, ut suum sibi thesaurum sanctiùs servet. Habent & illi in MStis locum, & à rei Bibliothecariæ peritis magnô conquiri studiô debent. Ac publicè sanè interesset, si ipse Magistratus τῶν ἀνεκδότων *curam in viris doctis susciperet, ut orbæ prolis. Ita non interciderent & ab oblivione vindicarentur præstantissimarum rerum thesauri, & plagiarii ab illis arcerentur. Legi de illis Vitarum & Elogiorum scriptores debent, qui plerumque cum editis inedita quoque notare solent. Excerpenda illa sunt & seorsim notanda: Fieri enim interdum potest, ut in heredes eorum primos, secundos, tertios, vel casu aliquô, vel diligenti inquisitione incidamus, unde acquirere nobis illa possimus. Integram deperditorum librorum historiam promisit Ferretus, ut supra à nobis dictum est: sed vereor, ne & ipsa olim inter deperditos libros recenseatur. Vide quæ de postumis libris habet Bailletus in libro* de Judic. doctor. tom. I. part. II. c. IX. p. 390. & seqq. *Bibliothecam penè integram sola Welschii scripta inedita & affecta conficerent. Libri Scioppiani* ἀνέκδοτοι *multi, atque inter illos ejus* Thesaurus, sive absolu-

tiſſimi de Lingva Latina Commentarii *apud Joh. Michaëlem Pieruccium, Profeſſorem Patavinum, latitant, neqve hunc in diem lucem, cum indignatione eruditorum, vident; de qvibus legendus eſt Gregor. Leti,* Ital. regnante part. III. lib. III. p. 325. *Magna hujus libri exſpectatio apud literatos eſt, & qvi viderunt, ita commendant, ut in illo genere nil ſimile à qvoqvam ſcriptum illis eſſe videatur. Apud Carolum Dati, teſte Boccone in ſuis Obſervationibus naturalibus, latitat* Michaëlis Mercati Theatrum Metallicum. *Hoc ille velut theſaurum aliqvem cuſtodit, & orbi literato invideri Bocco indignatur. Qvi imperfecti ſunt libri, neqve extremam limam ſenſerunt, & vel ruditer tantùm deſignati, cum orbe tamen erudito communicandi eſſent, etiam contra autorum morientium vota, qvi ſibi ipſis interdum iniqviores ſunt qvàm alii judices. Apellis tabulæ etiam imperfectæ in pretio fuère: Ita virorum ingenioſorum opera imperfecta ſuis autoribus dedecori non ſunt. Ac ſint in illis nævi, facilè hos excuſat non adhibita operi ἀκρίβεια, tegunt illa & qvodammodò pulchriora faciunt opera perfectiora. Videmus enim ac obſervamus in illis tacitos mentis humanæ in judicando progreſſus. Ego cum voluptate ſæpe legere ſoleo maximorum virorum Hugonis Grotii & Danielis Heinſii puerilia carmi-*

na,

na, qvæ initiô hujus seculi edita, posteà operibus ipsis non sunt inserta. Qvæ etsi à virilibus illis multum discrepant, delectat tamen florum illa luxeries, qvos tam præclari fructus posteà secuti sunt. Sanè lucubrationes summorum virorum qvandoqve aut inscitiâ heredum aut negligentiä, salsamentariorum in tabernas devenire inauditum planè non est. De incuria heredum sive Curatorum hereditatis Magni cujusdam in Germania Theologi, J. G. D. hoc possum adfirmare, qvòd, cùm à Tutoribus, semper caussantibus, תהו ובהו esse, ad Bibliothecam summi illius viri admitti magnâ ambitione ægrè obtinuissem: verè tohu vabohu repererim; Repositoria enim librorum non solùm magna ex parte erant vacua, optimísqve libris spoliata: sed & eruditissimorum & maximorum è Germania Theologorum epistolæ Mscræ, Consilia & Responsa magnum illum ad Theologum data, cum ipsius illius schedis jacebant in terra & pedibus conculcabantur. Qvô animi mœrore hanc miseram & despoliatam tanti viri Bibliothecam adspexerim, qvótqve cum lacrymis abiêrim, novit is, qvi omnia. Ingredienti statim obferebat se in pavimento jacens egregia qvædam scheda Mscra illius Theologi, *de rectè instituendis Visitationibus Ecclesiasticis*, illam adspiciebam, sed copia Chartarum alio-

rúmqve

rúmqve adfectatorum tractatuum impediebat eàm eâ curâ perlegere, qvæ omnino reqvirebatur. Ego, qvi aliqvid furtô subducere religioni mihi semper duxi, illas Bibliothecæ reliqvias per me integras esse volui. Qvid illis posteà factum sit, nescio. Ego ævi ludibrium comperi, qvâmqve ceteris mortalium operibus necessitatem pereundi severa fatorum lex imposuit, eamdem egregiis qvoqve doctorum virorum monumentis invictâ qvâdam potentiâ ipsam illam constituere. Varii etenim casus librorum in perniciem conspirârunt ab omni memoria, nec ulla sævientis fortunæ rabies conficere destitit ingeniorum hosce partus. Plurimos ex oculis nostris vetustas, qvæ omnia consumit, subduxit. Multum in alios flammis licuit. *Qvadringenta millia librorum Alexandriæ arserunt*, inqvit in IX. c. de Tranqvillitate Animi Seneca, *pulcherrimum regiæ opulentiæ monumentum.* Livius apud eumdem ibidem *elegantiæ regum curæqve egregium id opus* ait fuisse. Imò alii ampliùs. Gellius enim in ultimo sexti libri, *à Ptolemæis regibus ad millia fermè voluminum septingenta* conlecta tradit, addens, *ea omnia bellô priore Alexandrinô, dum diripitur ea civitas, non sponte, neqve operâ consultâ, sed à militibus fortè auxiliariis incensa esse.* Innumerabiles Bellonæ furor militum direptionibus objecit. Deniqve

non

non pauci, invidiâ ſic jubente, blattis ac tineis larga præbuêre pabula. Hæc tam violentæ ſortis iniqvitas tantum apud me eo vel à tempore potuit, ut doctorum qvorumdam hominum doctiſſimam opinionem veram eſſe animum induxerim, multum & operæ & laboris inſumendum, qvò illa, qvæ improbô qvôdam vetuſtatis luſu communem theatri hujus lucem adſpicere neqviverint, vel viſa ſe ſubduxerint, honeſtô partim deſideriô, partim diligenti ſtudiô conſeqvamur. Non exponam Alphonſi Regis pietatem erga Ciceronis villam, cùm Cajetam oppugnaret; neqve Alexandri Magni in ædes Pindari, cùm Thebas; qvibus hoc inſcribi pſephiſma juſſit: *Pindari Poëtæ tectum nè comburite.* Minuta ſunt hæc ad ea, qvæ poſſunt adferri, ſiqvidem non nunc de Pindari ædibus, aut villa Ciceronis agitur, ſed de ſummorum virorum ſcriptis & laboribus in emolumentum Eccleſiæ, Reipubl. civilis ac litterariæ totiúſqve eruditionis exantlatis. Hoc mihi ſtudium, ut ſemper plurimùm placuit, ita nunc qvidem eò me provexit, hanc ut in ſententiam devenerim, poſſe nimirum & noſtrâ & aliorum induſtriâ fieri, ut ea omnia, qvæ variis in locis otioſa premeret cuſtodia, publico tandem adſveſcere diſcerent, cùm multum interſit humani generis, ne pereant illa, qvæ viri eruditione & ſapientiâ præ-

ſtantes

ſtantes monumentis prodiderunt. *Velim*, ſcribit doctiſſ. Jo. Frid. Gronovius in litteris ad Mich. Virdungum, Georg. Richteri Selectiorib. Epiſtolis inſertis, Mantiſſ. v. p. m. 761. edit. Norimberg. M DC LXII. in 4to, *publici boni cauſſâ acclerare Te tantô monumentô litteratum orbem juvare, ne, qvod tamen abominor, ſi qvid humanitus tecum fiat, nos iſtô theſaurô defraudaremur. Scis enim qvid multis aliis acciderit, tum præcipuè olim Collegæ tuo Piccarto: In cujus hæreditatem, qvibus eſt adminiſtratio permiſſa, nihil penſi ducunt, juvari Rempubl. ſi id fiat operâ & ex fama hominis.* Potuiſſet & addere Scipionis exemplum Gentilis, cujus ſchedas aliqvot in ciſtis non ita pridem Amſtelodami qvempiam inveniſſe abſconditas & bonam partem deperditas, mihi relatum repeto. Huc faciet fortè Gabr. Naudæi Barberinus; ſeu triplex de librorum interitu Dialogus, qvem ipſe Naudæus in c. VI. Bibliographiæ Militaris, §. 2. p. m. 482. edit noſtræ Lugdun. Batav. cIↄ Iↄc Ic laudat, nos verò adhuc non vidimus. Haut raro cogitationem in eam incidi, magnum Eccleſiam poſſeſſuram eſſe theſaurum, ſi Proteſtantium in Academiis omnibus ea primo à Reformationis tempore evulgatas omnes haberet Intimationes, Orationes, Conciones, ſive Sermones, Meditationes, Lectiones, Conſul-

ta-

tationes & Epiſtolas conlectas. Neqve neſcio ejus rei Dominis qvibuſdam Profeſſoribus veniſſe in mentem: ſed & hoc ex adverſo ſcio, multos in labore remiſſos nimis id propoſitum ſufflaminâſſe, ne pigritia ſic eorum pernoteſceret. Viderunt utilitatem prudentiſſimus Germaniæ totius Præceptor, Philippus, hujúſqve gener Peucerus, Siberus, Wanckelius, Taubmannus, Buchnerus; qvorum Intimationum & Orationum Tomi exſtant; qvamvìs poſteriorum induſtria ad priorum diligentiam non accedat, cùm Theologorum Programmata, ſi à Taubmanni Otio Semeſtri publico bis edito, primùm Giſſæ, iterum Wittebergæ annô MDC X. in 8t. diſcedis, ibi non compareant. Ediderunt & Jenenſes nonnullos Tomos talium, Wittebergenſes Theologi tres, Marpurgenſes qvinqve, Giſſenſes octo Diſputationum Theologicarum partes, ſed defecerunt poſteà, nec continuârunt. *Utinam verò tandem aliqvando*, inqvit b. r. Lipſienſes qvondam apud Theologus Primarius Dn. D. Joh. Adam. Scherzerus Egranus, ſub initium dedicationis Programmatibus ab ipſo editis Lipſiæ M DC LXXIX. in 8t. præmiſſæ, *publicâ vel lege, vel conſvetudine ſingularum Academiarum PROGRAMMATA, ORATIONES, omniúmqve Facultatum DISPUTATIONES, qvôlibet*

ſaltim

ſaltim Luſtrô diverſis in publicum prodirent Faſciculis! Ita ex eo ſtatim, quô PUBLICI DOCTORIS Manus clementiſſimè mihi injunctum fuit, tempore, in cogitatis, imò optatis, nec præcipitato, ut opinor, nec temerario, vanóqve prorſus voto habui. Niſi enim hoc fieri contingat, ejuſmodi PROGRAMMATA (de DISSERTATIONIBUS enim PUBLICIS commodior ſeſe propedièm dicendi occaſio offeret) unà cum ORATIONIBUS oblivioni protinus tradenda, qvamprimùm vel Valvas, qvibus affiguntur, vel Cathedras cum Oratore reliqverunt, præſentium memoriæ, ceterorum notitiæ, non levi adverſus poſteritatem injuriâ, ſeſe ſubducent inſtárqve EPHEMERI apud Ariſtol. lib. V. c. XV. Hiſt. Animal. ipſo ortûs ſui die intermorientur. Cùm Egregii tamen publici interſit, iſthæc, ut Gubernationis ac Prudentiæ, ita non minùs Doctrinæ, Exercitationis atqve induſtriæ Academicæ qvaſi SPECULA, in qvæ, præſentibus olim ſucceſſuri Doctores pariter ac Diſcentes intueri qveant, ſtudioſè conſervari. Taceo, ex iſtis, ſi non Faſtis, aut Ephemeridibus, ſaltim Annalibus veluti qvibuſdam Academiarum faciem, ſtatum, cultum, incrementa, promotiones, ac ritus cognoſci, Reiqve adeò literariæ Hiſtoriam aliqvam formari poſſe.
Celeberrimus Dn. Bartholinus ævi noſtri decus, ſuppeditat qvidem nobis Indices Actorum Aca-
demiæ

demiæ Hafnienſis, ſed minimè Tractatus ipſos, qvos deſideramus, ipſi verò edere in proclivi fuiſſet, citra impenſam, qvam ego eas in res magnam facere coactus ſum, eâ tantùm fine, publico ut prodeſſem & cumprimis Eccleſiis, à qvibus ſicuti nullum emolumentum popoſci unqvam: ita nec accepi, putavíqve bene mecum agi, ſi modò Typographos nanciſci poſſem meum qvi exſeqverentur propoſitum. Laboravi perdius & pernox ut acqvirerem aliqvid honeſtè, neminíqve eſſem moleſtus, & nulli præriperem ſuum commodum aut aliqvod officium, qvod me nunqvàm ambiîſſe, ii, qvi me nôrunt, ſcient; partorum maximam partem libris, meô judiciô utilibus, impendi, hos in eorum gratiam edo, qvi illos aut ignorant aut non habent, ſine ullo lucro, ſine detrimento ullius famæ, ſolô ductus amore domus Domini! Indignor Litanias, ſive Lectiones, ſive conciones publicas à Seelandiæ Epiſcopis vel Concionatoribus aulicis in ſollemnibus publicarum deprecationum & ſupplicationum diebus indictis totum per Daniæ regnum de ſancta voluntate Sereniſſimorum Regum, ad uſum reliqvorum Miniſtrorum verbi & uniformitatis, ut Tertulliani verbô, c. XVII. de Anima utar, gratiâ concinnatas, non congregari junctímqve edi, cùm palam ſit, qvantum Broch-

mandus, Winſtrupius, Reſenius, Svaningius, & Wandalinus potuerint à ſtudio Exegetico. Legi ante decennium epiſtolam qvamdam Mſcram mecum ab erudito qvopiam viro communicatam, litteras qvæ D. S. habebat ſubſcriptas, hoc ſuper negotium Epiſcopum ad Hafnienſem olim Joh. Baggerum datam; incaſſum ut eventus docuit; qvamqvàm qvid Epiſcopus reſponderit, & an omnino reſponderit, ut incompertum, dicere non habeam. Epiſtolam ipſam, deſcriptam à me & hactenus in ſcriniis meis adſervatam placet hanc per occaſionem publicare, qvod auctori, qvicumqve ille fuerit, non ingratum futurum arbitror, cùm nihil indignum luce contineat.

REVERENDISSIME IN CHRISTO PATER, AMPLISSIME DN. EPISCOPE.

Laudârunt & ad imitandum ſibi propoſuerunt integra regna, Principatus & Ducatus devotiſſimum Eccleſiarum inclyti regni veſtri morem, qvô ſancti jam ævum cum Chriſto agentes glorioſiſſimæ memoriæ Reges veſtri certos pro re nata dies vel publicarum deprecationum, vel gratiarum actionum ſanxerunt celebrandos.

dos. Sategerunt eis occasionibus talibus olim tales digni Regibus Episcopi suarum partium, convenientésqve rei & loco non tantùm delegerunt, sed & explicârunt Textus. Venit circa prius in mentem, me in juventute mea legisse, Licent. Theologiæ, Andream Frommium, priùs Syncretistam Reformatum, postmodùm apertum Apostatam Pontificium, & Canonicum Leutmeritzensem, tùm, cùm se Wittenbergæ nostrum, id est, Lutheranum simularet, Bartholomæo Stoschio Concionatori aulico Elect. Brandenb. primario & Consistoriano Reformato publicis in scriptis & omnem extra falsitatem objecisse, qvòd illum scil. Stoschium tam hospitem in Sacris offenderit, ut ne qvidem ad mandatum Sereniss. Electoris, Textus ad dies deprecationum indicendos congruentes propriô marte deligere potuerit, sed suam, id est, Frommii, operam implorare coactus fuerit. Hoc qvantum hujus Reformati


hominis, jam antè nullô eruditionis vel prudentiæ locô habiti, existimationi derogaverit Frommii, ceu ejus olim intimi, testimonium; prolixè hîc allegare nolo. Hoc tamen adsero, tantum apud me ipsorum in Belgio & Anglia Reformatorum de inscitia Stoschiana potuisse judicia, ut maturè ea, qvæ ad istiusmodi negotia Ecclesiastica pertinent & faciunt, colligere animum induxerim, fati sortisqve futuræ nescium. Comparavi itaqve, cùm Apodemicum agerem & ante qvatuordecennium post omnes Germaniæ & Belgii visitatas Academias, Havniæ qvoqve apud vos, Holmiâ veniens, sacris Theologicis operarer, non contemnendum Seelandiæ Episcoporum citra controversiam omnium doctissimi (non deprecor verbi invidiam apud Te, qvi hominem nôsti) mihíqve amicissimi Dn. Wandalini curâ, Litaniarum Catalogum, qvem redux factus non solùm Anglis qvibusdam, verùm & Germanis Theologis ostendi,

qvid-

quidque illis de hoc videretur, exploravi. Optârunt unô ore singuli, ut omnes primo à B. Lutheri reformationis tempore vos apud conscriptæ Litaniæ collectæ uno opere junctæ promercales exstarent, Téque, Reverendissime Dn. omnium optimè Tuô locô apud Typographum qvempiam, fortè Danielem Paulli, hominem pium & industrium, id auctoritate Tuâ curare posse non vanè sperârunt. Nam omnes & singulæ se ordine excipientes, si non Te penes, tamen in Archivis adservantur, nec labor tanti erit, si semel ordine dispositæ fuerint. Typographo commendatio & magna tua auctoritas facilè persvadebit impensas non sine insigni lucro repetendas; præprimis si B. Klotzii Trigam Hamburgi olim excusam, eâdemqve, qvâ reliqvæ Litaniæ, occasione, literis tamen tantùm nominis initialibus S. K. D. editam, B. Wandalini, &, qvod caput est, Tuas doctissimas & elabora-



tissimas addideris. Scribere tibi neqveo, qvantô earum desideriô eruditi, illarum conscii, teneantur, nec in insigni utilitate ex eis in non adeò instructâ bibliothecâ utentes ruranos Pastores aliósqve sese diffundente, explicanda apud Te, tam prudentem Theologum ero prolixus, qvid enim noctuas Athenas? Deterruerunt me, fateor, initiò multæ & magnæ occupationes Tuæ, qvas coràm olim apud b. r. Wandalinum deprehendi, in cujus Tu, Vir Reverendissime, non solùm dignitatis & excellentiæ, sed oneris qvoqve ac defatigationis in Orthodoxiæ salute conservanda locum successisti, qvô minùs, non infimorum Theologorum jussui obtemperans, has statim, procul habitâ omni morâ, ad Te dederim, verùm cùm nonnulli pientissimum tuum egregio publico inserviendi animum mihi & voce & calamô commendaverint, solô ductus amore domus Domini, tuâqve facilitate & promptitudine



fretus, hanc Tibi de Ecclesia bene merendi ansam hisce offerre volui, rogans, ut mihi, licèt non de facie, fortè tamen aliunde, & è scriptis noto, in petendo audaci ignoscere, conceptæqve nostræ de ardore tuo promovendi publicum spei, ullum citra damnum tuum respondere non dedigneris. Qvi magnam virtutis cujuspiam exspectationem sustinent, hoc fere semper habent incommodi, ut vix unqvàm tantum illius virtutis ex se dare possint, ut non multô plus homines de ipsis speraverint. At Tu in re Ecclesiæ tuæ gerenda, adeò fuisti felix, ut non solùm, qvam de Te commoveras, exspectationi par fueris, verùm etiam eâdem aliqvantô superior exstiteris. Fave, Præsul optime, populari calamo, & Vale. Londini Angl. a. d. . . . Junii. . . M. DC. LXXXV. Reverendissimæ T. Dignitat. Servus, D. S. Theologus.

Nos ut amissorum caritatem desideriô extendamus; non imitantes plerosqve, qvi tantùm viven-

tes, qvò promoveantur ab eis ad officia, diligunt, seu potiùs diligere se simulant, ac ne simulant qvidem, nisi qvos florentes vident, sed verbis laudati Plinii, librô & Epistolâ IX. exstantibus admoniti, nihil æqvè turpe esse, qvam tantùm viventes amare, miserorum verò, non secus, ac defunctorum post exseqvias & funus oblivisci, prorogare jam olim studuimus memorias Clarissimorum virorum in illorum scriptis repetendis iterum atqve tertiò, vel publicandis ex illorum Manuscriptis primùm. Qvamobrem, cùm & adhuc curæ mihi sit fides & officium publico cum commodo, in præsentia exhibemus Theodorici Hackspanii S. Theol. & Lingvar. Oriental. Professoris olim Altdorffini celeberrimi Interpretem Errabundum (laudatum B. Joh. Conr. Dannhawero in Hermeneutica sacra, Sect. I. Artic. VI. §. I. extr. p. m. 120. edit. Argentor. M. DC LIV. in 8t.) subjunctum Lucubrationibus Franktallensibus (à loco, qvô Genevâ relictâ tum agebat, sic adpellatis) Bonaventuræ Cornelii Bertrami, qvas & Criticis sacris inseruerunt Amstelodamenses Bibliopolæ, & qvidem Tomo IX. Biblior. Criticor. col. 49. s. Qvia verò in Præfatione de Codice qvodam Syro meminit Hackspanius, recordor Cl. Joh. Henr. Höttingerum, lib. I. Bibliothecæ Theologicæ, c. IV. §. IV. p. m. 160.

160. edit. Tigur. M DC LXIV. in 4to ſcripſiſſe: *Qvid differat antiqvus* qvatuor Euangeliorum *Codex* Syrus, *qvi in Bibliotheca Altorfina adſervatur, jam etiam ab eruditis eſt obſervatum. Exemplar Notarum Grammatico-Cricicarum accuratum ſatis ab amico pridem communicatum nobis fuit, de qvo alibi. Scripſit &* Hackſpanius *obſervationes ad Codicem Mſcr.* Et §. v. p. 161. *Obſervationes Arabico-Syriacas in N. T. qvaſdam dedit* Hackſpanius. Qvæſiverat Thomas Reineſius per Epiſtolam VII. p. m. 21. è Caſp. Hofmanno: *Qvid libri eſſet, qvem* Abenrois Apala daapala (*ita expreſſa ſunt hæc apud Scaligerum in I. de Plantis, fol.* 18. *edit. Criſpin. annô M D LXVI. p.* 43. *edit. Marp. Hartmanni* cIↄ Iↄ *XCVIII.*) *inſcripſit? Non ſunt,* inqvit, *hoc loco* φιλάϱαβες, *qvos conſulere posſim.* Reſpondet verò ſeqvente ſtatim epiſtolâ VIII. p. 22. Hofmannus: *Qvid iſtuc verò eſt, qvòd Arabem me eſſe jubes? Oſtendam verba* Hackſpano (*Hackſpanio*) *noſtro, qvi in literatura Orientalium plurimùm valet, eáſqve Lingvas hìc cum ſumma laude docet.* Et Epiſt. x. p. m. 24. ſ. idem ſcribit Hofmannus: *Scidam ab* Hackſpanio *noſtro, en tibi! eſt bonus & commodus convictor meus, anteqvàm uxorem duceret. Si voles cum illo converſari de his talibus, non abnuet ſpero. Eſt enim*

adſiduus & adcubuus libris, quorum copia illi abundè eſt. Ipſa verò Hackſpanii ſcheda ab Hofmanno addita, ad Reineſium ſcripta ita habet è p. 25. *Excellentisſime Vir. Qvid ſit apud Scaligerum* Apaala daapala, *non ſatis liqvet. Librum eſſe conſcriptum ab Auerroë, textus Scaligeri loqvitur: ſed cui tandem ille viſus? ac qvid verba iſta ſonant? Viſus citra dubium, pauculis: apud nos qvippe Arabum libri rarisſimi juxtà carisſimiqve ſunt, qvos tamen aliàs magnô numerô exſtare auctor eſt* Erpenius, oratione II. de lingva Arabica, *p.* 65. *ſeq. qvem, ſi voles, evolve. Exſtat catalogus librorum Erpenii bene-longus, à* Voſſio *editus: is impreſſos & manuſcriptos Arabum codices complures exhibet;* Apaala *tamen* Daapala *nuſqvàm offendi. Ceterùm voces hæ, aurium noſtrarum judiciô ſatis barbaræ, qvid ſibi velint, ita accipe. Apaala pluralis eſt,* افعال *notat effecta vel effectus cauſſarum.* Daababa *autem vitiosè ſcriptum, pro* Taapala, *qvod notat ab eadem radice actionem & pasſionem mutuam, ut ille ſit titulus libri:* De effectu actionis & paſſionis mutuæ. *Atqve hæc expoſitio ſatis convenit cum iis, qvæ* Scaliger *ex eodem libro adducit. Qvòd ſi vitium eſſe neges, fateor ignorantiam meam. Exſtat qvidem alia expoſitio, ut ſcil.* Apaala *derivetur à*

radice

radice نغل *&* Daapala *à radice* כבש *atque* Dapaala *eſt* Oleander Avicennæ, *uti* Schindlerus *exponit: ut titulus ſit*, Effectus Oleandri. *Hoc num Tibi atque aliis magis probetur diſpicies. Sanè ex iis, quæ* Scaliger *adducit, pauca de libro nobis conſtare poſſunt. Theodor. Hackſpan. mppr.* Thomas autem Reineſius, Epiſt. XI. p. 27. ſcribit ad Hofmannum: Cl. Hackſpano *de inſcriptione libri* Aben-Rhois *apud* Scaligerum *adſentiar tantiſper, dum ſuccurrat melius; non enim deſinam ſcrutari.* Et Epiſt. XV. idem ad eumdem, p. 32. *De* Averrois apaala taapala, *ſine præjudicio ſententiæ* Cl. Hackſpanii *aliud habendum eſt; nimirum, Abu Hamed ſeu Chamad, uti eum adpellat* R. Menaſſeh ben Iſraël, lib. II. de reſurr. mort. c. XV. *Mohammed al-Gazali, Doctor Mohammedanus celebris ſcripſerat librum titulô* ההפלה *Hahaphalah, i. e.* Deſtructorium ſeu Ruina, *ſcil.* Philoſophorum. *Ex eo citat* Don Iſaac Abarbinel *radice* 3. *de forma reſurr. ejúſque vera ratione, hanc ſententiam*, Deum de novo creaturum tunc temporis ſingulis hominibus corpora inſtar priorum, qvantitate, qvalitate, temperamentô, membrorum diſpoſitione prorſus iiſdem; ſine additione vel deminutione, qvæ iiſdem, qvibus priora, animabus informentur, adeò

adeò ut nullâ re ab ipsis discrepent; cúmqve jam materiâ penitus instar prioris constent eâdémqve prorsus animâ, qvæ in priori fuerat, verè adfirmari eosdem numerô mortuos resurgere. *Huic scriptum aliqvod suum opposuit acerrimus priorum omnium censor Aben Rhois titulô* Hahapalah altahapalah, *id est*, Destructorium destructorii *: hoc ipsum est, qvod qværimus. Convenit enim cum destructione sententiæ* Abi Chamad *de materia corporum resuscitatorum, id qvod ex* Aben-Rhois *allegat* Scaliger, *nimirum* res materiatas in suis functionibus fatigari, *cùm materia semper meditari maleficium feratur, omnisqve δυσχερείας in creatis caussa sit; immò juxta eundem Aben-Rhois, subjectum contrariorum; qvare & corruptionis. In corpora autem aliqvando resuscitandorum ne qvidem δυσχέρεια cadet ulla, multominùs fatigatio vel corruptio. Fuit alioqvin freqvens cum Arabe isto sopho* Scaliger; *qvod adparet ex Exercit.* v. XVII. LXI. *inprimis è* XXXVIII. *ubi de motu projectorum & violento.* Qvæ hìc obiter & ex occasione memoriæ Hackspanii, qvem, licèt summus olim D. noster Calovius in Commentar. in Genes. p. m. 601. edit. Witteb. M DC LXXI. in 4to; *à Calixto seductum*; p. m. 508. *Calixto velificari consuevisse*, & p. 603, *singularem sæpe* dicat esse; *notas* tamen ejus *Philo-*

logico-Theologicas in varia & difficilia Scripturæ loca non ineruditas idem ibidem esse perhibet p. 619. Subjiciam illius verba, cùm liber sit hìc in paucorum Bibliothecis: *Ex eo*, inqvit B. Calov. p. 617. *qvòd cum DEO ambulârit Enoch*, (Gen. v. 22. 24.) *perperam colligitur*, hominem legi divinæ satisfacere posse: *sive* perfectam *qvis* satisfactionem *intelligat cum* Pontificiis, *seu cum* Arminianis *&* Socinianis (*imò etiam* moderatioribus Papistis) *non qvidem secundum jus ἀκριβοδίκαιον*, *sed* secundum qvandam condescendentiam perfectam: *qvibus cum* Calixto *imprudens hic condescendit* Hackspanius, p. 121. posse nos qvodammodò DEO satisfacere, si nobiscum agat secundum condescendentiam, seu ex pacto Euangelico propter novum fœdus, qvod nobiscum iniit, in qvo promiserit, se non imputaturum nobis peccata nostra, sed si qvid saltim legi divinæ conforme fecerimus nobiscum fore contentum non aliter ac si legem ipsius perfectè explevissemus: *adhibitô simili Arminianô*: Si qvis debeat creditori 100. florenos, & non possit solvere ultra 10. creditor autem ultro dimittat ipsi reliqvam summam: tùm numeratis 10. florenis debitori (*creditori voluit dicere*) suo satisfecisse dici potest debitor propter pactum initum: similiter & nos Deo satisfecisse dicimur, si qvantum

tum in nobis pietati ſtudemus, & vitam qvalitercúmqve legi divinæ conformem ducimus, qvia hoc fœdus Deus ipſe pepigit, ſe non rigidum fore debiti exactorem. *At ubi* hæc condeſcendentia *in S. literis legitur? Et qvodnam eſt illud* pactum divinum? legale *certè non eſt, qvia in eo poſcitur perfecta impletio:* Euangelicum *verò pactum non legem præſcribit, ſed legis impletionem à Chriſto pro nobis factam ſiſtit, ejúſqve ſumma eſt,* crede & ſalvaberis, *vel* juſtus fide ſuâ vivet. *Aliud* Euangelicum pactum *Scriptura non novit. Fingendum ergò* tertium *pactum, aut* Euangelicum *cum* legali Pſeudo Apoſtolorum *more commiſcendum erit. Porro* non imputatio peccatorum *non promittitur* operanti, *ſeu legem qvalitercúnqve implenti, ſed* τῷ μὴ ἐργαζομένῳ, πιστεύοντι δὲ ἐπὶ τὸν δικαιοῦντα τὸν ἀσεβῆ, Rom. IV. 5. *nec* ſub conditione, *ſi qvid ſaltim legi divinæ conforme fecerimus, promiſſa nobis eſt non imputatio, ſeu remiſſio peccatorum, ſed* gratìs *ob* ſatisfactionem *&* juſtitiam *Chriſti. Et annon ita derogatur ſatisfactioni ac merito Chriſti, qvaſi ſolverit qvidem partem aliqvam pro nobis, ſed reliqvum nobiſmetipſis ſolvendum ſit? vel qvaſi promeruerit ſolutione ſuâ noſtris bonis operibus id ipſum,* ut eadem etſi imperfecta pro perfectis ducantur, & acceptentur? *Annon eô pactô juſtificatio noſtra par-*

tim constabit imputatione solutionis à Christo factæ, *partim* acceptatione etiam partis illius, qvæ à nobis exsolvi potest, *vel impletione legis*, tum *ejus*, *qvam præstitit Christus*, tùm *ejus*, *qvam etiam pro virili nos præstamus: aut qvemadmodùm creditor non expungit nomen ex mera gratia; sed acceptatâ aliqvâ*, *licèt* imperfectâ *solutione*, *qvam* locô perfectæ ducit? *ita DEUS non ex gratia nos justificabit, sed aliqvalem, & imperfectam legis impletionem à nobis reqviret, vi pacti Euangelici. Deniqve qvis certus tandem erit, se pietati studuisse* QVANTUM in ipso fuerit, *& qvantum est illud QVANTUM? Annon ita porta aperietur* dubitationi, *&* incertitudini gratiæ Papisticæ? *Sed de abominando illo errore, qvem cum aliis non paucis in* notas Philologico-Theologicas, *alioqvin non ineruditas, irrepsisse, dolemus, ex instituto egimus, adversus Arminianam* σχολιοδοξίαν *Calixti*, in Harmonia Calixtino-Hæretica, sect. 111. c. ult. *qvod est* de Pactis divinis. *Nimis liberaliter taxat autor ille subinde* B. Lutheri *nostri versionem, ut hoc* ὡς ἐν παρόδῳ *addamus*, *qvam* suas laudes, & labes habere, *imò* Notas N. N. in nova editione SÆPE contradicere textui *in Prolegom. notarum suarum, p.* 12. *ait*; *additqve*, qvod si Laici scirent, fortè è re non esset. *Sed in aprico est*,

Calixtina *pessimi commatis* principia *plerumqve reprehensionibus injustis nunqvàm satis laudati operis Megalandri caussam præbuisse*, *sæpe etiam non meliora substitui à Censore. Illa verò* κρίσις *indigna Theologô*, non è re esse, Laicos scire ea, qvæ ad intelligentiam scripturæ rectam, an erroneam faciant. *Qvestus est jam olim B. Lutherus in aureo comment. in Gen. c. VI. f.* 108. *qvòd* illudant Judæi recentibus Ebraistis, *additâ memorabili* κρίσει *ac* παραινέσει: Sententia nulla tàm absurda est, qvin eam prærancidis Grammaticorum Regulis defendant & ornent: Recito autem hæc, ut moneam vos, ne cùm in tàm ineptos Interpp. incideritis, eos seqvamini, & admiremini, tanqvàm singularem sapientiam. Nam etiam magni viri hisce Rabbinorum stultitiis delectantur. Hactenus Calovius, qvô ego Doctore ac Magistrô mihi plurimùm placeo. Confer qvæ & ad Hackspanium adtulit B. Josua Arndius in Diatriba de Mysterio Trinitatis è scriptis Rabbinorum veterum, inserta Fasci nostro v. n. v. p. 283. 289. 290. s. Mirum verò in Altdorfina editione Anni cIↄ Iↄc. xLv. in 8t. Lucubrationum Francktallensium, memoratus qvam Hackspanius curavit, neglexisse eum dedicationem Bonav. Cornel. Bertrami, cùm non pauca ea nos doceat; & qvia Francisc. Hotomannum

unicum

unicum hôc nostrô seculô Juris Antiqvitatumqve Romanarum lumen in ea vocat, aliíqve è Reformatis illum valde laudant, mirari subit, Joh. Sturmium, (qvem *Rhetorem Calvinianorum primarium* vocat B. Abrah. Calovius, lib. II. Isagoges Theolog. Articul. poster. c. II. Can. VII. p. m. 155. edit. Witteb. CIↃ IↃC LXV. in 8t.) ita illi scripsisse; *Sturmius Hotomanno: Cùm tibi tua Professio non videretur satis honorifica, & Doctor Balduinus anteferretur propter professionem juris: à Balduino Doctore impetrâsti, ut pro ipso aliqvando doceres. Non invitus ille id tibi concessit, neqve qvidqvam minus metuebat, qvàm ut tu illius insidiareris aliqvando vel fortunæ, vel existimationi: Sed tu subitò & Duarenum contra eum concitâsti: & Balduinum apud me accusâsti, & non apertâ, sed occultâ criminatione, cùm diceres, ut mihi ab eo caverem, nihil ei clausum esse, observare omnes tabellarios. Adversarium eum esse Doctori Duareno, doctissimo viro, & religionis nostræ studiosissimo. Inimicum verò esse Calvini. Hâc tu accusatione effecisti, ut ego alienarer à Balduino, & propter me alii etiam ab illius abstinerent familiaritate: usqveadeò ut Balduinus, Heydelbergæ, qvàm nobiscum, esse maluerit, & ibi à Principe & schola stipendium acceperit. Atqve hic etiam, qvid veri in altera parte fuerit,*

c *faci-*

facilè apparet. Falſum enim erat, qvod de Duareno dicebas. Nam moriturus contra religionem noſtram, pro Pontificia eſt teſtificatus. Balduinus innocens omnino: niſi abs te in tenebris accuſatus eſſet, comparatis per te literis accuſatricibus, ſparſis etiam per te criminibus: qvibus calumniis bonô Principe abutereris contra innocentes. Sed ſuô tempore omnia revelabuntur, qvæ nunc ſunt abſcondita. Sed tamen ne tunc qvidem obſervabam tuas inſinuationes, & tuorum conſiliorum exitus. Et poſtqvàm Balduinus à nobis Heydelbergam diſcesſit, & anteqvàm diſcesſit: conſtaret autem eum diſceſſurum: in illius poſtulâſti locum ſuccedere, & per me illud procurabas, & ego impetravi, tacitè nonnullis improbantibus, qvi tuam ſimulatam ſimplicitatem obſervabant diligentiùs: impetrâſti tamen & qvâ methodô antè aliqvando apud me uſus eras, eâdem etiam eô tempore utebaris: & dicebas turpe eſſe in Balduini locum ſuccedere laborum, & non ſtipendii, &c. Hæc Sturmius. Hackſpanio addidi promiſſas me in Præfatione Faſcis II. p. 37. B. Laurentii Fabricii Partitiones Codicis Hebræi, de qvibus ita B. Wolfgang. Franzius in p. m. 45. Tractatus de Interpretatione Scriptur. edit. Witteberg. cIɔ Iɔc xxxiv. ſcribit: *His*, qvi pietatis exercitium ſuæ ſenectutis divinam voluptatem

luptatem conſtituunt, *ut reliqvis omnibus altiores progreſſus conſeqvutis, familiarem eſſe exopto librum editum à* M. Laur. Fabricio Dantiſcano, *Hebræorum in Academia Witebergenſi Profeſſore Ordinario ac ſolertisſimo, cujus titulus* Partitiones Codicis Hebræi. *In hoc enim libro omnia abſtruſiora textibus Hebræis ſacrorum Bibliorum adjecta explicat, marginalia* ἐπισάγματα *varia enodat, & alia tractat, quæ fontes ſcrutaturis Hebræos emolumentorum plurimum conferent.* Idem ex eodem, etſi illum non nominat, repetit B. Waltherus in Officina Bibl. Repoſitor. I. Thecâ III. Arculâ II. §. 290. extr. p. m. 239. edit. Wittenberg. cIↄ Iↄc LXVIII. in 4to. Wilh. Schickardus ſacræ Lingvæ apud Tübingenſes Profeſſor in Bechinath Happeruſchim, Diſp. I. §. 6. p. m. 16. edit. Tübing. MDCXXI. in 4to, reprehendit Fabricium noſtrum his verbis: *Canonici V. T. libri, hebraicô Idiomate exarati, numerabantur antiqvitus ſaltem viginti duo, qvot & Conſonantes ſunt in Alphabetho ſacro; ſicut videre eſt ex prologo Galeato B. Hieronymi, duobus nempe libellis, Ruth libro Judicum, & Threnis ſuo Authori Jeremiæ annexis: qvinqve verò Duplicibus exiſtentibus, ad analogiam qvinqve literarum* מנצפך biformium. *At hodie à Judæis,* non dolô, ut Fabricius (c. v. p. 259. ſ.) ſuſpica-

batur, *ſed ex Antiqviſſima tum Maſoretharum ordinatione, tum Thalmudicorum approbatione, numerantur* עשרים וארבעה Viginti Qvatuor. *ſcilicet* חמישה חומשי תורה qvinqve Qvinarii Legis ד' נביאים ראשונים qvatuor Prophetæ priores, *Joſua, Judices, Samuel, Reges*, ג' נביאים אחרונים tres Prophetarum poſteriorum, *Eſaias, Jeremias, Ezechiel &* תריצשר liber duodecim *minorum, Ideò conjunctorum, nè ſigillatim relicti faciliùs injuriâ temporum intercciderent. Tandem* י"א כתובים Undecim Hagiographi, *ſcilicet Tres Poëtici, Pſalterium, Proverbia, Job. Qvinqve* מגילות volumina, *per annum hâc ſerie in feſtis legi ſolita, Cantic. Ruth, Threni, Eccleſiaſt. Eſther. & tres Semi-Chaldaici, noviſſimè ſcripti, Daniel, Eſdras, Paralipom. Qvi à Propheticis ideò ſeparantur, qvòd non per ſommum, viſionem, auditionem vocis, Ecſtaſin & alienationem mentis, ut vatum oracula; ſed per Spiritum S. immediatè Authoribus ſuis, integris ſenſibus dictati eſſe dicuntur. Atqve iſte ordo talis eſt in noſtris & Gallicanis Exemplaribus: à qvo tamen Hiſpanica non nihil variant: ſicut & vetuſtiora Judaica ab utriſqve, omnia ſuis qvibuſdam nixa rationibus: de qvo Elias Maſor. Hammaſ. octern.* ד. *f.* 6. *b. In hoc autem omnibus ex æqvo convenit, qvòd eos viginti qvatuor*

tuor libros in tres generales partes distribuunt, scilicet Legem, Prophetas & Hagiographa: ut Idem ibidem docet. לא היו הכ״ד ספרים מחוברים יתר והם חברום ועשו מהם ג׳ חלקים תורה נביאים וכתובים. Non erant 24. libri conjuncti unà, sed Illi (viri Magnæ Synagogæ, sub præsidio Esdræ congregati, de qvibus ibi loqvitur) concinnaverunt eos, & fecerunt inde tres Partes, Legem, Prophetas & Hagiographa. *Qvam distinctionem etiam ipse Salvator noster Christus acceptâsse videtur, Lucæ XXIV. 44. omnia, inqviens, impleri oportet, qvæcunqve de me scripta sunt in lege Mosis; in Prophetis; & in Psalmis. Sub horum complexu, cæteros qvoqve Hagiographos procul dubio intelligens. Sunt qvi putent, in qvatuor partes Hebræa dividi Biblia, eò qvòd vident in totidem vulgò compingi Tomos, & audiunt distinctas priorum & posteriorum Prophetarum mentiones. At hæc est subdivisio tantùm generis intermedii in suas species infimas, olim propter Scribas introducta, hodie propter Typographos & Bibliopegas commodè retenta, qvæ superiori divisioni nihil derogat: ut scitè notavit Drusius in pentat. p. 4. Porro lex Mosaica subdividitur, à Masorethis qvidem in* פרקים *sive* Capitula, *sed pauciora qvàm nos Christiani numeramus, verbi gratiâ, Genesis saltem in*

in XLII. Exod. in XXIX. Levit. XXIII. Num. XXXIII. Deut. XXVII. Sic etiam cæteri libri. Jos. XIV. Jud. XIV. Ambo lib. Sam. XXXIV. Reg. XXXV. Esa. XXVI. Jerem. XXXI. Ezech. XXIX. minor. Proph. XXI. Chron. XXV. Psal. XIX. Job. VIII. Prov. VIII. Ruth. Cant. Thren. singul. I. Eccl. IV. Esth. V. Daniel VII. Esra X. prout videre est è לוח סדרי התורה ונביאים וכתובים על פי המסרה *Bibliis majoribus præfixa. At à cæteris Hebræis communiter subdistingvitur in* 54. פרשוה Sectiones, *vel* סדרים Ordinationes, *tribus Majusculis* פפפ vel ססס (*semel etiam, sub finem Geneseos uno minusculô* ס) *notari solitas, & à prima textus voce, vel illarum maximè Emphaticâ denominatas. Unde* בראשית שמות ויקרא במדבר דברים *accuratè loqvendo mihi potiùs Parascharum, qvàm Integrorum* librorum Nomina, *contra vulgatam opinionem videntur. Debebant, ad nostri Calendarii rationem, esse saltem 52. pro numero Hebdomadûm; at illi 12. lunationibus Annum metientes, ad Intercalarem suum respexerunt, qvi Integrô Mense abundat. In vulgaribus ergo Annis oportet bis binas brevissimas conjungere, &c. Et hæc Distinctio non Novitia est, à nostratibus Judæis recens introducta, nec tamen, ut circumcisum vulgus opinatur, ab*

ipsa

ipso Mose profecta, sed olim ab Esdra & Sociis sic ordinata, ut inserviret Lectionibus Sabbathinis per totum Anni curriculum. Unde nec primitivæ olim Ecclesiæ mos iste legendi ignotus erat. Act. XV. 21. Moses jam tunc ab antiqvo in Synagogis, per singula Sabbatha lectus dicitur. Durat ista consvetudo adhuc dum hodie, ut non facilè sit vetulus aliqvis Judæus, qvi propter continuam hanc & qvotannis repetitam lectionem, non memoriâ teneat; præcipuas leges Mosaicas & verba plerumqve formalia. Hæc enim toties iterata, qvomodocunqve etiam intellecta fuerint, vel tandem hærere oportet. Qvemadmodùm apud nostrum vulgus, nemo ferè tam rudis est, qvi licèt omnem reliqvam ignoret Scripturam, Euangelia tamen, diebus Dominicis explicari consveta, ob freqventem usum & annuos recursus non sciat: Ita Judæorum etiam Pueris & Fœmellis Moses in sua lingva notus est, plus qvàm ullus Prophetarum. Nam & Septimanas à פרשה *Lectione Sabbathina denominant, sicut nos Dominicas Invocavit, Reminiscere, Oculi, Lætare, &c. ab Antiqvo Introitu sicqve in clausulis literarum tempora distingvunt. Tandem ut nostris Euangeliis, qvidam Paulus Diaconus, Apostolicas adjunxit Epistolas; ità illi Paraschis certas* הפטרות *Haptharas, (à* Dimissione *populi dictas) coordinârunt: factum hoc est tempo-*

re

re Antiochi hoc est, Annis ante Christum plus minus 170. qvando Tyrannus ille Lectionem Mosaicam inhibuerat. Et ut speciatim sciri possit, qvæ Hapthara cui Paraschæ congruat, appensus est plerisqve Bibliis peculiaris Index, qvi hoc distinctè monstrat. Tandem qvid in subdistinctionibus Paràscharum, Minuscula פ *vel* ס *solitariè posita notent, infrà suis locis dicetur.* Hæc Schickardus totum ferè Fabricii librum mittens in compendium. Nos hìc expressimus editionem Partitionum Fabricii secundam, qvæ Wittebergæ exiit annô M DC XXVI. in 8t. Tandem claudo Dissertatione doctiss. B. Joh. Erici Ostermanni de Consultationibus Veterum, qva de eô minus dico, qvô magìs ipsa se commendabit; auctor sanè, qvâ erat ingenii docilitate atqve præstantiâ, ita exqvisitam, ita perfectam trium sibi lingvarum, qvæ ceteris præstare putantur, comparaverat notitiam, ut nihil in eis sciri discíve possit, qvod ejus intelligentiam effugerit. Tu, mi Lector, vale, diligentiæqve nostræ fave. Scribebam Lugduni Batav. a. d. v. Id. Januar. ↀ IↃCC.

LUCU-

LUCUBRATIONES
FRANKTALLENSES
Sive
SPECIMEN ALIQVOD
INTERPRETATIONUM ET EXPOSITIONUM;
Qvas plurimas in difficillima qvæqve utriusqve Testamenti loca meditatus est

BONAVENTURA CORNELIUS
BERTRAMUS,
Picto Thoarsensis.

Denuo edidit

THEODORICUS HACKSPAN;
Sanctæ Lingvæ Prof. Publ.

Accessit ejusdem
INTERPRES ERRABUNDUS.

VIRIS

Reverendis, Excellentissimo, Clarissimis,

Dn. M. CORNELIO MARCI,

Universitatis Altdorfinæ annis superioribus Professori Theologo, atqve in præsenti Pastori Noribergensi disertissimo, vigilantissimo.

Dn. JUSTO ROSSNER
Dn. M. TOBIÆ RUPERTO
Dn. M. JOHANNI MAYER
Dn. M. ISAACO JACQVET.

Ibidem Verbi divini Ministris fidelissimis, amicis atqve fautoribus honorandis.

S. D.

THEODORICUS HACKSPAN.



Isto Vobis, amici exoptatissimi, *juxta cum Frankthallensibus* Cl. Bertrami *lucubrationibus, interpretem eúmqve errabundum. Cur Nobis, dicetis? cur errabundum? Vobis, qvia beneficia in me vestra id imperant: errabundum, qvia, si errantem inscripsissem, verendum erat, ne ubiqve vapularem: minime autem hâc fini, qvòd qvemqvam Vestrum in ratione interpretandi erroris condemnatum cupiam. Nostrâ qvippe ætate illicò exardescunt, qvi in Republica literaria exornanda desudant, dum vel nomen erro-*

erroris inaudierint. Qvantò aliter B. Augustinus in procem. libr. 11. de Trinitate! Duo sunt, qvæ in errore hominum difficilimè tolerantur, *præsumptio* priusqvàm veritas pateat; & cùm jam patuerit, *præsumtæ defensio falsitatis.* Non trepidus ero ad proferendam sententiam meam, in qva magis amabo inspici à *rectis*, qvàm timebo morderi à *perversis.* Gratanter enim suscipit oculum columbinum pulcherrima & modestissima charitas: dentem autem caninum vel evitat cautissima humilitas, vel retundit solidissima veritas; magísqve optabo à qvolibet reprehendi, qvàm sive ab *errante*, sive ab *adulante* laudari. Nullus enim reprehensor formidandus est amatori veritatis. Etenim aut inimicus reprehensurus est, aut amicus. Si ergò *inimicus* insultat, ferendus est. *Amicus* autem si errat, docendus; si docet, audiendus. *Hæc Sanctus ille Pater, interpres non minus qvàm disputator celeberrimus, cujus hodie legisse vestigia vix cuiqvam est integrum. Mihi qvidem certè decretum est neminem morari, si millies, rationibus probis destitutus, immerentem torvô vultu intueatur, ipsísqve adeò verbis accerrimè insectetur. Qvartus nunc agitur mensis, cùm adversarii cujusdam literæ advolantes narrarent, me litem de apparitionibus Angelorum in V. T. adversus Theologum concitatam magno cum ejusdem probro tueri; eámqve ultionem hunc ferre haud posse. Ego verò effusè ridebam: cùm qvòd rixas movisse probrosè defensitandas; tùm qvòd ultionem parâsse dicebar. Ne fando qvidem auditum, apologiam, qvam me adornâsse in vulgus notum est, haberi ultionem. Immane qvantum differunt, apologia & ultio. Ipse verò prior litem concitavit cum*

magno probro meo, uti loqvuntur theses, in qvibus sententiam meam parùm profectò amicè perstringit; & jam apologiam ferre nescit? Ecqvis verò de eo laborat? Pergamus potiùs solicitè inqvirere in mentem interpretum & disputatorum, ut ipsius oculi doleant, ceu J. Scaliger de Philologia judicabat; dummodò veritati nostra litet industria, qvam me sectari sanctè confirmo. Nec aliter, spero, imò enimverò scio, VOBIS, amici charissimi, *videtur; qvi consiliô, beneficiis, manuscriptis item Arabicis, aliisqve subsidiis, qvin correctione Lipmanni, viginti ipsos annos adeòqve ampliùs in Academiis hærenti suppetias ferre dignati estis, ne qvid ad accuratam veritatis defensionem concitatô cursu properantem deficeret. Agite itaqve libentes volentes chartulas hasce, si modò mihi ita licet esse grato, accipite, felices diurnate, méqve amare ne desistite. Scrib. 6. Aug. An.* MDCXLV.

PRÆ-

PRÆFATIO.

AD LECTOREM.



EN tibi, ne fidem me fefelliſſe dicas, obſervationes qvaſdam è manuſcripto Syriaco Bibliothecæ Academicæ, qvas aliqvot abhinc annis promiſi. Codex ipſe literâ conſtat partim antiqvâ, partim recentiore: *illâ* uſqve ad cap. Joh. XI. v. 48. *hâc* uſqve ad finem ejuſdem, ubi vocatur ܒܠܫܢܐ ܦܫܝܛܐ ܕܐܘܢܓܠܝܘܢ ܣܘܪܝܝܐ Ceu itaqve offendi literas, ܕܡܫܝܚܐ ܐܠܗܝ ita hîc exhibere viſum eſt.

Principiò igitur fatear neceſſe eſt, pluſcula occurrere, qvæ, qvâ literas, ab editis longiſſimè recedunt, ſenſu tamen ſalvô: ſed mihi decretum non eſt, adhæreſcere ejuſmodi minutiis, in qvibus nonnulli qværunt laureolam. Verſio eſt Syriaca, non fons, adeoqve Maſorâ hîc non eſt opus, qvæ ſolicitè literas numeret, ne qva pereat: ſatis eſt dum ſenſus ne laboret. Ne tamen rerum ejuſmodi curioſis guſtum invideamus, aliqvot ſaltem exempla accipe, è qvibus de ceteris facilè feres judicium: Matth. XVIII. 14. pro ܩܕܡ extat ܠܘܬ cap. VII. 12 [illegible] pro ܗܢܘ: Marc. IX. 19. ܠܐܡܬܝ pro ܠܡܬܝ

ܠܡܪܗܘܢ ; Luc. I. 35. ܒܪܝ pro ܡܪܝ :
Joh. IV. 42. ܕܡܪܢ ܡܫܝܚܐ pro ܒܡܠܠܟܝ
c. XX. 25. ܠܡܪܢ pro ܠܡܪܝ h. e. vidimus *Dominum*, pro, Dominum *nostrum*. Nam ut de ultimo vel tantillum moneam, solenne est Syris insuper habitis fontibus honoris ergò addere suffixa; v. c. Matth. VII. 21. *Non omnis qvi dicit mihi* κύριε, Syr. ܡܪܝ ; *intrabit in regnum cælorum* : c. XXVII. 63. *Convenerunt ad Pilatum dicentes* ; κύριε, Syr. ܡܪܢ : cap. IX. 22. *Jesus dixit*, *confide* θύγατερ Syr. ܒܪܬܝ Marc. XVI. 20. *Prædicaverunt ubiqve* & *κυρίου συνεργοῦντος*, ܘܡܪܢ ܡܥܕܪ ܗܘܐ ܠܗܘܢ Luc. XVI. 24. *clamavit voce elatâ*, *ac dixit*, πάτερ ἀβραάμ, Syr. ܐܒܘܢ : atqve Abraham respondens ait, τέκνον ܒܪܝ. Sic Hebræi amorem testaturi ajunt אדני Gen. XXII. 15. Judic. VI. 13. Adde Cl. Ludovic. de Dieu ad c. XVI. Lucæ, & Johan. I. 39. qvi in illo suffixum à Syro perperam additum censet cum Beza & Piscatore; in hoc verò Drusium taxat, Syriasmum cum Rabbinismo confundentem.

Similiter citra sensus jacturam ponitur Matth. X. 38. ܨܠܝܒܗ pro ܙܩܝܦܗ ut videre est collatis Marcô, c. X. 21. & Lucâ, c. XIV. 27. Marc.

II.

II. 8. ܕܡܬܛܪܨܝܢ pro ܡܛܠܪܝܢ: Luc. I. 23. ܐܙܠ pro ܐܙܠ. Et qvod cap. IX. 41. eſt ܡܣܝܒܪܢܐ, id ſcribitur ܡܣܝܒܪܢܐ prorſus uti in Cothenenſi Matth. XVII, 17. adeóqve radices utrobiqve tantùm inter ſe commutantur.

Eſt qvoqve cùm numerus, perſona, modus, ſuffixum variat, ſenſu tamen ſalvô. Has verò minutias conſectetur, qvi in ſolis apicibus ſummam rei ſitam arbitratur. Ceterùm occurrunt aliàs in illo ipſo codice, qvæ uſui eſſe poſſunt Conſtat qvippe orbi erudito in codicibus typis deſcriptis qvædam haberi ſuſpecta, alia prorſus erronea. Sic modò laudatus Ludovicus de Dieu in דקדוק לשונות הקדם ſcribit: *Interdum reperio pro a vocalem e in affixo tertiæ perſonæ ſingularis numeri fem. gen. ut in Peal.* ܢܫܪܝܗ̇ dimitteret eam Matth. I. 19. *In Pael* ܐܕܡܝܗ̇ aſſimilabo illud Luc. XIII. 18. & 20. ܢܕܡܝܗ̇ aſſimilabimus illud *Marc. IV. 30. Dubito an rectè.* Rectiſſimè Vir eruditiſſimus vitium ſubeſſe odorabatur: etſi enim in loco Matth. I. ſecunda vocalis propemodùm in Manuſcripo ſit obliterata: in eodem tamen capite XIX, 7. diſertè legitur vox ܢܫܪܝܗ̇ atqve præcedens itidem ܢܟܬܒܝܗ̇ legenda, contra qvàm eſt in exemplari Cothenenſi. & qvidem conſentiente eodem Manuſcriptô Academicô.

micô. Porrò apud Lucam qvoqve legitur, uti conjiciebat [Syriac] & apud Marcum [Syriac].

Hæc exempla, ceu ad oculum liqvet, satis comprobant, hîc dubio locum meritò fuisse relictum: etsi non nemini aliter multò videri poterat. Cùm verò hæc occurrant in fine libri tertii, ex ejusdem c. v. commodissimè aliud subjungere mihi videor. Differit de loco Matth. xi. 23. in qvo se multi mirandum in modum torqvent. Ille verò verbum [Syriac] positum judicat pro [Syriac], à radice qvadrata [Syriac], ut sit Futurum conjugationis Ethpaal. Hîc itaqve juvare eum possumus è Manuscripto nostro; qvod non solùm apud Matthæum, sed in loco qvoqve parallelo Luc. x. 15. triplex [Syriac] agnoscit: nam utrobiqve [Syriac] scribitur.

Idem in animadversionibus seu commentario in qvatuor Euangelistas hinc inde reprehendit, qvæ cum Manuscripto itidem non conveniunt. Matth. v. 22. dictio [Syriac] ab aliis aliter legitur: at enim optimè judicat [Syriac] scribendum esse: nam [Syriac] offendimus in Manuscripto.

Ca-

Capite eôdem verſ. 23. diſputat, utra lectio propiùs à vero abſit; ac recedit à codicibus reliqvis, exceptô Viennenſi. Nam cùm ceteri ad Hebraiſmum deflectentes ܐܒܠܐ exhiberent, ritè ſervatô Syriaſmô ſubſtituit ܐܒܠܐ, mutatione levi illâ qvidem, unius qvippe literæ, tali tamen, qvam lingvæ indoles reſpuit: docet id Codex noſter, paſſim manu Syri emendatus, qvi itidem ܐܒܠܬܐ ſatis perſpicuè legit.

Capite IX. 23. vox Syriaca turbabat interpretes uſqve adeo, ut pro tibicine cantus ipſe videretur ſubſtituendus: ſagaciſſimè itaqve conjecit mutatâ nonnihil nominis formâ, punctôqve adjectô, qvod in excuſis deſiderabatur, facili negotiô abſtractum tranſire in concretum: conjecturam non fefelliſſe, ſed pro vocabulo recepto ܐܙܡܪܐ legendum ܙܡܪܐ. codex manifeſtè confirmat.

Capite XX. v. ult. ad Syrum adnotat vitioſum eſſe genus in pervulgatis exemplaribus, adeóqve cùm hodiéqve ſcribatur vulgò ܐܠܗܐ ܠܐܠܗܝܢ ܗܘܐ genere prorſus variante: rectè ܫܘܒܚܬܗ ܕܐܠܗܐ in locum ejus ſubſtituit conſentiente Manuſcriptô, qvò genus cum genere exactè conveniat.

Lucam qvoqve Syrum excutere ſi volupe eſt, obverſabitur oculis noſtris cap. XIV. 21. ubi duplici vitiô textum laborare cenſet: nam

 ܘܡܟܝܟܐ

[illegible] [illegible] ſcriptum eſt, quà puncta tamen omninò legendum [illegible] & [illegible] uti oſtendunt literæ, qvas bonâ fide juxta cum punctis hîc tibi exhibeo.

Deniqve uti conjecturâ veritatem in modò dictis conſecutus eſt, aliiſqve præterea nonnullis: ita nemo ubivis ſcopum tetigiſſe Virum, licèt undiqvaqve doctiſſimum, perſvaſum habeat, deprehendimus enim hunc qvoqve Homerum dormitantem: id quod ex eodem antiqviſſimo Syro aliàs, Numine propitiô, ibo demonſtratum.

Illuſtriſſimo Principi & Potentiſſimo Domino

DNO. WILHELMO

Landgravio Haſſiæ, Comiti in Catzenelbogen, Dietz, Zigenheim, & Nidda, &c.

Domino ſuo Clementiſſimo.



Robè nôſti, Illuſtriſſime Princeps, ipſéqve reipsâ qvotidie verâ comprobas, atqve ad genuinam praxin revocas illa, qvæ vulgò in ore ſunt viris doctiſſimis, *Quà Deus monſtrat, eundum; Qvam nactus fueris Spartam, ornato: Qvam qviſqvam nôrit artem, in ea ſe exerceat;* Hæc

Hæc aliáqve qvamplurima, qvæ in hanc ſententiam paſſim apud peritiſſimos autores exſtant, effecerunt, ut, cùm apud me reputarem annis abhinc viginti ſeptem, qvomodo Deus me abſtraheret à Jurisprudentiæ ſtudio, cui operam jam dederam per ſex annos & amplius cùm Tholoſæ, tum Cadurci, fructúmqve à me repeteret illius ſtudii, qvod præcipuè & feriò per tres annos plus minus Lutetiæ literis Græcis ſimul & Hebræis impenderam, voluptatíſqve atqve oblectationis illius ſingularis, qvam Deô autore & ſvaſore perceperam ex V. & N. T. lectione, cùm utrumqve illud in illis ipſis lingvis, qvibus utrumqve ipſum conſcriptum eſt, perlegerem: ipſáqve Genevenſis Eccleſia, præeunte inſigni illo Verbi Dei Miniſtrô & doctrinæ Chriſtianæ propugnatore acerrimô, D. Joanne Calvinô, illiúſqve ſymmiſtis, me ad Verbi Dei Miniſterium vocaret; tum in Sacrarum Literarum & Theologiæ ſtudium non ſuccifivis horis aut tamqvàm aliud agens, ut anteà, incubui, ſed qvàm accuratiſſimè potui omnes meos nervos in illud unum intendi. Ergo & jam illo ipſo tempore, ſeptémqve deinceps annis, horis certè ſuccifivis recognoſcendo Sanctis Pagnini Theſauro ſeu Dictionario Hebraico, ea in memoriam revocavi, qvæ aliqvando à Joanne Mercero, Angelo Caninio & aliis qvibuſdam viris doctis de genuino lingvæ Hebraicæ & Aramicæ uſu Lutetiæ addidiceram, reliqvô verò tempore meditandis concionibus ſacris, reliqvíſqve rationibus, qvas ex Vetere & Novo Teſtamento adhiberem moderando illi gregi, qvi meæ fidei concreditus & commiſſus fuiſſet, ea etiam atqve etiam recogitavi, qvæ de propria

pria vocum & phrasium Hebraicarum, Aramicarum & Græcarum acceptione & sensu ab illis ipsis & ab Adriano Turnebo & Joanne Stracelio, Græcis qvondam Academiæ Parisiensis Professoribus audiveram. Posteà verò ubi Sacrosancto Verbi Dei Ministerio, instante & urgente Ministrorum & Professorum Genevensium Collegiô, lingvæ Hebraicæ & Aramicæ Professionem adjunxissem, ita rursum in pristinam illam lingvarum illarum superiorum & Theologiæ ἀνάμνησιν incumbere visum est, ut magìs ac magìs in ea ejúsqve usu promovere contenderem. Ergo sub annum secundum (nisi fallor) eorum octodecim, per qvos in Schola Genevensi Hebræam lingvam & Aramicam publicè docui, Genevensium Ministrorum & Professorum Collegiô svadente, sciscente & jubente, primùm cum D Theodoro Beza viro clarissimo & doctissimo, mihíqve multis nominibus conjunctissimo, versionem seu translationem Gallicam Bibliorum regnoscere cœpi: deinde recognitionem illam, rursum decernente eodem illo Collegiô, unà cum tribus illius ejusdem Collegii Ministris recensui, recensionéqve illâ peractâ ad ea, qvæ in illa nostra recognitione & recensione latiorem explicationem reqvirerent, ego solus remotis arbitris animum appuli. In his fuerunt primùm Sciagraphiarum & Iconum seu Figurarum, qvas vulgò vocant, expositiones tum compendiariæ tum fusiores. Accesserunt deinde locorum difficillimorum utriusqve Testamenti declarationes; in qvibus primas partas tribui Chronologiæ, veræqve Hebdomadum Danielis supputationi, aliísqve qvamplurimis, qvæ uni illi anne-

xæ ſunt; ſecundas verò interpretationi & enucleationi novem poſtremorum capitum prophetiæ Ezechielis; tertias autem & reliqvas multorum aliorum locorum explanationi, in qvorum permultis illuſtrandis non minùs, qvàm in illis deſudavi. Hæc ubi ſolus meditatus fuiſſem, poſteáqve ipſe recognoſcere cœpiſſem, & illis recognoſcendis amicorum qvorumdam judicium adhibuiſſem, ita qvotidianis eorum efflagitationibus divexatus ſum, ut tandem apud me conſtituerim laborum illorum meorum ornamentorúmqve Spartæ illius, qvæ mihi à Deo obtigiſſet, & in qva ornanda tantoperè acqvieviſſem, illíſqve nonnihil promoviſſe videbar, ſpecimen aliqvod edere, ex qvo nôſſe poſſem qvô deſideriò reliqva expeterentur, & qvà animi alacritate exciperentur. Qvinetiam mihi Specimen iſtud ad calcem perducenti calcar ad hoc noſtrum inſtitutum addidit acerrimum, qvòd me unum illarum Sciagraphiarum & Iconum ſeu Figurarum autorem & concinnatorem, qvàm poſſunt, honorificentiſſimè agnoſcunt & laudant Reverendi mihi in Chriſto fratres Miniſtri & Profeſſores Eccleſiæ Genevenſis in ea Epiſtola, qvam editioni illius noſtræ Gallicæ Bibliorum tranſlationis præfixerunt, etiam ſeſqviannô, poſtqvàm propter ſummas Civitatis & Eccleſiæ Genevenſis anguſtias ab illis dimiſſus fui: imò & qvòd me Franktalli, hoc eſt in media Germania, annum jam integrum ſacro Verbi Dei Miniſterio operam navantem adhuc collegam ſuum prædicent, mihíſqve tantô locorum intervallô ab illis ſummoto Collegii ſui jus, qvô per annos viginti qvatuor & amplius præſens uſus ſum, tam prolixè

lixè ut privatô sic etiam publicô scriptô prorogent.

At verò cùm aliqvem reqvirerem, qvi mihi non ita pridem in Germania peregrinanti gratiam apud qvosvis conciliaret æqvissimam, præsidiúmqve adversus qvoslibet afferret tutissimum, imò & liberè suum de nostro hoc instituto judicium mihi aperiret firmissimum, una T. C. mihi occurrit, qvæ hæc omnia cumulatissimè & prolixissimè præstare posset, si modò me tantô honore dignari vellet. Me tantum honorem abs T. C. consecuturum speravi, cùm mihi in mentem illa venerunt omnia, qvæ de T. C. omnes meritò prædicant, & qvæ mihi Genevâ discedenti D. Franciscus Hotomanus, unicum hôc nostrô seculô Juris Antiqvitatúmqve Romanarum Lumen, non semel inculcavit. Tantâ enim & tàm insigni gratiâ apud Germanos omnes reliqvósqve Europæ nostræ populos valere T. C. omnes agnoscunt, ut minimè diffidam, me T. C. favore fretum cum omnibus & ab omnibus gratiam initurum: tantámqve T. C. inter illustrissimos totius Germaniæ Principes, támqve præclaram esse potentiam, ut me T. C. præsidiô munitum adversus qvamlibet injustam vim sartum tectum futurum confidam: tantámqve esse T. C. in omni literarum genere præstantiam, tantam antiqvitatis memoriam, tantam bonarum artium peritiam, ut me à T. C. judicium de meo instituto meritò firmissimum certò consecuturum sperem. Atqve ut hoc abs T. C. beneficiô commodè diúqve beari possim, Deum Optimum Maximum, qvàm possum, obnixissimè rogo atqve obsecro per Dominum nostrum Jesum Christum, ut T. C. Illustris-

ſtriſſime Princeps, tuis noſtríſqve Galliæ noſtræ Eccleſiis qvàm diutiſſimè ſervet incolumem. Amen. Annô ultimi ſeculi 1588. 7 Cal. Junias, qvi dies hôc annô Chriſtianis ſacer eſt meditando ſingulari illi privilegio, qvô Dominus noſter Jeſus Chriſtus Apoſtolos ſuos donavit Sacroſanctô ſuô Spiritu, ad Eccleſiam ſuam porro ex omnibus omnium Gentium populis juxta atqve ex Judæis coagmentandam, æternâqve ac cæleſti doctrinâ omnibus omnium Gentium lingvis proponendâ & explicandâ colluſtrandam, Divinâqve & invictâ potentiâ conſtabiliendam, atqve adverſus inferorum portas communiendam: adhibitíſqve certiſſimis donationis ſuæ arrhaboníſqve donationum omnium ſuarum pignoribus privilegium illud ratum eſſe voluit.

T. C.

Servus addictiſſimus.

BONAVENTURA CORNELIUS BERTRAMUS, Picto Thoarſenſis.

LUCU-

LUCUBRATIONES FRANKTALLENSES,

Seu Specimen aliqvod interpretationum & expositionum, qvas plurimas in difficillima qvæqve utriusqve Testamenti loca meditatus est Bonaventura Cornelius Bertramus Picto Thoarsensis.

Cap. I.

Interpretatio & Expositio ex professo & præcipuè suscepta in v. 26. c. IV. Geneseos, & per accessionem in v. 7. & 25. ejusdem capitis.



Ampridem primum locum in his lucubrationibus destinaveram Paradiso meo Hedenico, cujus solum, areas, fluvios, eorúmqve alveos & decursus, regionúmqve illarum, qvas alluunt, situm, populos & gemmas non tantùm ex ipsis Sacris literis, sed etiam ex Ptolemæo, Strabone, Plinio, Ammiano Marcellino, aliísqve permultis Græcis & Latinis scriptoribus descripsi, publicéqve ante annos plus minus decem in Genevensi Schola dum Geneosos librum explicarem, enarravi: sed cælator, qvi nostræ sciagraphiæ tabulam singulari industriâ & manu depictam, sculpíqve cœptam, Calendis Qvintilibus su-

ſuperioribus perficiendam & reddendam ſuſceperat, & tamen necdum Calendis his Januariis moram purgavit; efficit ut locum hunc ipſum adſcribam explicationi loci alterius, qvi poſt eum difficillimus occurrit in eodem illo Geneſeos libro, c. IV. 26. Nec certè immeritò. Nam & hujus loci interpretationem ante annos viginti ſex Monte-Albano Cadurcorum commentatus ſum: qvum me invitum & multis nominibus renitentem Deus eò compuliſſet, ut carnificinæ Cadurcenſi præriperet.

Verſum illum 26. cap. IV. Geneſ. ita ferè ad verbum verterem, *Atqve Schetho etiam hic* [fœtus] *generatus eſt filius; & vocavit nomen ejus Enoſchus. Tunc cœptum eſt ad vocandum in* [i. de] *nomine Jehovæ*: at verò ita paraphraſi exprimerem: *immò & Schetho ipſi natus eſt filius, qvem Enoſchum appellavit. Atqve tunc cœptum eſt Jehovæ* ſeu Dei *agnominationem cuidam hominum nationi accommodare.* Ergo & totius hujus complexus paucorum verborum hæc eſſe videatur ſententia, Jehovam ipſum Deum Optimum Maximum ita Schethum Abeli, qvem frater Cainus trucidaverat, ſubſtituiſſe, ut in eum poſterorúmqve ejus primarios & ſummos primogenitos ſummam Eccleſiæ regendæ provinciam contulerit: immò & qvô tempore natus eſt Enoſchus, Schethò in regenda Eccleſia aliqvando ſucceſſurus, Deus hoc tum demum poſterorum omnium Adami diſcrimen conſtituerit, ut ex illis qvidam, illi videlicet qvi Cainô orti, ejus mores, inſtituta & rationes ſeqverentur, Homines propriè & duntaxat appellarentur: qvidam verò, illi videlicet qvi

ſacros cœtus, qvibus moderandis Adamus à Deo præfectus fuerat, freqventabant, ſacrísqve illis operabantur, qvæ Deus per Adamum ejúſqve ſacroſanctum miniſterium inſtituerat, Filii Jehovæ ſeu Filii Dei nominarentur. †

Ad hanc illorum verborum ſententiam confirmandam conjicio ex his, qvæ jampridem in noſtro libello de Politia Judaico notavi ad verſ. 3. 4. & 5, & qvæ jam obſervo ad verſ. 7. hujus iſtius capitis, ita parentem Adamum ſignificâſſe Caino, ejus ſacrificium Deo minimè probari, Abeli verò, ejus ſacrificium gratiſſimum eſſe, ut etiam addiderit Deum jam deſignare Abelem Adamo in ſacroſancto Eccleſiæ Miniſterio ſucceſſorem. Verſum enim illum 7. ita ad verbum jam interpretari velim, *Nonne ſi benè egeris* [erit tibi] *excellentia* (præcellens dignitas:) *& ſi non benè egeris ad fores ipſas aberratio recubans* [eſt ?] [At verò] *tum erga te* [erit] *appetitus ejus*, *& tu poteſtatem habebis in illum* : & in hunc ſenſum explicare, non eſt, mi Caine, quòd tantoperè doleas fratrem Abelem tibi in Eccleſia regenda præpoſitum fuiſſe.

† *Phraſin*, inqvit Theodoric. Hackſpanius, part. 1. Notarum Philologicar. in Varia & difficilia Scripturæ loca, p. m. 118, לקרא בשם non de *invocatione DEI*, qvæ totum Dei cultum aliàs notare ſolet, ſed de *denominatione filiorum DEI* cum *Bonav. Corn. Bertramo in Lucubr. Frankenth. p.* 2. 3. (hìc 17.) exponimus, ut ſit ſenſus: tunc cœpiſſe filios generationis juſtorum à Deo denominari, h. e. filios Dei appellari. qvemadmodùm ex collatione *c. VI.* 2. apparet. Sic *vocari nomine alicujus*, *Eſa. XLVIII.* 1. *Gen. XLVIII.* 8. etiam accipitur.

fuisse. Nam si in posterum te ad frugem receperis, & in melius vitam commutaveris, omnésqve sacrificiorum ritus ad suos fontes revocaveris, futurum qvoqve est, ut pristinam illam tuam dignitatem recuperes: ita ut Abel frater tuus natu minor se tibi libentissimè subjecturus sit, tibíqve jus tuum integrum & illibatum restituturus. Sícqve illi qvælibet, pro imperio injuncturus & præscripturus sis, ille verò tibi in omnibus qvàm poterit accuratissimè & studiosissimè obtemperaturus.

Certè aliqvo modô probare possimus ex his, qvæ Moses scribit, Adamum jam inde à Caino nato & Abele ad Schethum usqve per centum viginti qvinqve annos & amplius, alios sustulisse liberos, qvi pro vario ætatis & sexus discrimine Adami familiam propagârint; ita ut in illis mares qvidam fuerint qvi Caini & Abelis ætatem proximè fuerint subsecuti. Qvòd verò illi prætermittuntur, immò nec eorum nomen à Mose edatur, inde esse videtur, qvòd Moses in ista eadem historia, qvam retexit capite qvintô, eos duntaxat nominatim exprimat, qvos Deus regendæ suæ Ecclesiæ præfecerit. Atqve hoc efficit, ut etiam ex superioribus concludam, ut postqvàm sacrosanctus Dei Spiritus Abeli minimè substituerit eos, qvi proximè illum nati sunt, illud ipsum indicet, hîc in ista substitutione agi de qvodam singulari jure, qvod aliqvid magis sanctum & honorificum qvàm naturale esset.

Qvinetiam hoc jam addam, Mosen in posteris Caini hoc aliqvo modô præstitisse, eósqve in illis notâsse, qvi pro primariis & summis primogeni-

tis familiarum illarum, qvæ à Caino prognatæ erant earúmqve rectoribus agniti fuerint: qvíqve sacris illis, qvæ apud illos peragebantur & obtinebant, præessent, & certè ad illud usqve tempus, qvô depravatio posterorum Caini in nervos prorsus erupit, omnésqve verecundiæ & pudoris fines excessit, de qva re etiam rursum pluribus.

At verò si de sola sacrificii * unius repudiatione & rejectione ageretur in illa Dei increpatione, vix putârim, Cainum inde in eum furorem exarsisse, ut fratrem ipse trucidaret: præsertim qvum tunc sacrificiorum fontes & ritus Caino non ita noti & familiares esse potuerint.

Qvin etiam si nulla eò loci dignitas præcellens prætendatur, qvorsum spectâsset mentio subjectionis cujusdam spontaneæ & adlubentis, & dominationis ejusmodi qvæ summum imperium haberet.

Deni-

* At, auctore Hackspaniô, lib. I. Miscellan. c. IV. extr. §. ult. p. 82. hæc ratio falsâ nititur hypothesi, qvasi Deus increpet Cainum propter illud solum sacrificium rejectum: cùm potiùs conscientiam Caini perstringat, vitiis collutulatam, propter qvam *Sap.* x. 3. ἄδικος dicitur, ἀδελφοκτόνοις θυμοῖς correptus, atqve hinc ἐκ τοῦ πονηροῦ fuisse perhibetur. *Cujus gratiâ*, inqvit *Johannes* I. *Ep.* III. 12. *interfecit fratrem?* ac respondet: *quia opera ejus mala erant, fratris autem ejus* δίκαια. Scilicet non tam propter oblatum sacrificium ἄδικος erat, sed aliis de caussis, qvæ illud præcedebant: etsi furor posteà auctus sit, dum ambitionem vitio ipsi Deus verteret: Abelis autem vitæ benè actæ laudem & testimonium perhiberet.

Deniqve qvum jus regendorum populorum & ſacrorum procurandorum jam inde à Mundi conditu ex ipſo naturæ præſcripto & more, legibúſqve, qvæ inde ad Gentes ipſas exteras & à Dei fœdere alienas emanârunt & obtinuerunt, ad primogenitos pertinuerit, & apud ipſos permanſerit, niſi aliter Deus illi dignitati & prærogativæ proſpexerit, omnino jus illud ad Cainum pertinuit; & proinde niſi Deus jus illud in Abelem contuliſſet eâ, qvâ diximus, ratione, aut certè aliqvâ aliâ, prorſus dicendum fuiſſe videatur Schethum in Caini locum ſucceſſiſſe & ſubſtitutum fuiſſe.


Porrò ut de utraqve iſta ſententia conſtet, qvam verba illa præ ſe ferre diximus qvæ verſu illo utróqve extant, ſeptimô videlicet & viceſimô ſextô, verba illa paucis excutiemus, eorúmqve acceptionem huic noſtræ interpretationi convenientem ex genuina illorum ſignificatione accommodabimus.

Vocem *Scéth*, qvam Excellentiam & dignitatem præcellentem interpretati ſumus, illo ipſo ſenſu ſæpe ab Hebræis ſumi atqve adeò ubi de primogenitorum jure & dignitate agitur, oſtendit in primis illud Gen. XLIX. 3. ubi Ruben ob primogenituræ jus appellatur *jéther ſeéth* i. e. exundantia præcellentis dignitatis: deinde & illud Pſal. LXII. 5. Deniqve de præcellenti dignitate ejus conſilia iniêrunt depellendi [eum.]

Vox *Chaiiáth* qvàm Aberrationem ſumus interpretati, eſt à verbo, qvod à ſcopo † propoſito

 to

† חטא *aberrare* ſignificat, auctore Theodoricô Hack-



to Aberrare significat, atqve adeò in primaria & propria acceptione, ut liqvidò constat ex Jud. xx. 16. qvasi hôc locô Deus ex genuina ipsius vocis acceptione comminetur ipsi Caino nisi vitam emendet, pietatémqve colat, atqve ejus exercitia promoveat, futurum ut ille ab scopo, qvô sibi ex primogenituræ jure & prærogativa populi Dei regendi dignitatem obventuram & cessuram proponebat, qvàm longissimè aberret.

Vo-

Hackspaniô, part. 1. Notar. Philologic. in Varia & difficilia Scripturæ loca, p. m. 112. edit. Altdorf. M. DC. LXIV. in 8t. *sive* moraliter, *sive artificialiter;* חטאת *autem formaliter* aberrationem à scopo *notare, nullo hactenus exemplô constat. Et licèt radix qvandoqve variè sumatur, idem tamen in qvibuscunqve derivatis non obtinet: adeóqve nulla est è sola radice consequentia:* radix ita sumitur: ergò etiam derivatum. *Aliàs, cùm Dagesch forte innuat conjugationem Pihel,* חטאת sacrificium vel oblationem pro peccato *notaret, contra qvàm ipse Bonaventura sentit. Nam* חטא (chitta) oblatô aliqvo sacrificiô vel aliô aliqvô mediô expiavit *significat.* Idem lib. 1. Miscellan. c. iv. §. 32. p. m. 75. edit. Altdorf. M. DC. LX. in 8t. *Dubium est*, inqvit, חטא *primariò & propriè idem esse, qvod à scopo proposito aberrare, nullóqve exemplô constat,* חטאת *formaliter aberrationem à scopo notare. Dixi suprà c. 1. §. 16. tribus maximè modis propriam vocum acceptionem investigari, origine, usu crebriore, harmoniâ lingvarum. Jam verò* חטאת *est ex* חטא, *qvod sonat aberrare, sive moraliter, ut passim, sive artificialiter, uti in loco Jud. adducto. Ita hactenus usus obtinuit, ut freqventissimè consentientibus reli-*

Vocem *Teſchukah*, qvam ſumus interpretati *Appetitum*, hôc ſenſu uſurpari, ut tribuatur inferiori cuidam, qvi nil aliud expetat, quàm ut ſubjectionis atqve obediendi ſummum ſuum ſtudium teſtetur, præſertim erga eum, cujus ſummum imperium & poteſtatem adverſus ſe agnoſcit, apparet ex eodem illo Geneſeos libro, c. III. 16. ubi Moſes non ſolùm hanc ipſam vocem exprimit, qvæ ſpontaneam & adlubentem uxoris erga maritum ſubjectionem ſignificat, ſed & eamdem habet

reliqvis lingvis de peccato accipiatur, non modò in radice, unde Chaldæis חטא*, Syris* ܚܛܐ*, Arabi* خطي *& خطا eſt peccare: ſed quoque in derivatis unde Syris* ܚܛܝܬܐ *eſt error naturæ, abortus ſcilicet. Præſcindatur hinc conceptus communis, & apparebit, notari factum ipſum erroneum, non finem. peccator enim, v. g. ambitioſus, finem ſuum interdum aſſeqvitur, teſte Chriſtô,* Matth. VI. 2. & 5. *ambitioſi orantes, eleemoſynas erogantes, qvò conſpicui fiant hominibus, habent mercedem ſuam, ut qui hoc ipſum ſcopi locô intendebant. Accedit, qvòd, licèt radix interdum variè ſumatur, idem tamen in qvibuſcúnqve derivatis non obtineat, adeóqve nulla eſt è* ſola *radice conſeqventia: radix ita ſumitur, Ergò etiam derivatum: aliàs enim, cùm dageſch forte h. l. innuat conjugationem Pihel, notabit ſacrificium aut oblationem pro peccato, contra qvàm ſentit Bonaventura. Nam* חטא (chitta) *per antiphraſin eſt expiavit, oblatô ſcilicet ſacrificiô aut aliô aliqvô mediô. Nec uſpiam, qvòd ego quidem ſciam aut obſervare potuerim,* חטאה *importat aberrationem, abſtractè conſideratam, i. e. talem, qua nec à natu-*

subjunctam sententiam iisdem prorsus verbis, qvæ, declarant summam illam potestatem, qvam supremus aliqvis magistratus in qvoslibet suos subjectos meritò exerceat.

Qvod

naturæ, nec artis, aut legis, sive positivæ, sive naturalis ordine deflectat, & cujus objectum innuatur nullum: Aliàs, enim potiùs verbum תֹעֶה *adhibetur. v.g.* Gen. XXXVII. 15. הנה תעה בשדה *ecce ille vagabatur* (errabat) *in agro.* Etp. 80. extr. §. 39. 40. ſ. Bertrami *sententia nec certam fovet hypothesin, & à textus verbis abludit. Supponit enim, natô Cainô illicò primogenituræ jus regendi subditos Deóqve ministrandi sumsisse initium: idqve Bonaventura è Judæorum scitis nullo scripturæ usus fundamentô nobis obtrudit, tanqvàm cognitissimum & testatissimum, cùm ullum ejus rei in sacris extet ne vestigium qvidem, nec ministerium, Deo sacrum, naturâ cohæreat cum primogenituræ prærogativâ, sed maximè lege positivâ opus habeat, qvam hic nullam offendimus. Non ignoro qvidem; qvædam primogenituræ jura Mosaicam legem juxtà cum sacrificiis & circumcisione anticipâsse, atqve eo nomine malè audit Esau, quòd ea pensi non habuerit,* Genes. XXV. 31. XXVII. 26. *qvin etiam* βέβηλος *seu profanus* Hebr. XII. 16. *appellatur. Sed nulla nos subigit necessitas, ut qvæcunqve ceremonialia sive positiva cum ipso orbe, aut verò paulò pòst, initium sumpsisse credamus. A textus verbis Cornelium abludere, superiùs ostensum est: nec enim* שאת *hic excellentiam* (*primogenituræ scilicet*) *importat, sed elevationem vultus; nec* חטאת *aberrationem à scopo formaliter innuit, sed peccatum:* תשוקה *qvóqve subjectionem innuit, non eam necessariò, cujus voluntas est principium, sed illam qvoqve, qvam qvis invitus subit, adeóqve detrectat, uti patuit verbis,* Gen. III. 16.

Qvod attinet ad verſ. 26. illius ejuſdem c. IV. phraſin habet, qvæ maximè propriè illud ipſum ſonat, qvod diximus, nimirum appellare aliqvem de alicujus alterius nomine, & ab illius ipſius nomine agnominationem aſſumere. Hoc certè confirmare poſſim multis locis ex Sacris literis ad eam rem prolatis, in qvibus verbum *Kará* cùm paſſivè, tum etiam activè in eum ſenſum uſurpatur: ſed unum aut alterum ex illis proferre mihi ſatis fuerit. Certè eadem hæc phraſis Pſ. XLIX. 12. *appellârunt in* (i. de) *nominibus ſuis ſuper* (vel, apud) *terras*: hunc ſenſum habet, † ut velint filii Korachi eos, de qvibus agunt, etiam hâc ratione conari, ut nomen ſuum apud homines perpetuent, qvòd de ſuo nomine appellent illa caſtella, arces, inſulas, atqve ædes vel nimium inſolentes, in qvibus ſuas habitationes collocant: qvæ ſententia confirmatur ex his, qvæ Jobus notat libri ſui c. III. 14. At verò neqvis hunc ſtylum Moſi familiarem neget Moſes ipſe hunc ipſum uſurpat. Num. XXXII. 42. *& appellavit eam Nobachum in* (i. e. de) *nomine ſuo.*

Porrò ut eamdem prorſus Moſis ſententiam in hac ipſa phraſi apud eos Prophetas, qvi ſunt γνήσιοι Moſis interpretes agnoſcamus, illam repetemus ex Iſaiæ XLIV. 5. *Atqve hic appellavit* [ſe] *in* (i. e. de) *nomine Jakobi*, *atqve hic ſcribet manu ſuâ*, *Jehovæ* [ſum,] *atqve in* (i. e. de) *nomine Iſraëlis agnominavit* [ſe:] qvi locus vel eô maximè nomine ad noſtrum propoſitum appoſitiſſimus eſt, qvòd ſubjunctam habeat explicationem ex eadem alterius verbi penè ſynonymi conſtructione & acceptione.

† At tu vide B. Geierum in h. l.

Verumenimverò postqvàm ex illo Propheta activam acceptionem verbi *Kará* in hac phrasi & sententia demonstravimus, visum est etiam passivam indicare Isai. XLIII. 7. & LXV. 1.

Atqve tria posteriora ista loca non solùm eundem sensum, sed & eandem prorsus sententiam explicant, Nam de illis propriè agunt, qvi in Ecclesiam Dei cooptantur; illíqve ita nomen suum inscribunt, ut non modò se de Ecclesiæ sed & de Dei nomine appellare possint. Ergo & hinc manârunt illa in Propheticis & Apostolicis libris elogia qvæ veris Ecclesiæ membris accommodantur, & qvibus illi, *Filii Jehovæ*, *Filii Dei*, *Populus Jehovæ* & *Populus Dei* appellantur: item & *Filii Jakobi* & *Filii Israëlis*: immò & *Filii Abrahæ*, item & *Semen Abrahæ*, *Populus Jacobi* & *Populus Israëlis*.

Deniqve & illud Pauli 2 Timoth. II. 19. hinc manâsse videtur: sicut & aliàs fusiùs locum illum sum explanaturus. At verò jam hoc dico, & si Deus dederit, evincam pluribus, Nominare seu Appellare nomen Christi idem esse atqve de Christi nomine appellari, & Christianum nominari, religionémqve Christianam profiteri.

Ergo superiora illa huc redeunt omnia, ut qvum nasceretur Enoschus, tum Schethus illi dignitati inauguratus fuerit à Deo, ipsóqve Schethi parente Adamô, qvâ tandem aliqvando Schethus apud Dei Ecclesiam perfunctus est, qvum Adamo parenti illam per ætatem præstare non liceret: ita ut jam ab illo tempore Schethus, qvum illius parens per valetudinem, aut alias qvasdam occupationes munus illud suum, qvô regendo primo

mo Orbis novi populo ejúſqve Sacris ordinandis & moderandis operam navabat, obire non poſſet, ejus vices expleret: eóqve illo ipſo naſcentis Enoſchi tempore in Adami Poſteris qvidam fuerint, qvi appellarentur Filii Dei ſeu Populus Dei, illi videlicet qvi ab Adamo ejúſqve ſacris cœtibus ſeceſſionem non fecerant; qvidam verò Filii hominum, ſeu Populus & Vulgus hominum, illi videlicet, qvi cum Caino ab Adamo ſacríſqve ejus cœtibus defecerant. Et certè non dubito Adamum, qvum videret Cainum ita à ſe, ſacríſqve illis cœtibus qvibus Adamus ex Dei decreto præerat, ſeceſſiſſe, ut ad illos ampliùs redeundi ſpem præcidiſſet: ut jus qvidem illud primogenituræ Caino relictum fuerit, qvod illi adimere conducibile & tutum non eſſet, nimirum ut homines illos regeret, qvi merè homines eſſent, non etiam à Deo per Spiritum ſanctum regeniti.

Schetho verò ejúſqve filio proximè nato Enoſcho Deus ipſe per Adami Miniſterium, jus illud primogenituræ, qvod in Eccleſia conſiſtere debuit, meritò Caino apoſtatæ ademptum & in Abelem olim collatum, & ſubſtitutionis jure largitus ſit & confirmârit: Sícqve in poſterum Schethum & Enoſchum, eorúmqve primogenitos primarios præfecerit regendis illis cùm in Eccleſiaſtica politia, tùm in civili, qvi à Deo regeniti, meritò Filii Dei appellarentur.

Ecqvis enim dubitet Adamum filiis ſuis doctrinam de Dei imagine in hominibus per peccatum obliterata & deleta, eáqve per Semen venturum inſtauranda propoſuiſſe; initiúmqve noſtræ

ſtræ ſalutis hoc eſſe ut nos filios Dei, ab eóqve per Spiritum ſuum ſanctum & verbum regenitos agnoſcamus? Doctrinam hanc tanqvàm primam in renaſcente & repullulante Eccleſia inculcatam fuiſſe apparet ex Exod. IV. 22. Deut. XXXII. 6. & Joann. I. 12. & III. 3. ut alia loca penè infinita prætercam.

Et certè hoc etiam optimè qvadrare videatur ſi intereà dum Cainus de ædificanda urbe, eáqve de ſui filii nomine appellanda cogitaret, Adamus ipſe unáqve ejus filius Schetus ipſi Caino συστοιχῶν eô, qvem jam perſtrinximus, modô, de propaganda & exornanda ſancta Eccleſia ſoliciti, laborarent, qvàm poſſent, accuratiſſimè in eo ædificio exſtruendo & erigendo, qvod Dei domus eſt, vivíſqve illis lapidibus deſignandis, qvi ad totum illud ædificium conſtruendum & decorandum aſſumendi eſſent; qvíqve qvemadmodùm omnes ſimul coagmentati & coadunati, totam ipſam ædificationem atqve ædem abſoluturi eſſent, qvæ de Dei nomine appellaretur, ita & ſinguli ad ſtructuram illam & ædem perficiendam aſſumendi, illâ etiam notâ, nempe nominis Dei, inſigniendi eſſent, qvam jam tum per unicum Dei Filium, qvi & ipſe Deus in ſecula laudandus eſt, & qvi ſemper illius ſtructuræ & ædis lapis fundamentalis (ut ita loqvar & ἀκρογωνιαῖος fuit, unà cum ipſius regenerationis (qvam primum & præcipuum noſtræ ſalutis caput jam nominavimus) efficacia participarent.

Immò & ad hoc noſtrum propoſitum appoſitiſſimum cenſuero, ſi voces illas *Semen alterum*, qvæ exſtant verſ. 25. hujus noſtri c. IV. referamus ad

hanc

hanc noſtram interpretationem & expoſitionem: qvòd Seminis nomen apud Hebræos noſtros deſignet ſeriem qvamdam perpetuam, in qva privilegium aliqvod perduret, ut hoc diſertiſſimè declarat Iſaias, c. LIX. 21. ut alia loca penè innumerabilia prætermittam.

Atqve ex his conſtat Adamum ita inter ſuos promiſſionem de Semine venturo expoſuiſſe, ut qvoad vixit in ea Eccleſia, qvam regebat & regendam Schetho aliiſqve primariis nepotum ſuorum primogenitis permittebat, eam doctrinam concidere, & ſacroſanctum Dei cultum labefactari ullo modô paſſus non fuerit.

Immò nec mihi veriſimile ullo modô ſit, Enoſchô naſcente Schethi poſteros ex Cainitarum conſvetudine Dei cultum profanâſſe, qvum illi tunc pauci admodùm fuerint, & infimæ ætatis inter illos homines qvi tum vivebant: immò etiam nulli, ſi Enoſchum Schethi primogenitum faciamus, in qvam ſententiam Moſis hiſtoria propendere videatur; præſertim ſi attentiùs perpendamus hominum illius tempeſtatis ætates, & ætatum rationes atqve progreſſus.

Sed & illud tacitus præterire non poſſum, Moſen corruptionem Filiorum Dei, i. e. eorum, qvi ab illis orti & progeniti erant, qvi Adami Miniſterium in Schethum ejúſqve primarios primogenitos collatum agnoverant, inde oxordiri, qvòd connubia illi cum Cainitidibus contraxerint: atqve hoc eos commiſiſſe, qvum jam Filii (ſeu Vulgus) hominum cœpiſſent augeri & multiplicari ſuper terram, ita ut illis locis, qvæ Cainus, ejúſqve poſteri iſtorum hominum progenitores & majores

jores incolebant, isti homines eorúmqve filiæ contineri non possent.

Qvin etiam addam, Mosen corruptum Dei cultum inter multas Diluvii caussas non enumerare; hoc verò illum minimè prætermissurum fuisse, si id ita pridem obtinuisset.

Deniqve ex Mosis historia nondum mihi compertum est, qvomodo illi, qvi Scheti Ministerium probabant, & Filii Dei appellabantur, ante Lamechi Cainitæ & Chanochi Schethani tempora sese morésqve suos pervertere & corrumpere inceperint.

Lamechus certè primus videtur inter homines illius primi seculi atqve adeò inter ipsos Cainitas à Mose notari, qvi omnes pudoris fines excesserit.

Ille enim primus dicitur conjugii, qvod apud omnes homines, vel naturâ ipsâ duce, honorabile est, sacrosanctas leges contemerâsse, duásqve simul eôdemqve tempore conjuges apud se habuisse & aluisse, earúmqve contuberniô usum fuisse: atqve adeò eâ confidentiâ, ut apud utramqve immanem suam crudelitatem jactaret in trucidandis pueris juxtà ac adultis jam viris, atqve incredibilem ad illa facinora patranda audaciam, & miram in eludendis ac ludificandis justis Dei judiciis subtilitatem.

Ejus filii videntur ita parentis vestigiis institisse, ut Jubal ejus (ut conjicio) primogenitus, primus dicatur tentoriorum delicias atqve magnificentiam tenui & frugi pastorum priscorum supellectili, variásqve artes qvæstus faciendi ex pecore illis primorum & superiorum pastorum ho-

honestis rationibus substituisse: Jubal autem instrumenta illa excogitâsse, qvæ etiam jam tum luxuriæ & libidini potiùs, qvàm honestæ cuidam oblectationi & animorum remissioni inservirent: Tubal-Kainus verò rationem, qvâ opera illa ænea & ferrea exacuerenrur & expolirentur, qvibus alia ex ære & ferro opera elaborarentur & perficerentur, ita ut unus ille primus docuerit, qvomodo gladiorum, hastarum, lancearum, aliorúmqve instrumentorum cùm æreorum tum ferreorum, qvibus vis aliqva infertur, cuspidatæ, & mucronatæ acies exacuendæ essent & expoliendæ, sícqve ad vim inferendam aptiores & & accommodatiores evaderent.

Deniqve ex eo, qùòd septimus homo ab Adamo ex Scheti posteris Chanochus, qvi majorum suorum sanctissimam vitam & doctrinâ & moribus cumulavit, Lamecho septimo item homini ab Adamo ex Cainitarum stirpe, ejusqve majoribus & posteris, qvi tum viverent, in pejus promoventibus & ruentibus, gravissimum illud Dei judicium comminatus est, qvod Judas Apostolus ita explicat in sua Epistola vers. 14. & 15. ut illud videatur arcessere ab institutis illis, qvæ Cainus ejusqve posteri seqverentur, adversus qvæ Chanochus gravissimum illud irati Dei judicium pronunciârit, non malè effici atqve evinci putem, nondum etiam ante Lamechum Cainitam Caini posteros ita depravatos fuisse, sicut vivente Lamechô ipso fuerunt: Schethanos verò alióſqve Adami ex aliis ejus posteros vixdum ante ista Chanochi tempora, immò nec ante Noachi natalia sese moresqve suos corrupisse.

Ve-

Verumenimverò ut tandem aliqvando concludam noſtram hanc interpretationem & expoſitionem in verſ. 26. c. IV. libri Geneſeos, illud jam adjiciam, Moſen illius libri Geneſ. c. VI. 2. ubi de Filiis Dei & filiabus hominum agit, qvaſi ex abrupto, & non modò contra omnem docendi rationem, ſed & contra omnes primariæ cujuſdam hiſtoriæ leges ſuam ab Orbis ipſius conditu inſtituiſſe, ſi anteqvàm docuiſſet qvoſdam ex hominibus propagatis ab Adamo ejúſqve poſteris, Filios Jehovæ, ſeu Filios Dei appellatos fuiſſe, & qvinam illi fuiſſent indicâſſet, vel minimam eorum mentionem injeciſſet.

CAP. II.

Interpretatio & expoſitio ex profeſſo & præcipuè ſuſcepta in v. 9. c. XXIV. *libri poſterioris Samuelis, & v. 5. c.* XXI. *libri prioris Chronicorum: & per acceſſionem in v. 2, 3, 4. & 24, 25, 26, & 27. c.* XXIII. *ejuſdem illius libri prioris Chron. item & in v. 23, & 24. atqve adeò in verſ. ſuperiores c.* XXVII. *ejuſdem illius libri prioris Chronicorum.*

QVia ſpecimen hoc editum volo in ea omnia Scripturæ volumina, qvæ Hebræi noſtri agnoſcunt, viſum eſt, locum aliqvem hic inſerere, qvi deſumptus ſit ex priorum Prophetarum volumine: qvòd volumen illud, librum Legis proximè ſubſeqvatur. Locum illum qvi extat poſterioris Samuelis XXIV. 9. ad hoc noſtrum inſtitutum appoſitiſſimum exiſtimavi: vel eô maximè nomine, qvòd non unam difficultatem habeat maximam, ſed

ſed & multas adjunctas, omnéſqve explicatu difficillimas. Earum omnium prima eſt, in qvo ſitum fuerit peccatum illud, qvod David admiſit in populo Dei recenſendo. Nunqvàm meus ille mos fuit, etiam in publica Sacrarum literarum profeſſione, qvam per aliqvot annos Genevæ ſuſtinui, permultas aliorum expoſitiones refutare. Ergo ex more illo, qvem ſemper laudavi, jam aſſero, ſicut & aliàs ante aliqvot annos viris qvibuſdam doctis probavi, præcipuam Davidis culpam in eo fuiſſe, quòd populum Iſraëliticum recenſeri voluerit etiam infra viceſimum ætatis annum: atqve in hac recenſione eos numerari, qvi ad militiam conſcribi poſſent, bellóqve gerendo & armis tractandis apti eſſent; qvamvìs etiam annos ſedecim, ſeptemdecim, octodecim, & novemdecim duntaxat nati eſſent.

Deus ipſe Optimus Maximus ſemel atqve iterum populum ſuum in deſertis Arabicis recenſeri voluit, ſed hâc cautione adhibitâ, ut ſi duntaxat militiæ alicujus gratiâ cenſus ille habendus eſſet, non infra viginti annos, ſed cùm minimùm à viginti annis ſurſum verſus iniretur. Duplex fuit apud Hebræos militia, Eccleſiaſtica & Civilis. Cenſus, qvem Deus haberi voluit apud Levitas, ut ex illis idonei ad militiam Eccleſiaſticam tum obeundam ſegregarentur, initus eſt à triceſimo anno ſurſum verſus, Num. IV. 2. ſ. Tirocinii ad illam militiam Eccleſiaſticam addiſcendam & experiundam ſiqvis cenſus ineundus eſſet, ineundus dicitur à viceſimo qvinto anno ad triceſimum uſqve, Num. VIII. 24.

Cenſus, qvem Deus haberi voluit apud reliqvas

C Tri-

Tribus duodecim, ut ex illis agnoſcerentur qvinam idonei eſſent ad obeundam civilem militiam, ineundus præſcribitur ab anno viceſimo ſurſum verſus, Exod. xxx. 14. Num. I. 3. & xxvI. 2. itáqve præſcriptus, dicitur illâ ipsâ ætate initus, Exod. xxxvIII. 26. Numer, I. 20. & ſ. xxvI. 3. & xIv. 29. & xxxII. II.

Cenſus verò iſte, qvem David iniri juſſit 2 Sam. xxIv. I. & 2. omnino ejuſmodi fuit, qvô conſcriberentur omnes illi ex populo Dei, qvi bello gerendo & armis capeſſendis atqve tractandis apti eſſent; ut hoc apparet ex ipſius imperii & mandati exſeqvutione, qvæ Joabo demandata eſt. Ille enim dicitur in iſto cenſu eos conſcripſiſſe non ſolùm qvi ſtrenui & fortes eſſent, ſed & *qvi gladium diſtringere poſſent*, viríqve viderentur ex ſtatura potiùs & corporis habitudine qvàm ex legitima ætate. Qvòd ſiqvis hac in re moroſior eſſe velit, Davidíſqve verba urgeat, qvibus imperium & mandatum de cenſu hoc ineundo conceptum eſt, ſimul etiam reſpondebo, *Populi* nomen non ſolùm viros ſed & mulieres comprehendere, qvas certè David minimè intellexerit. Deniqve omnia hæc ex Moſis verbis interpretationem accipiunt, qvi qvum Dei mandatum de cenſu populi ineundo exprimit Exod. xxx. 12. qvàm ſimpliciſſimis poteſt verbis illum notat, nullâ injectâ armorum tractandorum bellíqve gerendi mentione. Ergo cenſum illum ineundum Dominus præſcribit ex illis, *qvi tranſirent in numeratos*, Exod. xxx. 13. & 14. & 38. 26. & qvi *numerati cœtus* appellantur Exod. xxxvIII. 25. At verò qvum idem ille Moſes hujus mandati ite-

iterationem & exſequutionem deſcribit Num. I. II. & III. & XXVI. 2. non ſolùm meminit *ſummæ* ſeu *capitum totius cœtus filiorum Iſraëlis*, ſed etiam illorum, *qvi apti eſſent ad egrediendum in militiam*: qvaſi & his verbis poſtremis reliqva omnia præcedentia declaret, ipſáqve exſeqvutio vim mandati explicet. Atqve ex his ſatis, ut opinor, appoſitè conficio, Davidis juſſum ex Moſis verbis atqve adeò ex Joabi exſeqvutione declarandum eſſe: cenſúmqve hunc ineundum & initum fuiſſe ex illis, qvi armis capeſſendis apti eſſent. Jam ergò conſeqvens eſt ut probemus Davidis mentem fuiſſe, ut omnes illi in hunc cenſum venirent, qui necdum nati annos viginti, armis tamen tractandis bellóqve gerendo apti eſſent, virſqve viderentur potiùs ex corporis habitudine & ſtatura, qvàm ex legitima ætate.

Hoc verò evinco ex 1 Chron. XXVII. 23. & 24. qvibus duobus verſibus Spiritus S. rationem reddit, cur, qvum alii qvidam cenſus in libros Chronicorum Davidis Regis relati eſſent, hîc unus ex ipſius Davidis mandato prætermiſſus fuerit. Eam videlicet rationem inde aſſumit, qvòd cenſus ille conſtaret non ſolùm ex his, qvi viginti annos nati eſſent, eóſqve exceſſiſſent, ſed & ex his, qvi minores eſſent viginti annis: qvaſi & hâc ratione eos, qvos Deus innumerabiles fore pollicitus fuerat, in numerum aliqvem cogere vellet ipſe David. Joabum qvidem filium Tſerviæ illum cenſum ex illo Davidis præſcripto incepiſſe ſubjicit, ſed eum minimè abſolviſſe, qvòd hanc ob cauſſam Dominus adverſus Iſraëlem meritò iram ſuam effudiſſet: qvæ res hoc etiam effeciſſet ut

census ille, qvantumvis imperfectus inter eos numeros & census non fuisset conscriptus, qvi in Davidis Chronica relati fuissent.

Ceterùm, neqvis falli nos putet, dum eos, qvos Hebræi appellant *Filios viginti annorum & suprà* interpretamur non solùm eos, qvi jam nati sint viginti annos, sed & eos, qvi majores sint viginti annis: *Filios* autem *viginti annorum & infrà* non solùm eos qvi nati sint viginti annos, sed & eos, qvi viginti annis minores & inferiores sint, ad hanc interpretationem confirmandam appositissimum esse puto locum Euangelistæ Matth c. II. 16. ubi appellantur *Bimuli & infrà*, non solùm illi, qvi nati essent duos annos, sed & illi, qvi minores essent duobus annis. Atqve hic unus locus omnia illa explicare potest, in qvibus superiores illæ phrases & aliæ illis affines occurrunt.

Ex his igitur illud primùm constat in hoc censu ineundo, de qvo jam agimus, eam Davidis mentem fuisse, ut etiam illi recenserentur, qvi minores viginti annis apti essent capessendis & tractandis armis: item & illud, contra expressum Dei præscriptum censum hunc initum fuisse. Expressum enim Dei præscriptum in censu agendo eorum, qvi apti essent armis capessendis & tractandis, esse, ut illi à vicesimo anno sursum versus recenserentur, non etiam ab ulla ætate, qvæ inferior esset viginti annis, apparet ex illis locis quæ jam notavimus, nimirum ex Exod. XXX. 14. & XXXVIII, 26. Num. I. 3. & 22. c. XXVI. 2. ita ut meritò & jure ex his jam concludere possimus Davidem in hoc censu contra expressum Dei præscriptum fecisse.

Præ-

Prætereà etiam ex illis, qvæ ex 1 Chron. xxvII. 23, & 24. huc jam transcripsimus, hoc qvoqve observare possimus, Dominum Deum, qvum præscriberet censum eorum, qvi armis capessendis & tractandis idonei essent, voluisse eum à vicesimo anno sursum versus ineundum esse, non autem ab annis ullis, qvi annô vicesimô inferiores essent: hócqve præcipuè in hac cautione spectâsse, ne Israëlitæ eorúmqve Duces aut Reges eos numerarent vel etiam numerare conarentur, qvos Dominus Deus ut innumerabiles fore promisit, ita & innumerabiles esse voluit: unde & ad hoc suum decretum penitiùs inculcandum non semel significavit Abrahami sobolem non magìs in numerum aliqvem cogi posse, qvàm vel *stellæ ipsæ Firmamenti*, vel *scrupuli arenæ*, *qvâ maris litus consternitur*, enumerari possint. Utrámqve illam similitudinem usurpat Deus ipse in hanc ipsam sententiam Gen. xv. 5. & xxxII. 12. ita ut utroqve isto locô qvorsum utramqve illam similitudinem suo proposito accommodet, satis disertè exponat; eò videlicet, ut declaret Abrahami sobolem & posteros ullâ ratione numerari nec posse nec debere. Immò & hoc sine ullo tropo exprimitur Gen. xvI. 10. Reliqva loca, qvæ ad hanc rem probandam faciunt, qvamplurima prætermitto, qvòd ab his petita videantur; istáqve sufficiant ad illud hôc locô declarandum, de qvo neminem dubitare puto, qvi vel mediocriter in Sacra historia versatus sit.

Ex his etiam liqvidò constare possit, hoc alterum fuisse in hoc censu Davidis peccatum, qvòd in hac recensione affectatô aliqvô studiô seu curiositate

laborârit. illúdqve ſtudium in id intenderit, ut eum numerum ipſe teneret, qvem Deus ipſum atqve adeò omnes homines fugere & latere voluerit.

David enim ipſe disertè profitetur, ſe velle Iſraëlitarum & populi Dei numerum nôſſe, 2 Sam. xxiv. 2. & 1 Chron. xxi. 2. Joabus certè, qvi meram illam curioſitatem affectatúmqve Davidis ſtudium agnoſcit, illum ſuæ orationis epilogum poſtremò ſubjicit, Non eſſe, qvòd Rex tantoperè de eo numero perſcrutando laboret, eáqve in re uſqve adeò acqvieſcat, quum etiam inde maxima toti populo Iſraëlitico calamitas impendeat: Immò ſiqvid compendii ſit in tanto populi Iſraëlitici incremento, qvale Deus promiſit, univerſum illud Davidi ceſſurum, modò ne penitiùs & curioſiùs in Dei arcana penetret. Hoc etiam ſuperiora illa arguunt, Joabum illo metu non fruſtra perculſum fuiſſe, atqve anteqvàm cenſum illum ſibi demandatum abſolviſſet, Davidem, populúmqve Iſraëliticum expertum fuiſſe Joabi comminationem Davidi ipſi in os propoſitam, inanem non fuiſſe: qvod pluribus explicaremus, niſi calamitas illa, qvam Joabus prævidiſſet, fuſiſſimè exponeretur utróqve illo capite, qvod totam hanc hiſtoriam complectitur, nimirum c. xxiv. lib. 2. Sam. & c. xxi. libr. 1. Chron.

Adjiciendum etiam ſuperioribus videtur, liqvidò conſtare ex illo c. xxvii. lib. 1. Chron. ſi non omnes certè multos cenſus populi Iſraëlitici relatos fuiſſe in acta Davidis Regis, qvi eô Rege initi fuiſſent. Ad eam rem probandam ſufficere poſſint, qvæ exſtant illô ipsô c. xxvii. item & qvæ exſtant c. xxiii. ad cujus capitis verſum 23.

hoc

hoc jam subjicio. Levitas primùm à Davide recensitos fuisse ab anno tricesimo sursum versus ex Mosis præscripto, qvum primùm David meditaretur Templi exædificandi functiones.

Posteà verò qvum attentiùs perpendisset Levitarum priora munia graviora fuisse, atqve ætatem provectiorem reqvisivisse, Templi autem exædificandi functiones leviores inferiorem ætatem ferre posse, illi, consultô fortasse Dei Spiritu per Gadem & Nathanem, visum est, censum illum Mosaicum in gratiam Levitarum comparatum, qvô tempore in desertis Arabicis, & posteà in ipsa Cananitide sacra Tabernaculi utensilia deportabant, ad eum revocare; qvi reliqvis Tribubus conmunis erat: ita ut David in postrema sua recognitione functionum Leviticarum in Templo à Salomone exstruendo, Levitarum censum iniêrit ab annô vicesimo: illúmqve minimè per Joabum perfecerit, qvi nec Benjamiticæ nec Leviticæ tribus in illa recensione illegitima censum ullum iniêrit, ut constat ex his, qvæ exstant 1 Chron. XXI. 6. etsi aliter viris qvibusdam doctissimis videatur.

Deniqve ex verbis vers. 23, & 24. cap. XXVII. libr. 1. Chron. illud conficio, ita interturbatas fuisse rationes census istius Joabo à Davide demandati, ut mirum minimè sit tam exigua & difficilia illius censûs vestigia restare, & ex qvibus laboriosum admodùm mihi fuit, qvod res erat, eruere.

Porrò anteqvàm ad illum laborem explicandum veniam, visum est superioribus subjicere exemplum, qvod disertissimè probat, eam fuisse

Dei mentem, ut ſiqvando aliqvis populi Iſraëlitici vel Hebræi cenſus ineundus eſſet, illi duntaxat in hunc cenſum venirent, qvi majores eſſent viginti annis: Deúmqve atqve ejus Prophetas cenſum ita initum minimè reprehendiſſe, pœnáſve ullas eô nomine irrogâſſe, immò potiùs beâſſe & ſingulari benedictione cumulâſſe. Exemplum ad eam rem accommodatiſſimum exſtat 2 Chron. xxv. Eô enim loci Spiritus ſanctus pluribus explicat, qvomodo Amatſias Rex Judæ, celebrem cenſum initurus populi Judaici, atqve adeò ejuſmodi, cujuſmodi Deo probaretur, hoc eſt eorum, qvi apti eſſent ad arma capeſſenda, eos recenſuerit ab annis viginti & ſupra, ſeu ab annô viceſimo ſurſum verſus. Ubi Amatſias hoc præſtitiſſet, atqve ex eo cenſu trecenta hominum millia reperiſſet, illis adjunxiſſe dicitur copias qvaſdam conductitias, ex decem Tribubus collectas ad viros centies mille.

Ergo, qvum ſe Amatſias accingeret ductandis utriſqve illis copiis adverſus Idumæos, Propheta ad illum miſſus dicitur, qvi duntaxat eum admoneret de conductitiis copiis dimittendis, illíſqve ſolis deducendis, qvas ex illo cenſu collegerat. Hoc conſilium ſi ſeqveretur, Propheta victoriam adverſus Idumæos illi promittere viſus eſt. Unde & ſolis illis copiis, qvas ex eo cenſu collegerat Amatſias, decem Idumæorum millia percuſſiſſe dicitur; atqve Arabiæ Petrææ metropolim expugnâſſe, & ex ejus urbis ſaxo excelſiſſimo præcipites dejeciſſe Idumæos alios decies mille. Poſtqvàm hæc hiſtoria ita ſuperiorem illam ſententiam confirmat, qvâ legitimos Iſraëlitici populi

puli census vicesimò duntaxat annò ineundos demonstravimus, restat, ut difficultates alias explicemus, qvæ in postremo isto & illegitimo Davidis censu occurrunt. Porrò ne plura nobis repetenda sint, historiam census istius inde jam arcessemus, ubi illam terminavimus. Ergo ubi Joabus agnovisset Davidem planè constituisse, ut census populi Israëlitici ejusmodi haberetur, cujusmodi Dei ipsius præscripto minimè conveniret, illi visum est in censu isto ineundo qvatuor † catalogos conscribere: duos videlicet, qvibus perscriberentur duodecim Tribuum census, item & duos alios, qvibus etiam duo alii Tribus Judæ census perscriberentur. *Decem Tribus* in hac historia eôdem modô accipimus, qvô post secessionem, qvæ tempore Roboami admissa est, nobilitatæ sunt, & in Regno Israëlitico posteà perseverârunt: unde & soli Tribui Judæ oppositæ in ista nostra historia. nomine *Israëlis* veniunt, nomine inqvam illô Israëlis, qvô populus aliqvis significatur, ut constat ex constructione verbi, qvod in hac sententia exprimitur 2 Sam. XXIV. 9. Unde etiam adjicitur nomen *Totius Israëlis* in hac eadem historia, 1 Chron. XXI. 5. Atqve ut tredecim propriè Tribus fuerunt in populo, qvi Abrahamum auctorem gentis laudabat, duas, duarúmqve censum ab hoc illegitimo Davidis

 censu

† In Derasch in 2 Samuel. XXIV. 9. traditur, Joabum geminum computum descripsisse, unum minorem, majorem alterum, qvas diversas ἀπογραφὰς Scriptores sacri seqvantur. Hanc conciliandi rationem R. Salomo amplecti videtur in Comment. in 1 Paralip. XXI. 5.

censu excipimus, Tribum videlicet Levis seu Leviticam, & Benjaminis seu Benjaminæam, ex 1 Chron. xxi. 6. Duorum illorum catalogorum à Joabo conscriptorum cùm in censu decem Tribuum, tùm in censu unius Tribus Judæ, priorem habuisse censum legitimum arbitror, posteriorem verò censum illegitimum: qvasi Joabus Deo primùm suum honorem habuerit, deinde & Davidi suum imperium detrectare ausus non fuerit. Prior catalogus decem Tribuum, qvô perscriptus est earum legitimus census, habuisse videtur virorum strenuorum & qvi nati erant viginti annos & ampliùs, *octingenta millia*, 2 Sam. xxiv. 9. Posterior catalogus decem Tribuum, qvô perscriptus est earum census illegitimus, viros, qvi superiores & inferiores viginti annis apti essent tractandis armis & bello gerendo, *undecies centies mille*, 1 Chron. xxi. 5. Prior catalogus Tribus Judæ, qvô perscriptus est illius Tribûs legitimus census, habuisse videtur strenuos viros, & qvi nati essent viginti annos & ampliùs, *qvadringenties septuagies mille*, 1 Chron. xxi. 5. posterior catalogus Tribus Judæ, qvô perscriptus est illius Tribus census illegitimus, habuisse videtur eorum, qvi superiores & inferiores viginti annis apti essent tractandis armis & bello gerendo, *qvingenta millia*, 2 Sam. xxiv. 9. At verò, anteqvàm reliqvam hanc historiam explicem, qvibus nitar rationibus, ut illos numeros ita constituam & definiam, paucis perstrinxero. Et certè postqvàm eadem prorsus est historia, qvæ traditur 2 Sam xxiv. & 1 Chron. xxi. numeros mihi inter se comparare visum est, ut analogiam in illis aliqvam perscrutarer. Eam

verò

verò ejusmodi tandem reperi, ut censum legitimum Tribus Judæ superari agnoverim ab illegitimo ejusdem Tribus censu, triginta millibus; & ex eadem illa analogia concluserim, legitimum censum decem Tribuum potuisse superari ab illegitimo illarum earumdem censu, decies triginta millibus h. e. trecentis millibus. Quòd si trecenta ista hominum millia addideris octingentis millibus, quæ exstant 2 Sam. xxiv. 9. assurgit omnium summa ad viros undecies centies mille, qui numerus est illorum omnium, qvi venerunt in censum illegitimum, & posteriorem catalogum decem Tribuum. ut & ille numerus exprimitur 1 Chron. xxi. 5. Scio viros qvosdam doctos, cùm Hebræos, * tùm nostros, supplere numerum illum, qui tribuitur decem Tribubus 2 Sam. xxiv. 9. ut

* E' 32. מדות *proprietatibus* seu *virtutibus*, R. Eliezer filius R. Jose, Galilæi, hanc init conciliationem: trecenties scil. mille Israëlitas in 2. Sam. xxiv. omissos, בנימוסה של מלך *ἐν τῷ νόμῳ* seu in *Fastis* vel Protocollis Regiis consignatos, utpote jam tum notos, ibi supponi; erant enim duodecim Legiones secundùm mensium anni numerum singulæ viginti qvatuor millium, qvæ summatim capita 288000. effecerunt, & si Principes Israëlis 12000. seu 12. Duces, cum sua singuli Chiliade addantur, emergit eadem summa 1100000. qvæ in Paralipomenis habetur. Hanc conciliationem R. Eliezer elicit ex 1 Paral. xxvii. 1. & seqq. Qvam etiam pleriqve omnes, qvos vidimus, Commentatores amplectuntur, ut R. Salom. Isacides comment. in 2 Sam. xxiv. R. David Kimchi, ibid. & Comment. in 1 Paral. xxi. R. Jacobus Abendana, Com-

ut ad numerum illum assurgat, qvi illis ipsis tribuitur 1 Chron. xxi. 5. ex his, qvæ exstant. 1 Chron. xxvii. Sed mirum esset in illa distributione nullas fuisse ex Tribu Judæ cohortes, vel certè milites aliqvot: præsertim qvum multi ex primariis illarum distributionum præfectis desumpti ex Tribu Judæ nominentur; & hoc summæ ignominiæ Tribûs Judæ imputandum fuisset, nullas ex ea cohortes fuisse assumptas, qvæ contribuli suo Davidi Regi ordinariam cum aliis Tribubus operam impenderent. Adde, qvòd post illam distributionum illarum recensionem unà cum aliis aliarum Tribuum antecessoribus etiam antecessor Tribus Judæ nominatim exprimitur, atqve adeò ferè intermedius inter illos antecessores, qvi præfuisse dicuntur Tribubus Israëlis, de qvibus eô capite agitur: ita ut postqvàm ibi *Israëlis* nomen non opponitur Tribui Judæ, eò nomine veniat etiam Tribus Judæ, non solùm vers. 16. capitis illius xxvii. sed etiam primô versu capitis illius ipsius xxvii. Qvin etiam hoc addam, ut siqvæ Tribus eximendæ sint ex illis menstruis distributionibus, de qvibus initiô illius capitis agitur, eximendæ fuisse videantur Tribus Ascheritica & Gaditica, qvarum antecessores prætermittuntur in aliorum aliarum Tribuum recensione.

Comment. in 1 Paral. xxi. & è Christianis, Tremellius, Junius & Grotius, adnotationibus in 2 Sam. xxiv. Confer virum admirabili Lingvarum Orientalium & vetustatis omnis cognitione instructissimum, Dn. Matthiam Frider. Beckium in notis in Paraphrasin Chaldaic. 1. lib. Chronicor. p. m. 217. edit. August. M. DC. LXXX. in 4to.

ne. Sed de ea re aliàs pluribus. Scio etiam eosdem illos viros doctos supplere numerum, qvi tribuitur Tribui Judæ 1 Chron. XXI. 5. ut ad numerum illum assurgat, qvi illi tribuitur 2 Sam. XXIV. 9. ex his qvæ exstant 2 Sam. XXIII. 8. s. & 1 Chron. XI. XII. s. Sed ab illis probari velim triginta ibi Chiliarchos nominari, qvorum singulis milleni singuli milites paruisse dicantur. Mitto, quòd ex illis Triginta viris, qvos *Chiliarchos* appellare videntur, qvamplurimi aliis Tribubus qvàm Tribui Judæ adscribantur: item & qvòd Chiliarchi viderentur ex aliis Tribubus in unam Tribum Judæ transfusi, qvasi Tribui Judæ deessent sui Chiliarchi, neqve in una illa Tribu reperirentur, qvi strenui Chiliarchi esse possent. His ita expositis ad intermissam historiæ nostræ seriem redeo. Ea postulare videtur, ut nobis repræsentemus Joabum, postqvàm prætermissô censu Tribus Levis & Benjaminis, Jerosolyma advenisset, Davidi porrigentem & explicantem qvatuor illos catalogos qvorum jam meminimus, vel certè eorum duos: Davidémqve postqvàm illorum qvatuor catalogorum vel potiùs duorum epigraphen aut versus aliqvot legisset, statim animô perculsum, gravissimámqve suam culpam agnoscentem qvòd eô modô populum Israëliticum recenseri voluisset: indéqve concludentem eorum censuum nullam habendam esse rationem, illísqve nullum locum in actis publicis adscribendum. Atqve ex his judicare possimus vers. 9. c. XXIV. libri posterioris Samuelis ita interpretandum esse: *Atqve Joabus reposuit apud Regem ipsum numerum recensionis populi ipsius: & fuit* [aggregatio] *Israëlis octin-*

octingenta millia virorum strenuorum stringentium gladium & viri Judæ qvingenta millia. & v. 10. *Et percussit cor Davidis* [Davidem] *ipsum postqvàm recensuisset populum ipsum*, &c. hoc est, Ubi Joabus apud Davidem reposuisset census illos populi Hebræi, qvos iniêrat, Davídqve eos vel minimùm evolvisset & inspexisset, statim animô perculsus est & consternatus, qvòd populum Hebræum eâ ratione numerari jussisset. Porrò census ille, qvi eos homines apud decem Tribus exhibebat, qvi propriè *populi* alicujus nomine censendi essent, fuit octingentorum millium virorum ejusmodi, qvi strenui fortésqve essent, & præsenti animô gladium distringerent: illi verò ex Tribu Judæ qvi ex statura & corporis habitudine viri videbantur, fuerunt qvingenta millia. At verò ex horum omnium collatione v. 5. c. XXI. libri prioris Chronicorum sic interpretari possis, *Atqve Joabus reposuit apud Davidem numerum recensionis populi ipsius: Fuitqve universus Israël undecies centies mille viri stringentes gladium: & Juda qvadringenties septuagies mille viri stringentes gladium.* hoc est; Igitur Jaobus apud Davidem reposuit census illos populi Hebræi, qvos iniêrat. Census autem ille, qvi omnes illos complectebatur, qvi in decem Tribubus ex statura & corporis habitudine viri videbantur ejusmodi, qvi gladium distringere reliqvâqve arma tractare possent, habuisse videtur viros istiusmodi undecies centies mille: ille verò census, qvi eos duntaxat exhibebat, qvi propriè in Tribu Judæ viri habebantur, atqve ejusmodi, qvi gladium præsentissimô animô distringerent, fuit qvadringenties septua-

septuagies mille virorum. Deniqve finem huic nostræ meditationi imposuero, ubi singularem Dei providentiam & sapientiam annotavero in eo, qvòd qvatuor illos catalogos ita diversis locis designaverit & distraxerit, ut nec omnes in eumdem locum relati dici possint; nec etiam omnes ita prætermissi & nobis erepti, qvin eos omnes ex ipsa Sacra historia agnoscere possimus, atqve adeò ex illis Davidis culpam in isto censu, de qvo agimus, deprehendere.

Cap. III.

Interpretatio & expositio ex professo & præcipuè suscepta in v. 8. c. XXXVIII. Isaiæ. & v. 9. c. XX. libri posterioris Regum: & per accessionem in v. 1. 2. & alios aliqvot vers. c. XXXVI. Isaiæ: item & in v. 7. 8. 9. & 36. 37. & 38. & alios aliqvot c. XXXVII. Isaiæ: item & in v. 13. 14. & 17. c. XVIII. libri posterioris Regum, & in v. 7. 8. & 9. & 35. 36. & 37. c. XIX. ejusdem libri poster. Reg. & in v. 1. 2. & alios permultos c. XXXII. libri posterioris Chronicorum.

POst Prophetarum priorum volumen illud in Hebræorum canone subjicitur, qvod posteriorum Prophetarum vaticiniis tribuitur. Ex illo autem volumine visum est in hoc nostrum Specimen transcribere præcipua illa verba, qvibus perstringitur singulare illud auctæ diei miraculum, qvod in fidem auctæ & prorogatæ vitæ, à Rege Ezechia postulatum est: & reliqva ex historia Regum præcipuis illis subnectere. Ergo etiam hunc

locum

locum ex Isaia repetere malui, qvòd in eo præcipua miraculi illius verba exstant, & ad eum supplendum multa ex historia Regum asumenda sint; item & qvòd Isaias ipse hujus historiæ & prophetiæ testis & administer fuerit. Hæc ut agnosci possint omnia, totam historiam retexere operæ pretium fuerit. Ergo illo ipsô annô decimô qvartô Ezechiæ Regis, qvô Sancheribi exercitus universus deletus est ad Libnam urbem, non ad Jerosolyma, ut hactenus vulgus hominum atqve adeò doctissimorum censuit, Ezechias ipse Rex Jerosolymis eô morbô laboravit, qvem Dominus illi lethalem esse per Isaiam significavit; eôqve nomine eum de condendo testamento, postremáqve sua voluntate apud familiam testificanda admonuit. Ubi Ezechias hæc Isaiæ à Deo mandata intellexisset, ita Deo bonam suam conscientiam & fidem, vitámqve anteactam probavit, ut Dominus ipse Deus Isaiæ præceperit, anteqvàm ille ex Regiæ atrio mediano excessisset, ut Ezechiæ significaret ejus preces à Deo exauditas, foréqve ut in tribus diebus Templum Jerosolymitanum adiret; immò & vitam illi ad annos qvindecim prorogatam esse: atqve eâ pace, ut securum eum urbémqve Jerosolymorum tutissimam adversus Assyriorum vim & potentiam esse juberet: palathámqve ficuum ulceri Ezechiæ imponendam præscriberet. Lætissimum hunc nuncium ita excepit Ezechias, ut signum peteret, qvô se sustentaret in ea fide, qvâ credebat se intra triduum incolumem ad Dei Templum venturum. Signum illud hôc modô proposuit Ezechiæ Isaias, ut etiam illi optandum & eligendum relinqveret,

ret, num mallet Solis umbram, qvæ in Achazi solario seu solari horologio jam ad decem gradus processerat, ad decem alios usqve gradus inclinari, qvàm eamdem illam Solis umbram unà cum ipso Sole per eosdem illos decem solarii illius gradus retrocedere, & rursum per eosdem illos gradus descendere, reliqvósqve illius solarii gradus, qvi restarent eâdem viâ pervadere, sícqve diem artificialem absolvere. Hanc optionem sibi oblatam Ezechias ita expendit, ut diceret, facile esse Solis umbram ad decem solarii gradus inclinari; se ergo alterum malle, nimirum ut Solis umbra unà cum Sole ipso retrocederet per eosdem illos decem gradus, per qvos jam unà cum ipso Sole descenderat. Ergo postqvàm Isaias hoc esse Ezechiæ votum intellexit; illud ipsum suis precibus à Deo obtinuit. Qvod ubi experimentô ipso verum agnovisset Ezechias, singulari canticô gratum suum in Deum Optim. Max. animum testatus est. Atqve hactenus de historiæ illius à nobis retextæ serię. Ejus verò initia à decimo qvarto anno regni Ezechiæ repetenda esse constat ex eo, qvòd ea, qvæ illi historiæ adscribuntur, eô annô accidisse necesse sit: postqvàm illa Ezechiæ vitam ad annos qvindecim prorogatam fuisse declarat, ipséqve Ezechias annos viginti novem duntaxat regnaverit. Porro, neqvid eorum, qvæ retexendæ isti nostræ historiæ inseruimus, qvemqvam remoretur, pluribus demonstrandum nobis videtur, qvod jam perstrinximus, Sancheribi exercitum non ad mœnia Jerosolymorum sed Libnæ profligatum fuisse. Hæc verò ita habere ex suggestu Genevensi sæ-

pius docui: atqve ad hanc rem evincendam præcipua firmamenta ex ipſo hiſtoriæ tenore deſumpſi. Tota enim illa Sancheribi hiſtoria ad hanc harmoniam revocanda videtur. Qvum Achazus profeſsus fuiſset ſe ſervum & filium ipſi Aſsyrio futurum, ſi modò eum aſsereret adverſus impreſſiones & obſidionem Retſinis Regis Syriæ & Pekachi Regis decem Tribuum, atqve ad eam rem teſtificandam, fidémqve & obſeqvium, qvod in clientelæ futuræ gratitudinem imputatum volebat, munus ipſi Aſsyrio magnificentiſſimum in Aſsyriam uſqve miſit, 2 Reg. xvi. 7, & 8. Hoc Achazi obſeqvium in Ezechiam hæredem Achazi transfuſum, imminutum putavit Sancheribus, qvum intellexiſset, Ezechiam inconſultô Monarchâ Aſsyriô, qvamplurima in Eccleſiaſtica politia, qvæ temporibus Achazi obtinuerat, innovâſse & immutâſse; non ſolùm in ipſo duarum Tribuum ſeu Judæ regno, ſed & ad reliqvas illas, qvæ in ditione, qvæ aliqvando decem Tribuum Regibus paruerat, tum verò ad Aſsyrios devenerat, ſuum illud imperium extendiſse. Ergo Sancheribus maximum comparat exercitum adverſus Ezechiam Regem Judæ & Benjaminis. Ezechias contra hujuſmodi Sancheribi expeditionem Jeroſolymorum urbem communit, civéſqve ipſos Jeroſolymitanos adverſus Sancheribum exacuit. Sancheribus his graviùs commotus, qvamplurimas urbes Tribus Judæ, eáſqve omnes munitiſſimas expugnavit. Igitur qvum Ezechias videret eum jamjam Jeroſoymis imminere, ad illum legatos miſit, qvum Lachiſchum obſideret. Ezechias per legatos illos culpam admiſsam adverſus Aſ-

ſyrium

ſyrium Monarcham agnoſcit & deprecatur: immò & mulctæ ab Aſsyrio definiendæ ultro ſe ſubjicit, eámqve ab Aſsyrio indictam, qvâ poteſt diligentiâ, repræſentat. Aſsyrius ubi mulctam illam accepiſset, Ezechiæ illudit, Rabſakénqve & Tartanem atqve Rabſariſum unà cum magna militum manu Jeroſolyma mittit, qvi Ezechiæ civibúſqve Jeroſolymitanis ſignificent, Aſsyrium prorſus conſtituiſse Jeroſolyma expugnare: cúmqve id facillimô negotiô perfecturum, qvum tot tantáſqve copias ad eam rem inſtructiſſimas haberet, Ezechias verò ad reſiſtendum eſset imparatiſſimus, nihílqve haberet præſidii nec in Deo ipſo, nec in Ægyptiis, qvod Aſsyrio opponere poſset: multáqve alia cùm in Ezechiam, tum etiam in Deum ipſum contumelioſiſſima ferociſſimè effutit. Qvæ omnia ubi Ezechias intellexiſſet, ad preces zelô & ſtudiô, qvàm poteſt, ardentiſſimô concipiendas ſeſe ſuóſqve omnes convertit, Jehovámqve ſibi & ſuis conciliandum per Iſaiam Prophetam curat. Iſaias, Ezechiam recreaturus, ſignificat, fore, ut Sancheribus rumore aliqvô perculſus de revolvendo & remetiendo priſtino itinere cogitet, tandémqve in Aſſyriam revertatur, ubi à ſuis ipſius filiis trucidandus ſit. Intereà dum hæc Jeroſolymis geruntur, Rabſakes unà cum ſuo illo comitatu, qvem ſecum ad terrendos Jeroſolymitanos adduxerat, ad Sancheribum revertitur. At verò qvum Rabſakes in medio itinere intellexiſſet, Sancheribum Lachiſchô Libnam adventâſſe unà cum reliqvo ſuo exercitu, ipſúmqve eam jam obſidere, Libnam ipſe qvoqve advenit. Ubi Rabſakes eò adveniſſet, Sancheribus

rumores aliqvos audivit de Tirbaka Æthiopum Rege, qvi eum bellô provocaturum diceretur. Ergo postqvàm Sancheribus, his rumoribus perturbatus, constituisset illud ipsum iter remetiri, qvod anteà institerat, sícqve Tirbakæ potentissimum exercitum devitare, & tandem in Assyriam redire, novos qvosdam legatos Jerosolymam, qvàm potest citissimè, cum literis ad Ezechiam mittit. Ezechias perlectas jam literas explicat in ipso Dei Templo coram Jehova: precésqve zeli & studii in Dei gloriam propensissimi plenas coram Deo concipit. Illo ipso die Isaias significat Ezechiæ, preces ejus à Deo exauditas: priorémqve suam prophetiam pluribus exponit & confirmat, 2. Reg. XIX. XX. Ea ubi qvam fusissimè proposuisset Spiritus S. subjicit tandem vers. 35. *illâ ipsâ nocte*, qvæ videlicet diem illum subseqvuta est, *Angelum Jehovæ percussisse in castris Assyriorum centum octoginta qvinqve millia.* Atqvæ hæc his verbis 2. Chron. XXXII. 21. perstringuntur, *Jehovam ad preces Ezechiæ Regis & Isaiæ Prophetæ misisse Angelum, qvi excidisset omnes viros strenuos, antecessores seu duces, & principes, qvotqvot in Assyriorum castris essent, ipsúmqve Sancheribum Regem cum summa ignominia domum reversum, à suis ipsius filiis in idoli sui æde* qvasi in tantæ stragis vel potiùs tot tantarúmqve blasphemiarum, qvas in Deum evomuisset, piaculum, *mactatum fuisse.* Hic illius historiæ contextus primùm hoc conficere videtur, Rabsaken rediisse Jerosolymis Libnam, ibíqve reperisse Sancheribum, & Sancheribum inde nuncios qvosdam ad Ezechiam misisse cum literis, non etiam cum aliqva ulla manu.

Jam

Jam verò ex 2. Chron. xxxii. 9, conſtat, qvum Sancheribus mitteret Rabſaken Jeroſolyma *totum ſuum dominatum*; h. e. omnes ferè illos principes viros & anteceſſores atqve ſtrenuos viros, qvos ex Aſſyria ſecum adduxiſſet *ad obſidendam Lachiſchum* retinuiſſe; qvamvis aliqvam & certè ſatis gravem & magnam militum manum Rabſakæ ad terrendos Jeroſolymitanos duntaxat tradidiſſet.

Ergo & ex eo jam conſtet, omnes ferè illos ſtrenuos viros, anteceſſores & viros principes Aſſyriorum, qvi in caſtris Aſſyriorum ab Angelo trucidati ſunt, nuſqvàm à latere Sancheribi diſceſſiſſe. Deinde etiam hoc evinco ex voce *Machanéh*, qvæ vox ſingularis numeri eſt, & tamen ſi res & ſententia poſtulet, cum ſummo lepôre & uſu dualem numerum exprimere poſſit, Sancheribum una duntaxat caſtra habuiſſe; eáqve ad Libnam conſtitiſſe, qvum eò Rabſakes ad Sancheribum rediiſſet: ita, ut ſi qvid à Rabſake ab illis caſtris diſtractum fuiſſet, ad illa eadem unà cum illo redierit. Immò nec hoc aſſerere dubitavero, nuncios à Sancheribo cum literis iterum Jeroſolyma miſſos ad Ezechiam ante illam noctem ad ſuum Imperatorem Libnam rediiſſe: ut pœnas commeritas cum ſociis reliqvis participarent. Qvod ad ea mendacia attinet, qvæ Ægyptiorum ſacrificuli ad ipſum Sethonem tum Ægypti Regem & Vulcani ſacerdotem commendandum, ſuaſqve ſuperſtitiones amplificandas ex hac hiſtoria conſarcinaverunt, ita explico, ut qvum Aſſyrii Monarchiam totius Orientis anhelarent, & jam totam ferè Palæſtinam occupâſſent, & ex illa Ægyptiorum & Æthiopum auxilia exegiſſent, ipſi qvoqve Ægypto, à

qva etiam auxilia & prædia Jerosolymitani petere consveverant, impressionem gravissimam comminati fuerint. Qvin etiam Assyriis ipsis tacentibus & conqviescentibus Ægyptii, ut fuerunt semper sagacissimi, ex his bellis, qvæ Assyrii in Syria & Arabia felicissimè gesserant, colligere potuerunt, Assyrios jam Arabiæ, præsertim Petrææ & Desertæ dominos, item & Syriæ ferè totius, & ex maritima Palæstinæ ora in mediterraneas regiones jamjam irrumpentes, tandem in Ægyptum penetraturos. Ergo qvum Ægyptii certò nôssent, Assyrios Lachischum Judææ urbem obsidere, & Jerosolymis extrema qvæqve minitari, atqve ad Jerosolymorum mœnia Ægyptum ipsam nominâsse Scipionem arundinis qvassatæ, dubium non est Sethonem Ægypti Regem cogitâsse de communienda magis ac magis Pelusio, qvâ Ægyptus invadi poterat: item & de votis apud suum Idolum concipiendis. Post illa vota à Sethone apud suum Idolum concepta animatus dicitur Sethon ut Arabum & Assyriorum copiis obviam iret. Ex his verò minimè aliqvis conficiat Sancheribum Pelusium obsedisse, & in Ægyptum penetrâsse: sed Sethonem duntaxat Pelusii substitisse (ubi Mela notat † Arabiæ oras secari:) ibiqve

† Ut Lector judicare possit, ipsa Melæ verba è lib. I. c. IX. extr. p. m. 21. edit. Lugdun. Batav. M. DC. LXXXV. in 8t. v. 112. subjicio: *In littore Alexandria, Africæ contermina, Pelusium Arabiæ. Ipsas oras secant Canopicum, Bolbiticum, Sebennyticum, Pathmeticum, Mendesium, Taniticum*, Pelusiacum, *Nili ostia.* DELTA præcipua pars non modò Inferioris, in qva est, sed

ibíqve Aſſyrios in Ægyptum irrupturos expectâſse. At verò dum Ægyptii Aſſyrios Peluſii præſtolantur, Sancheribi exercitus ante Libnam Judææ urbem ab Angelo Jehovæ profligatur. Qvòd autem à muribus exeſi dicantur * Aſſyriorum arcus, pharetræ & ſcutorum habenæ, inde fortaſse natum eſt, qvòd, qvum Ægyptii miſiſsent

ſed univerſæ etiam Ægypti habetur, nomen ſortita à Δ litteræ Græcæ figura triangulari. A Peluſio ad Canopum, hoc eſt inter diſſitiſſima Nili oſtia baſis eſt, cuſpis juxta Memphin, ubi Nilus in alveos diſpenſatur. *Peluſium* qvidem extra Delta, tamen ripæ ejus alvei, qvò Delta terminatur, proximè adpoſita, nobilis urbs, à qva oſtio illi, ad ortum extremo, *Peluſiaci* nomen eſt. Proximum oſtium *Taniticum*, poſt hoc *Mendeſium*, *Phainiticum*, *Sebennyticum*, *Bolbitinum*, & ad occaſum Solis ultimum *Canopicum*, Alexandriæ proximum. Vide Cl. Dn. Chriſtoph. Cellar. Smalcaldienſ. Geographiam Antiqvam, p. m. 234. editam Jenæ M. DC. XCI. in 12.

* Joſephus, lib. x. Antiqvit. c. 1. extr. p. m. 330. B. C. edit. Colon. M. DC. XCI. in fol. ſcribit ita: *Herodotus Senacheribum contra Vulcani Sacerdotem bellum geſſiſſe dicit, nimirum qvòd idem & rex eſſet & ſacerdos*, Πολιορκῶν δὲ τὸ πηλούσιον, ἔλυσε τὴν πολιορκίαν ἐξ αἰτίας τοιαύτης, ηὔξατο δ' ὁ βασιλεὺς τῶν αἰγυπτίων τῷ θεῷ, ὁ γενόμενος ὑπήκοος ὁ θεὸς, πληγὴν ἐνσκήπτει τῷ ἄραβι. πλανᾶται γὰρ καὶ τοῦτο ἡρόδοτος οὐκ ἀσσυρίων λέγων τὸν βασιλέα, ἀλλ' ἀράβων. μυῶν γὰρ πλῆθος φησὶ μιᾷ νυκτὶ τὰ τόξα καὶ τὰ λοιπὰ ὅπλα διαφαγεῖν τῶν ἀσσυρίων. καὶ διὰ τοῦτο, μὴ ἔχοντα τὰ τόξα τὸν βασιλέα, τὴν στρατιὰν ἀπάγειν ἀπὸ τοῦ πηλουσίου. *Oppugnans, inqvit, Peluſium, hac de cauſa obſidionem ſolvit. Rex Ægyptius imploravit opem ſui numinis: qvod*

Libnam superstitiosos qvosdam homines & vanos, qvales multos habebant, qvi inqvirerent in internecionem Assyriorum, illi arcus qvosdam, item & pharetras, & habenas qvasdam scutorum exesas & detritas, sive à muribus agrestibus, qvi multi in agrum Palæstinum aliqvando eruperunt, sive ab aliis qvibusdam animantibus, sive etiam aliqvâ aliâ ratione corruptas repererunt; sícqve homines illi superstitiosi & vani hoc suo illi Idolo affinxerunt, vel eô maximè nomine qvòd Sethoni id gratissimum fore nôssent. Nec verò est, qvòd pluribus de Ægyptiorum jactantia, levitate, superstitione, vanitate & mendaciis agamus, qvum illa omnibus nota sint. Deniqve, ut tandem aliqvando historiam hanc absolvamus, Tirhakam hunc jam pridem observavi in meis ad Strabonem notis illum esse, qvi non semel ab illo *Tearcho Æthiops* appellatur.

Præcipua nostra difficultas jam expedienda restat. Difficultas illa certa habet capita, qvæ non ita facilè aliqvis explicet. Primum est, qvid veniat nomine graduum umbræ Solis in hac historia? Alterum est, an Ezechias intellexerit sibi optionem datam à Propheta *Isaia* vel revocandæ umbræ unà cum Sole per eosdem illos gradus, per qvos jam descenderat in solario Achazi; vel abripiendæ umbræ unà cum Sole ad decem usqve

alios

exoratum magnum Arabi incommodum attulit, nam & in hoc errat, qvòd pro Assyrio scribit Arabem. Unâ, inqvit, nocte murium vis tanta exstitit, ut hostium arcus & reliqva arma corroderent: qvô factum est, ut exarmatus rex à Pelusio suum exercitum abduceret.

alios gradus ſubſeqventes in illo eodem ſolario: & ſi nulla data fuerit Ezechiæ optio iſtiuſmodi, num plures qvàm duodecim, immò & qvàm octodecim, novemdecim & viginti gradus fuerint in Achazi ſolario? Tertiò diſcutiendum videtur qvidnam illud ſit, qvod *umbram abripiendam* fuiſſe dicimus, ſi illa in ſolario deſcendiſſet? Qvartum præcipuæ noſtræ difficultatis caput eſt, qvomodò Sol ejúſqve umbra in ſolario Achazi retroceſſerit? Atqve anteqvàm venio ad explicandum primum illud caput reliqváqve alia, jam hoc noto, ducentis plus minus annis ante Peloponneſiacum bellum fuiſſe horologiorum † vel etiam ſolariorum uſum aliqvem, contrà qvàm

† *Horologiorum*] Diogenes Laërtius lib. II. c. 1. Gnomonis inventum Anaximandro tribuit his verbis: εὗρε δὲ καὶ γνώμονα πρῶτος, καὶ ἔστησεν ἐπὶ τῶν σκιοθήρων ἐν Λακεδαίμονι. i. e. *Primus autem gnomonem invenit, ipſúmqve Lacedæmone in ſolariis ſtatuit.* At Plinius, lib. II. c. LXXVI. in Anaximenem id confert, *eiſdem*, auctore Aldobrandinô in notis citatum ad Laërtii locum, p. m. 79. b. edit. opt. Amſtelæd. CIↃ IↃC VIIIC. in 4to, *ferè verbis utens, qvibus Laërtius: ut dubitandum ſit, utrum apud Plinium pro Anaximene Anaximander legi debeat, an apud Laërtium pro Anaximandro Anaximenes.* Verba Plinii ſunt hæc: *Umbrarum hanc rationem, & qvam vocant gnomonicen, invenit Anaximenes Mileſius, Anaximandri (de qvo diximus) diſcipulus: primúſqve horologium; qvod adpellant ſcioтericon, Lacedæmone oſtendit.* Fredenandus Nonius Pintianus è Laërtio legit: *qvem vocant gnomonem, invenit Mileſius Anaximander, de qvo diximus, primúſqve.* Herodotus

tamen,

tamen lib. II. c. CIX. (malè enim c. XXXII. in Th. Aldobrandini notis habetur) non gnomonem solùm, sed & polum, & fortè Geometriam omnem omnino Babyloniorum inventum esse putat, ab eisqve ad Græcos fluxisse his verbis affirmat: Πόλον μὲν γὰρ, καὶ γνώμονα, καὶ τὰ δυώδεκα μέρεα τῆς ἡμέρης παρὰ Βαβυλωνίων ἔμαθον, ἕλληνες (Ægid. Menag. in notis cit. ad Laërtii locum, p. m. 76. b. pro δυώδεκα legit δώδεκα, & voci ἕλληνες præponit articulum οἱ; nos utimur Herodotô opt. Francofurti editô M. DC. VIII. in fol.) i. e. *Nam polum & gnomonem & duodecim diei partes à Babyloniis Græci didicerunt.* At non adeò antiqvam Horologii Sciotherici inventionem in Græcia fuisse, ut ad Anaximandrum, aut ejus discipulum Anaximenem referri posset, Salmasius contra Scaligerum existimabat: *cùm certum compertúmqve sit*, inqvit ille, p. m. 446. a. F. Exercitat. Plinian. in Solin. c. XXXVII. edit. opt. Traject. M. DC. LXXXIX. in fol. *plus, qvàm ducentis annis ab Anaximandri morte nec horarum nomen pro diei particulis in Græcia auditum fuisse, nec usum horologii sciotherici ullius cognitum.* Qvod pluribus ibi probare conatur argumentis; sicuti & Is. Casaubonus, I. ad Athenæum, c. I. Qvare τὰ σκιόθηρα, & γνώμονα & ὡροσκόπια (ὡρολογεῖα scriptum est apud Suidam) qvæ Anaximandrum invenisse ait Phavorinus apud Laërtium, non de horologiis sciothericis accipienda, ut interpretatur Plinius, qvi similia proculdubio apud antiqviorem scriptorem invenerat, existimabat Salmasius, sed de instrumentis Mathematicis, qvibus utebantur ad æqvinoctia & Solstitia deprehendenda, & meridianos, & anni tempestates. Confer. Menagium, loc. cit. adferentem, ὡροσκοπίῳ voce usum esse Diogenem Laërtium, pro horologio in Menedemi Vita, ubi de Diogene Cynico: ὁ γοῦν Διογένης πρὸς τὸν ἐπιδεικνύντα, αὐτῷ ὡροσκόπιον, χρήσιμον, ἔφη, τὸ ἔργον πρὸς τὸ μὴ ὑστερῆσαι δείπνου: At istum in Menedemo Diogenis locum

scripsisse videatur vir mihi amicissimus, * idémqve doctissimus: immò ut etiam omnia meliùs & faciliùs extricentur, qvæ præcipuè isti nostræ difficultati insunt, explicandum censeo secundum caput priusqvàm ad primum exponendum aggrediamur. Jam ergo probandum videatur Ezechiæ oblatam qvamdam talem optionem fuisse, qvalem suprà proposui. Scio certè viros qvosdam doctissimos ita verba illa posteriora vers. 9. c. xx. posterioris libri Regum interpretari, *Abeat* [-ne] *ista umbra decem gradibus, an retrocedat decem gradibus?* sed qvia aliqvid difficultatis in ea interpretatione agnosco, ad aliud firmius meæ interpretationis firmamentum accedo: Ezechiam vide-

locum ego eqvidem incassùm qvæsivi. Adde Victruv. lib. & c. ix. Cœl. Rhodigin. lib. xii. Lection. Antiqv. c. ix. p. m. 445. A. edit. opt. Basil. M. D. LXVI. in fol.

* Qvem per hunc intellexerit nescio. Scaliger sanè in Præfat. ad Canon. Chronol. ridet eos, qvi h. l. *horologium* intelligunt, per מעלות *maalot*, gradus palatii, vel cochleam aliqvam indigitari putans. Nobis improbabile videtur, cùm umbræ motus & ipse solis cursus non potuerint observari in gradibus palatii, vel cochlea aliqva, qvomodo tamen istos in sacris gradus comparatos fuisse oportuit; & sic horologium. Videri poterit hic Gaspar Sanctius Centumputeolanus Jesuita in Commentar. in Isa. c. xxxviii. p. m. 370. a. f. edit. Mogunt. CIↃ. IↃC. XVI. in fol. qvi præter morem hic admodùm prolixus est; brevibus autem illum examinat. B. Sebast. Schmidt in Comment. in Esai. c. cit. p. m. 331. edit. Hamburg. M. DC. XCV. in 4to.

videlicet nunqvàm in ſua reſponſione mentionem illam injecturum fuiſſe iſtiuſmodi optionis, niſi ea illi à Propheta propoſita fuiſſet. At verò etiam faciamus, Prophetam Iſaiam nullam talem optionem, qvalem ſuprà attigimus, obtuliſſe, ſemper illud evincemus ex Ezechiæ reſponſione fuiſſe decem prætereà gradus & ampliùs in ipſo Achazi ſolario, qvos Sol prætergreſſurus eſſet ut totam illius ſolarii umbram expleret, poſt qvàm Ezechias in ſua reſponſione ſubjicit *facile eſſe umbram decem gradibus inclinari*. Atqve jam ex his conficio gradus fuiſſe permultos in Achazi ſolario eóſqve non ſolùm viginti, ſed & plures qvàm viginti. Viginti certè fuiſſe gradus in Achazi ſolario ex Ezechiæ reſponſo fuiſſe liqvet. At verò qvùm ex ſolariorum conficiendorum ratione & uſu non poſſint nec etiam ſoleant cum aliqvo fructu & uſu notari ampliùs qvàm ſedecim horæ integræ, jam conjicio illos ſolarii Achazi gradus deſignâſſe & notâſſe medias horas. Atqve ex longiorum dierum ſpaciis, puto gradus in Achazi ſolario fuiſſe triginta, aut triginta duos ad ſummum. Viginti certè gradus eſſe non potuerunt qvi horas integras notarent: immò ne ſi Jeroſolyma in ſummo illo Caſio monte ſita fuiſſent, ubi Sol tam manè exoritur: qvum nec ante qvartam noctis vigiliam ibi ſeſe oſtentet.

Qvòd ſi qvis excipiat, Ezechiam hoc intellexiſſe de horis etiam illis, qvæ nocti adſcribendæ fuiſſent, reſpondeo hoc non ita admirabile futurum fuiſſe, ſi duabus duntaxat vel etiam tribus horis citiùs ſolitô nox atra incubuiſſet. At verò nec Solis ulla fuiſſet apparens in ſolario umbra per eas

ho-

horas, qvæ nocti imputandæ fuisſent: immò nec in illis ea, qvæ de abripienda umbra dicturi ſumus, ullâ ratione conſtitiſsent. Ex his igitur concludere poſſimus vel Ezechiæ oblatam fuiſse eam, qvam diximus optionem, vel certè ab ipſo Ezechia creditum eam ſibi oblatam: atqve in Achazi ſolario plures fuiſse gradus qvàm viginti, eóſqve non horas integras ſed medias notâſse. Atqve poſtremam hanc meam conjecturam confirmant eæ conficiendorum ſolariorum rationes, illíſqve uſus, cujuſmodi etiamnum hodie obtinent. Qvi enim ſolaria deſcribunt, non ſolùm horas integras delineant, ſed & medias notant; qvæ res maximos uſus etiam Achazi tempore exhibuit. His expoſitis conſeqvens eſt, ut explicemus, qvomodo Ezechias intellexerit, facile fuiſse, umbra ut inclinaret ſe decem gradibus. Inclinationem illam faciendam paulatim & ex conſveto ipſius Solis curſu nunqvàm intellexit Ezechias. Nam & in ea re nihil fuiſset inſolens, néqve miraculum ullum apparuiſset. Ergo inde ſeqvatur, intelligendum fuiſse illam umbræ inclinationem momentò faciendam ſi admiſsa fuiſset: ita ut *inclinandi* verbum *Abripi vel momentô* ſignificet, eô prorſus modô, qvô accipi videtur Exod. XXIII. 2. & aliqvot aliis locis. Reſtat jam ut exponamus, qvomodo Sol, ejúſqve umbra in Achazi ſolario retroceſserit. Video certè omnes ferè interpretes in eam propendere ſententiam, ut cenſeant umbram momentô ſurſum verſus retroceſſiſse ad initium uſqve illorum graduum per qvos deſcenderat. At verò multa efficiunt qvominùs in hac expoſitione acqvieſcam; atqve imprimis ipſa Prophetæ

phetæ Isaiæ verba collata cum illis; qvæ exstant in hac eadem historia in libris Regum explicata. At verò illa huc redeunt omnia; ut Sol, qvi umbram creaverat, & invexerat in spatia decem illorum graduum, qvos ante hanc Isaiæ Prophetiam percurrerat, eodem prorsus modò umbram illam retrocedendo creârit, & invexerit in illa eadem spatia: ita ut si Sol descendens pedetentim & sensim decem illis solarii Achaziani spaciis umbram induxerit, per illa eadem spatia retrocedens eandem eodem modô in eadem illa spatia umbram invexerit. Ergo si Sol descendens, momentô non descenderit, nec etiam momentò retrocesserit: item & si Sol umbram ipsam pedetentim inter descendendum spaciis solarii Achaziani induxerit; etiam pedetentim illam ipsam umbram in eadem illa spatia invexerit. Hæc ipsa arguunt verba illa Isaiæ Prophetæ disertissima, c. XXXVIII. 8. *En ego reverti facio umbram ipsorum graduum [per] qvos descendit [Sol,] per gradus Achazi unà cum Sole ipso retrorsum, decem gradibus. Et reversus est Sol ipse decem gradibus per ipsos gradus [per] qvos descenderat.* Superiora illa, qvæ suprà notavi verissima deprehendas, si his paucis Isaiæ verbis adjunxeris illa 2 Reg. XX. 9. *Et dixit Isaias, Hoc [erit] tibi signum ipsum a Jehova qvod facturus sit Jehova verbum ipsum qvod loqvutus est, Perrexit umbra ipsa decem gradibus, an revertatur decem gradibus?* & vers. 10. *Et dixit* (i. e. respondit) *Ezechias, Facile [est] umbræ ipsi inclinare se decem gradibus: [ergo] minimè [hoc fiat,] immò potiùs revertatur ipsa umbra retrorsum decem gradibus.* & vers. 11. *Et inclamavit Isaias Propheta ad Jehovam;*

&

& reverti fecit umbram ipsum per gradus illos, [per] qvos descenderat [Sol] in gradibus Achazi, retrorsum decem gradibus.

Nam qvid aliud sibi velint illa, Umbram eamdem eorumdem graduum reverti per eosdem gradus unà cum ipso Sole, atqve hoc ipsum ita præstitum, nisi Solem per eadem vestigia eôdem prorsus modô retrocessisse, qvô jam per illa descenderat? At verò si momentô hæc peracta fuerint, qvínam hoc verum fuerit ut Sol & umbra retrocedere apparuerint. Qvod me in hac interpretatione maximè confirmat, est ipsa signi & rei promissæ analogia. Si enim, Sol descendens per decem gradus, qvorum qvisqve mediam horam notaret, qvinqve horas integras confecerat, per illos eosdem gradus retrocedens, & rursum per illos eosdem gradus descendens decem horas integras, qvinqve illis adjecit, sícqve qvindecim horas integras repræsentavit, qvæ qvindecim annos promissos appositissimè significarent & confirmarent. Certè siqvis constantiùs perneget ex verbis, qvæ exstant in historia Regum & apud Isaiam Prophetam, confirmari qvod diximus, nimirum Solis umbram æqvè sensim & pedetentim retrocessisse per illos eosdem decem gradus, per qvos descenderat; non video qvænam esse potuerit analogia inter rem promissam & illius signum. Ceterùm, siqvis malit ad diem illum absolvendum reliqvas fuisse horas qvinqve, qvibus additæ fuerint decem post priores ex retrocessione ortæ, semper hoc constabit, qvod præcipuè in hac historia reqvisivimus; nimirum gradus solarii Achazi medias horas non autem integras notâsse. Verùm mihi

mihi magis placuerit prior illa interpretatio, vel eô maximè nomine, qvòd ea res ita gesta signum ipsum & miraculum illustrius reddiderit: præsertim si Sol ita pedetentim & sensim ad ortus sui locum remeare visus fuerit, & remeando contrarias umbras exhibere.

CAP. IV.

Interpretatio & expositio ex professo & præcipuè suscepta in versum 14 & 26. c. VIII. Daniel. & per accessionem in multos versus illius c. & in c. I. & IV. lib. 1. Maccab. & in c. V. VI. & X. libri 2. Maccab.

QVia post volumen Prophetarum posteriorum, Hebræi in suo Canone librum Scriptorum Hagiographorum subnectunt, visum est ex illo qvoqve deligere locum, qvi exstat Dan. VIII. 14. vel eâ maximè gratiâ, qvòd Josephus Scaliger, vir doctissimus & solertissimus temporum indagator, mihíqve multis nominibus conjunctissimus, in eo libro, quem de Temporum Emendatione inscripsit, eum unum locum in toto Daniele sibi obscurum & inextricabilem videri ingenuè profitetur, atqve elegantissimè omnes qvæ vulgò ad eum locum adferuntur explicationes confutat. At verò ut nostram hanc interpretationem ad illum locum accommodatissimam probemus, paucis qvæ illo capite Danielis prædicuntur, perstringemus. Daniel certè eô capite insignem habet prophetiam de eversione monarchiæ illius, in qvam unam Medorum & Persarum imperium confluxerat, & de

de monarchiæ Græcæ primordiis & progressu: qvomodóqve hæc in illius locum substituta ab uno Alexandro inceperit, & eô mortuô in qvatuor qvibusdam familiis ita aliqvamdiu perseverârit, ut aliqvot pòst annis ex earum una, ex ea videlicet, qvæ Syriæ imperabat, rex qvidam (qvi *Antiochus* nominatus est, & veriùs *Epimanes* qvàm *Epiphanes* agnominatus) exstiterit, qvi gravissimè & diutissimè Ecclesiam Judaicam afflixerit: immò & religiosos illius ritus atqve adeò Juge ipsum sacrificium aboleverit, & in eorum locum Idolum Jovis Olympii, ejúsqve sacrificia in Sacro ipso Jerosolymorum Templo suffecerit. Ut verò postrema hæc vel ipso auditu, nedum visu horrenda fuerint, Angelus qvidam in gratiam Danielis alterum qvemdam interrogavit de temporis spatio, per qvod duratura esset illa tam indigna sacrificii Jugis abolitio & intermissio, & tam horrenda Mosaicorum & sanctorum rituum in ipso Templo abrogatio, & tam abominanda Idoli illius Jovis Olympii in sacrosancto Dei Templo adoratio, & sacrificiorum profanorum ad illius aram sacrosancto altari impositam tam detestanda repetitio. Ergo alter Angelus Danieli respondisse dicitur, postrema ista *usqve ad bis mille trecenta vesperum manè* duratura: & exactis illis Templum Jerosolymitanum expurgatum sacrosancto suo usui restitutum iri. Sic igitur interpretari & exponere libet versum illum 14. c. VIII. Dan. *Et dixit ad me, usqve ad vesperum manè bis mille trecenta: posteà justificabitur Sanctum.* i. e. Scito, mi Daniel, visionem illam, qvæ spectat Jugé sacrificium, & scelus,

E qvod

qvod tantam desolationem invehet. ut ponatur Sanctuarium & exercitus in proculcationem, duraturam per tot dies, qvot opus est ad offerendos bis mille Jugis † sacrificii agnos, ita tamen ut agnos matutinos à vespertinis distingvas: exactíssqve illis diebus Sanctuarium repurgandum, pristinóqve splendori & usui restituendum. Sic qvoqve interpretari & exponere libet ejusdem illius VIII. c. v. 26. *Visio autem illius vesperi & illius manè qvæ dicta est, veritas est: & tu occludito visionem hanc, qvia ad dies multos* [est.] i. e. Visio verò illa, qvam propositam audivisti de agnis bis mille trecentis partim vespertinis partim matutinis, diebúsqve illis, qvi sufficiant tot agnis ex Jugis sacrificii ritu immolandis, prorsus vera est. At verò visionem hanc reconditam asservandam curato: nam non nisi permultis exactis annis implenda est. Omnes certè interpretes, qvos videre licuit, sumunt *vesperum manè* pro νυχθημέρῳ seu die naturali, ita ut intelligant bis mille trecentos dies i. e. annos solares plus minùs sex, & prætereà dies centum & decem seu menses tres & amplius. Illos verò annos & menses non posse qvadrare in hanc prophetiam apparet ex rebus gestis Antiochi illius Epiphanis seu potiùs Epimanis (cui

† Adprobat & laudat Bertrami sententiam B. noster D. Christoph. Helvicus in Vindicatione Locor. V. T. qvam inseruimus Fasci nostro IV. p. m. 310. utrumqve citavit B. Glassius, lib. I. Philolog. Tract. I. Locô LXXIII. p. m. 115. s. nec rejiciunt B. Geier in Comment. h. l. p. m. 622. edit. Lipsiens. CIↃ. IↃC. LXVII. in 4to. B. Walther. in Harmon. Bibl. p. m. 630. edit. Norib. M. DC. LIV. in 4to.

(cui prorſus attribuendum eſt hujus prophetiæ implementum) ut illæ deſcribuntur in utroqve Maccabæorum libro, atqve adeò apud Joſephum & reliqvos alios profanos ſcriptores. Nam ſi ab anno Seleucidarum centeſimo trigeſimo ſeptimo corruptionem & prophanationem rituum Judaicorum, qvæ Antiocho Epiphani attribuenda eſt, aſſumas, ejúſqve corruptionis & profanationis progreſſus & incrementa perducas ad annum centeſimum qvadrageſimum octavum, qvô Jeroſlymitanum Templum expurgatum fuit (ut poſteà rurſum repetemus) omnino decem anni integri intercedent, non autem ſex duntaxat. Corruptionem autem & profanationem illam rituum Judaicorum cœpiſſe illô centeſimô trigeſimô ſeptimô annô Seleucidarum, apparet ex verbis illis, qvæ exſtant lib. 1. Maccab. 1. 11. & 12. ubi ſtatim poſt notatum annum *centeſimum triceſimum ſeptimum* ſubjiciuntur illa, *Diebus illis exiêrunt ex Iſraele homines iniqvi*, &c. Atqve hæc temporum ſeries confirmari poſſit ex eo, qvod ſcribitur 2 Macch. IV. 7. & ſeqventibus verſibus, & ex ea rerum geſtarum multitudine & amplitudine, qvæ illis verſibus proponitur, atqve ex ea temporum notatione, qvalis etiam exprimitur verſu 23. Qvòd ſi qvis annos illos ab anno centeſimo qvadrageſimo tertio, qvô Antiochus Templum profanare cœpit, ad annum centeſimum qvadrageſimum octavum extendat, qvinqve duntaxat integros annos interſeri reperiat. Sed non eſt, qvòd in hac annorum notatione refellenda tantoperè laboremus, qvum verba Danielis eò inclinare videantur, ut, qvod ille dixerit de tempore præſcripto

durationi *visionis*, *quæ spectat Juge sacrificium & scelus desolans*, *ut ponatur Sanctuarium & exercitus in proculcationem*, Dan. VIII. 13. illud, inqvam, ipsum restrictum fuerit *ad abolitionem Jugis sacrificii*, & *ad collationem abominationis desolationem invehentis*, Dan. XII. 11. ita ut tempus illud, qvo de agitur, non pertineat ad corruptionem & profanationem illam, qvam invexerunt qvidam ex populo Dei, de qva aliqvid exstat 1 Macc. 1. 12. nec etiam ad ipsius Templi utensiliúmqve & thesaurorum ejus expilationem ab Antiocho admissam, ut perstringitur 1. Macc. 1. 21, 22. 23. & 24. sed ad illam summam rituum Sacrorum abrogationem, qvæ attingitur 1. Maccab. 1. 30. & seq. qvam proximè subseqvuta est Idoli Jovis Olympii exstructio, & collocatio in Templo, illiúsqve adoratio & cultus, 1. Macc. 1. 57. seq. sed præter ceteros v. 62. Ergo intra illos limites videtur continendum & constringendum tempus illud, nimirum intra annum Seleucidarum centesimum qvadragesimum qvintum & centesimum qvadragesimum octavum. Ergo qvum penitiùs illa expendissem, putavi, qvæ de tempore præscribuntur, appositissimè & accommodatissimè qvadratura omnia, si *Vesperum* pro *sacrificio vespertino*, & *Manè* pro *sacrificio matutino* sumeretur, & utraqve vox duo sacrificia inter se distincta significaret; sícqve sacrificia intelligerentur bis mille trecenta. At verò, qvia singulis diebus bina illa fiebant, jam ex binis sacrificiis hujusmodi bis mille trecentis indicabuntur mille centum qvinqvaginta dies, qvi qvidem dies efficiunt solares annos plus minùs tres & dies qvinqvaginta

qvin-

qvinqve, per qvos annos tres & dies qvinqvaginta qvinqve abolitum & sublatum jacuisse dicimus Juge ipsum sacrificium Templi Jerosolymitani. Verùm, ut qvæ proponimus, liqvidò omnibus constent, superiores illas historias retexere visum est, qvæ certissimas habent temporum notationes in utroqve Maccabæorum libro, atqve apud Josephum, & qvæ proximè hujus prophetiæ implementum præcesserunt.

Qvum ergo Antiochus Epiphanes annô Seleucidarum centesimô trigesimô septimô Syriæ regnô potiri cœpisset, 1 Macc. I. 11. & 2 Macc. IV. 7. Jesus qvi & *Jasonem* se appellari voluit, ex genere Sacerdotali, Oniæ summi sacerdotis frater, ingenti pecuniæ vi Summum sacerdotium Oniæ ademptum ab Antiocho emit, & pedetentim Græcorum instituta in Dei populum invexit: Antiochúmqve, qvibus potuit rationibus, sibi conciliavit, ipsúmqve tandem magnificentissimè Jerosolymis excepit, 2 Macc. IV. 22. ubi & subjicitur, tertiò pòst annô Menelaum Iasonis fratrem ita qvoqve se in Antiochi gratiam & amicitiam insinuâsse, ut summum sacerdotium fratri Iasoni pessimis suis artibus ademptum & Antiochi decreto sibi vindicârit. Tertium autem illum annum etiam ab inauguratione Antiochi Epiphanis accipere ausim, qvòd Menelaus istiusmodi interfectus aut certè ab Antiocho Eupatore interfici jussus dicatur post decimum annum sui principatus, ut hoc observat Josephus, Antiq. Jud. lib. XII. c. XIV. ex Rufini notatione, & in Græca editione, c. XV. Atqve postqvàm Menelai successionem attingo, non gravabor hic etiam

interserere, Oniam illum virum bonum (utriúsqve hujus prædonis fratrem) cujus fit honorificentissima mentio 2. Macc. III. & IV. Iasonem etiam illum, qvi & *Jesu* Hebræis dicebatur, & Menelaum hunc, qvi Hebræis *Onias* nominabatur, fratres fuisse ex eodem Simone, Summo item qvondam Sacerdote: Lysimachum autem, qvem sibi Legatum & suppræfectum ascivit Menelaus, vel etiam in profectione illa, qvam ad Antiochum unà cum Sostrato suscepit, vicarium reliqvit, vel fuisse cognatum; vel certè ex altero duntaxat parente fratrem: ita ut ex his etiam efficiam locum, qui exstat 2. Macc. IV. 23. hôc modô exponendum esse, ut Menelaus ille, qvi & idem *Onias* appellabatur (ut jam perstrinximus) filius dicatur Simonis, Summi qvondam sacerdotis, cujus in historia fusiore, qvæ in hoc compendium libri posterioris Maccabæorum contracta est, aliqva facta fuisset mentio, & qvæ postea in isto compendio omissa est, frater verò illius Oniæ & Iasonis fuerit. Alterum etiam ex superioribus colligo, nimirum Lysimachum illô eôdem capite, v. 28. legatum potiùs & vicarium intelligendum fuisse, qvàm perpetuum qvemdam successorem: qvod & Græca vox, qvæ ibi à compendiario illius historiæ descriptore usurpatur, disertissimè declarat, item & illud, qvod Lysimachi sacrilegia Menelao imputantur, eáqve ex Menelai decreto, consilio & sententia admissa dicantur. At verò ex Politia Hebræorum Ecclesiastica, ejúsqve legibus constat, unum atqve alterum fuisse Summo sacerdoti legatum, qui Summi ipsius sacerdotis dignitatem & auctoritatem nullo

nullo modô imminueret, ut illud fusiùs in nostro libello de Politia Judaica explicamus. Ergo Menelaus ita Iasoni fratri Summum sacerdotium ademit, ut ipse in perversissimis fratris Iasonis institutis perseveraverit, immò & illa prorsus auxerit & cumulaverit; atqve Lysimachum ad illud idem perficiendum legatum sibi, per omnia cognatum adhibuerit: Qvæ omnia effecerunt, ut Antiochus à Popilio ex Ægypto ejectus annô Seleucidarum centesimô qvadragesimô tertiô, & Jerosolyma ingressus urbem & Templum, ejúsqve utensilia & thesauros expilârit, gravissimásqve calamitates universo Judæorum populo inflixerit: & inde ingentissimam pecuniæ vim Antiochiam asportans, Jerosolymis præfectum reliqverit Phrygium qvendam, nomine Philippum, & Garicis Andronicum, qvi Menelai operâ uterentur ad populum Hebræum Antiocho ejúsqve tyrannidi mancipandum, 1 Macc. 1. 21. & s. & 2. Macc. v. 12. & s. Duobus pòst annis (i e. annô Seleucidarum centesimô gradragesimô qvintô) Antiochus misit Jerosolyma Apollonium præfectum tributis colligendis, cum viginti duobus hominum millibus, qvi subdolè Jerosolymitanos adortus est. Nam se suámqve sævitiam continuisse dicitur ad Sabbatum usqve, qvô qvidem die Judæos feriantes, & suis sacris, qvâ tunc poterant ratione, operantes, oppressit, eáqve Sacra, qvæ illis tum reliqva erant, ita interturbavit, ut eô Sabbati die prorsus omnia Judæorum Sacra cessârint, atqve adeò Juge ipsum sacrificium, & duæ illius hostiæ, vespertina videlicet & matutina: ac humanô sangvine, eôqve innocente, Sacro-

sanctum ipsum Templum contaminatum fuerit, ut constat ex 1. Macc. 1. 30. & s. & 2 Macc. v. 24. Paulò post illam Sacrorum abolitionem tempore Antiochus misit Jerosolyma Senem qvendam & veteratorem Atheniensem, qvi Judæis significaret edictum illud, qvô Antiochus sanxisset, ut Hebræi abolitis & missis factis omnibus suis Sacris & ritibus, Græcorum idololatricos cultus admitterent & celebrarent: curarétqve Jovis Olympii Idolum exstruendum, arámqve illi substernendam, qvæ imponeretur Sacro altari: qvæ duo posteriora perfecisse dicitur ad decimamqvintam diem mensis Cislevi (qvi à Novembris nostri novilunio incipit) annô illô Seleucidarum centesimô qvadragesimô qvintô, ut constat ex 1. Mac. 1. 43. s. & 2. Macc. vi. 1. s. Eôdem illô annô & mense, ejúsqve mensis Cislevi die xxv. Antiochus ipse Antiochiâ reversus Jerosolyma, Idolo illi Jovis Olympii ad aram illam, qvæ Sacro altari imposita fuerat, sacrificare incepit, & Hebræos, qvâ potuit ratione adsacrificandum illi Idolo, violandósqve sacros Legis Mosaicæ ritus adegit, 1 Macc. 1. 62. s. & 2. Macc. vi. 4. s. immo & totô c. vii. His omnibus, sævissimâqve Antiochi tyrannide commotus Mattathias, ejúsqve filii, reliqvíqve viri pii, adeò strenuè tyranno illi ejúsqve imperatoribus & præfectis restiterunt, ut recuperarâ Jerosolyma Templúmqve ipsum repurgârint annô Seleucidarum centesimô qvadragesimô octavô die mensis Cislevi vigesimâ qvintâ, ejúsqve diei matutinô tempore matutinam Jugis sacrificii hostiam Sacro altari imposuerint & obtulerint, eôdem videlicet illô die, qvô Idolo Jovis Olympii in ipso templo tri-

tribus antè annis primùm ſacrificatum fuerat, ut apparet ex 1. Macc. iv. 53. ſ. & 2. Macc. x. 5. ſ. Jam verò, ut ſuperiora illa omnia ad noſtrum propoſitum accommodemus, ex illis primùm hoc liqvet, Sacros conventus & ritus, ſacrificiorúmqve & victimarum oblationes non antè ceſſâſſe, qvàm Apollonius annô Seleucidarum centeſimô qvadrageſimô qvintô Jeroſolyma adveniſſet, Judæóſqve ſuis Sacris operantes & vacantes oppreſſiſſet & trucidâſſet. Voces enim illas ἀργοῦντας & ἐξελθόντας ἐπὶ τὴν θεωρίαν, 2. Macc. v. 25. & 26. ita inter ſe comparo, ut alias ex aliis interpreter. Ergo primùm ad vocem ἀργοῦντας non qvamlibet *ceßationem* & *feriationem* intelligo, ſed illam, qvæ Judæis Sacroſancta erat, & qvâ ita ab ordinariis ſuis operibus & negotiis, occupationibúſqve qvotidianis ceſſabant, ut toti occuparentur in Dei operibus meditandis & exercendis, atqve adeò in illis ad ſacrum Dei Templum peragendis, qvibus Sacroſanctus Dei cultus conſtabat, & qvibus oblationes à Deo præceptæ ipſi exhibebantur, & ad Sacrum altare adolebantur. Deinde ad vocem θεωρίαν eam intelligo divinarum rerum obſervationem, qvâ in illis ſenſum reconditum & myſticum animis noſtris infuſum optamus, qvi nos in cælum ſubvehat, propéqve Deum cernendum, ejúſqve ſanctiſſimam voluntatem pernoſcendam nobis contemplantibus præbeat. Vocem illam Græcam hanc eandem habere ſignificationem apud Græcos auctores cùm prophanos tum ſacros illis notum eſt, qvi lingvam Græcam addidicerunt, animadverterúntqve ἀναγωγὴν & θεωρίαν ſatis freqventer hoc ſenſu accipi. At verò Judæorum

 rum

rum sacros cultos & ritus istis vocibus maximè propriè venire nemo dubitabit. qvi qvietes illis præscriptas, rituúmqve omnium atqve oblationum seu sacrificiorum cujúsvis generis ceremonias ad suos fontes, usus & fines revocaverit, umbrásqve omnes Judaicas ad sua corpora accommodârit, earúmqve significationes cum ipsa veritate composuerit & conjunxerit. Versum ergo illum 25. c. v. lib. 2. Macc. sic interpretor, *Hic autem qvum venisset Jerosolyma, simulans se pacificum, cohibuit se usqve ad diem sanctum Sabbati, qvô occupans Judæos feriantes milites illos, qvi ipsi parebant, armari mandavit, &* v. 26. *Eósqve omnes, qvi ad divinarum rerum observationem [ex suis ædibus] exiêrant, confodit; & qvum per civitatem cum armis discurreret magnam peremit multitudinem.* Ex illa etiam historiæ serie apparet, tempus exiguum intercessisse inter illam Apollonii stragem conjunctam cum Sacrorum rituum atqve adeò Jugis sacrificii oblatione, & adventum Senis illius Atheniensis: deinde & aliud inter senis illius adventum & Idoli aræqve illius exstructionem; deinde & aliud, decem dierum videlicet, inter Idoli illius exstructionem aræqve ipsius & Idoli adorationem: deniqve & totos tres annos intercedere inter primam Idoli Jovis Olympii adorationem, & Templi Jerosolymitani repurgationem. Ergo ex hac nostra illorum trium annorum & qvinqvaginta qvinqve dierum supputatione in ista historiæ serie, qvam jam à calce ad carceres revehemus, primùm tres annos integros agnoscimus, deinde & ex diebus qvinqvaginta qvinqve decem: ita ut qvadraginta qvinqve alii dies, qvi restant, & inter-

intersunt inter Apollonii stragem & Idoli aræqve ejus exstructionem, tribuendi videantur partim profectioni illi Jerosolyma, qvam Antiochia (ut conjicio) ex mandato Antiochi Senex ille Atheniensis suscepit, partim illi, qvam ipse Antiochus posteà Antiochia eandem habuit. Immò & illud ex illa eadem historiæ serie liquidò constat, ut postqvàm Apollonius Judæos in media Sabbati qviete & celebratione interceperit & occupaverit, ut illis illo die reliqva esset ex Jugi sacrificio oblatio vespertina, non malè Daniel à vespertina oblatione numerandarum earum oblationum, qvæ abolitæ essent, initium sumpserit; meritóqve posteà Judas Maccabæus ob interceptam & interturbatam ab Apollonio matutinæ oblationis actionem & consumptionem, earum oblationum repetitionem & restitutionem ab eadem illa matutina oblatione inceperit: immò & eo maximè nomine, ut semper constaret, eodem die repetitum fuisse Juge sacrificium, qvo fuisset interruptum. Atqve ex his nemo non videt 2. Macc. x. 3. legendum esse μετὰ τριετῆ χρόνον i. e. *post triennium*, non μετὰ διετῆ χρόνον i. e. *post biennium*: ibidémqve vel prætermittendas voces illas προσέτι καὶ μῆνας ἕξ, id est *insuper & [post] menses sex*, vel pro illis legendum esse προσέτι καὶ μῆνας δύο i. e. *insuper & duobus [post] mensibus*. Nam qvinqvaginta qvinqve dies, duos Hebræorum menses eósqve integros ferè explent. Certè Josephus, ubi hujus prophetiæ Danielis, qvam interpretamur & exponimus, meminit libr. Antiq. Judaic. x. c. xii. & implementi illius, lib. xii. c. xi. nusqvàm nisi *trium annorum* meminit, qvos ter di-

disertissimè exprimit; ita ut ad trium illorum annorum notationem exigendus videatur numerus ille dierum, qvem designare voluit; legendúsqve sit 1095. dierum, non autem 1295. ut habet exemplar Græcum, aut 1266. ut habet Rufini interpretatio. Sed de ea re pluribus in illis notis, qvas jam pridem in omnes Josephi libros meditati sumus, atqve aliqvando, si Deus dederit, edemus. At verò intereà, dum illæ prodeunt, † hîc illud perstringam, fieri posse, ut Josephus locum hunc nostrum Danielis, de qvo ipse se agere disertè testatur cap. illo XII. lib. Antiq. Jud. X. confuderit cum illo, qvi, exstat Danielis XII. 11. qvem etiam libentissimè hîc cum isto nostro conferrem, permultáqve alia cùm ipsius Danielis, tum etiam aliorum librorum Sacrorum, nisi vererer, ne nimium excresceret libellus iste noster. Ergo siqvid ad eum locum, qvem hîc præcipuè declarandum suscepimus, atqve ad aliqva alia, qvæ indicavimus, præter ea, qvæ jam proposuimus, desideretur, visum est illa omnia ingenti illi moli, qvam jam pridem comparamus, reservare.

CAP.

† At doctissimò hôc virò post sexennium Lausannæ, qvò à Bernatum Republ. evocatus fuerat, mortuò simul etiam promissæ in Josephum notæ desiêrunt.

CAP. V.

Interpretatio & expositio ex professo & præcipuè suscepta in verf. 9. aliàs 8. illius Prologi libri Ecclesiastici, qvi propriè tribuendus est illi, qvi librum illum in Græcum sermonem ex Hebræo transtulit, & per accessionem in verf. 29. c. L.

QVum etiam operam aliqvam navârim recognoscendis libris Apocryphis, ut ex superiori capite qvivis deprehendere possit, locum qvoqve aliqvem ex illis libris in hunc nostrum libellum transcribere visum est: atqve adeò ex eo libro, qvi præter ceteros apud omnes Theologos cùm Græcos tum Latinos maximo in pretio est, & cujus auctor apud nostros Hebræos celeberrimus est. Qvod & effecit, ut in eo enucleando & revolvendo atqve cum qvibusdam aliis libris conferendo, qvàm potui, accuratissimè laboraverim. Liber iste ille est, qvi vulgò Ecclesiasticus seu Sapientia Jesu filii Sirach appellatur. Ergo v. 9. (qvem alii octavum esse volunt) illius Prologi libri Ecclesiastici, qvi propriè tribuendus est illi, qvi librum ipsum ex Hebræo sermone in Græcum transtulit, interpretationem & expositionem paucis jam perstringemus. Versum verò illum sic interpretor. *Nam trigesimô octavô pòst annô, qvum jam sub Euergete Rege in Ægyptum advenissem, ibiqve jam aliqvamdiu commoratus essem, comperi [scriptum illud] non mediocrem eruditionem exprimere.* Horum autem verborum hic videtur esse sensus, *Vos ergo, lectores benevoli, rogatos velim, ut*

cum

vum benevolentia & aeqvanimitate legatis meam hanc translationem Graecam libri illius, qvem avus meus Jesus aliqvando Hebraicâ lingvâ conscripsit, mihiqve condonetis, si Hebraicum libri illius stylum minùs feliciter Graecô sermone expresserim, & qvòd mihi bonum conscius tantum támqve arduum opus aggressus fuerim. Qvum enim trigesimus octavus annus ageretur, ex qvo liber ille ab avo meo Jesu Hebraicô sermone conscriptus fuisset, egóqve jam dudum sub Euergete Rege in Ægyptum advenissem, ibiqve aliqvamdiù jam commoratus fuissem, comperi librum illum Hebraicô sermone conscriptum tantam támqve insignem eruditionem exprimere & qvasi ex vero effingere, ut maximè necessarium arbitratus sim, ut ipse studii aliqvid & laboris ad librum illum Graecô sermone interpretandum conferrem. Ut verò hæc omnia meliùs intelligantur, primùm præfabor constare ex multis libri ipsius Ecclesiastici locis, aliqvótqve aliis aliorum scriptorum, Jesum filium Sirách, qvi Hebraicô sermone librum hunc, qvem appellamus *Ecclesiasticum*, & *Sapientiam Jesu filii Sirách* (& qvem alii contendunt appellatum fuisse *Sapientiam Panareton*, ut titulô ipsô omnia virtutum genera profiteretur) fuisse filium Eleazari, qvi à qvibusdam existimatur Eleazarus ille, qvi in Summo sacerdotio successit Simoni illi, qvem qvidam *Justum*, alii *Priscum* agnominant, & qvem fratrem habuit, Eleazarus, inqvam, ille, ad qvem Ptolemæus Philadelphus decimô septimô sui imperii annô de Septuaginta Legis interpretibus rescripsit. Qvod qvidem si verum sit, meritò *Jerosolymitanum* appellare potuerit, Ecclesiast. 1. 29. Eleazarus idem ille, meô judiciô,

pro-

provectæ ætatis fuit, qvum fratri Simoni succederet: qvippe qvi non ita diu Summô sacerdotiô functus fuerit; illúdqve ex eo constet, qvòd Eleazarô vita functô Onias Simonis Justi filius nondum eâ ætate fuerit, ut Summô sacerdotiô fungi potuerit, ita ut ad Manassem patruum Eleazari Summum sacerdotium translatum fuerit. Ergo ex illis liqvere possit, Eleazarum illum hunc nostrum Jesum, qvi Hebraicô sermone Ecclesiasticum conscripsit, filium habuisse jam grandævum, qvum Septuaginta illos Legis interpretes ad Philadelphum mitteret, eâqve ætate tum fuisse, ut ille librum suum conscribere inceperit, tandémqve sub annum vicesimum, aut vicesimum primum, aut etiam vicesimum secundum Ptolemæi illius Philadelphi illum absolverit. Postea verò alter ille Jesus, ejus, cujus proximè meminimus, nepos librum avi ex Hebraico sermone in Græcum transtulerit annô vicesimô Ptolemæi illius, qvi *prior Euergetes* dictus est. Verumenimverò postqvàm Jesus ille prior & avus, qvi etiam *filius Sirách*, appellatur, neqve dum Simonis meminit Eccles. L. 1. cognationem aliqvam aut agnationem ab eô notat, neqve dum se Eleazari filium agnoscit, & *Jerosolymitanum* appellat illius cap. L. 29. Leviticæ Tribus aut Sacerdotalis generis mentionem ullam injicit, videri possit, Jesum illum avum ex aliis progenitoribus fuisse, qvàm ex iis, qvi ad Simonem illum aut Eleazarum, qvi ex Summorum sacerdotum genere essent, genus referrent. Ergo Jesus ille avus, filius Sirách videtur ille esse, qvi ab Hebræis nostris *Ben Sirá* nominatur, cujus genus
He-

Hebræi noſtri ad Jeremiam Prophetam referunt: qvaſi Jeſus ille Ben Sirá patrem habuerit Eleazarum, qvi tandem Hanathothis Jeroſolyma conceſſerit, ibíqve habitaverit, & dum ibi habitaret, librum illum conſcripſerit. Ejus autem nepos ejuſdem cum eo nominis librum hunc ex Hebraico ſermone in Græcum tranſtulit trigeſimô octavô annô poſtqvàm Jeſus ille avus eum Hebraicè conſcripſiſſet, ídqve qvum jam Jeſus iſte nepos viveret in Ægypto, & jamdudum Ptolemæus ille, qvi *prior Euergetes* dictus eſt, regnô inauguratus eſſet, ac jam ad ſui imperii finem inclinaret. Atqve ex ſuperiore illá generis utriúſqve noſtri Jeſu deſcriptione, avi videlicet & nepotis, videri poſſit, vel eumdem eſſe Sirách & Eleazarum, vel totum illud complexum *Filium Sirách* agnomen fuiſſe Jeſu illius avi. At verò ſi Eleazarum illum fratrem & ſucceſſorem Simonis Juſti ſeu Priſci, *filium Sirách* ſeu *Ben Sirá* appellatum fuiſſe velimus, illud reſpiciet Græcam illam Legis interpretationem, ad qvam communiendam vel etiam, ſi velis, depectendam & excutiendam ille Septuaginta illos interpretes ſummâ diligentiâ & conſiliô ſingulari delegerit & adhibuerit. Sin malimus unum illum Jeſum avum vocatum fuiſſe *filium Sirách* ſeu *Ben Sirá*, illud reſpiciet graves illas ſententias, qvas undiqvaqve Jeſus ille avus collegit, in eum præcipuè finem ut illæ ſpinarum & ſepium inſtar Legis ipſius genuinum & verum ſenſum exhiberent, coërcerent ac retinerent, atqve qvaſi cautionum qvarumdam inſtar homines iſtos à Legis divinæ prævaricationibus arcerent; immò etiam (ſi *Depe-*

ctendi

ctendi & *Carminandi* significatio voci *Sirach* accommodanda sit) genuinum Scripturæ sacræ sensum & usum verum & germanum excuterent & exhiberent. Vox enim *Sira* non solùm *Sepimenti ex spinis & vepribus constructi*. sed & *carminationis & depexus* significationem (qvæ posterior maximè propriè in vocem *Sirách* competit) admittere potest, ut statim subjiciemus.

Certè ad superiorem illam declarationem, qvâ complexus ille *filius Sirách* & Eleazaro & Jesu ipsi accommodari potest, maximè me invitat, qvòd illo vers. 29. c. L. qvem jam notavimus, statim post υἱὸς Σειρὰχ proximè subjicitur Ἐλεαζάρου, qvasi eâ phrasi indicetur vel illud *filius Sirách* pertinere ad Jesum illum avum, vel illam vocem *Sirách* ad Eleazarum referendam esse. Porro, qvod attinet ad prius etymum, qvod voci *Sirách* attribuimus, & ad *sepimenti* significationem accommodavimus, Græci scriptores pro terminatione nuda *a*, * suppoſuisse videntur *ach*, non solùm ne nomen feminæ alicujus reputaretur: sed etiam inde hoc natum videatur qvòd literæ gutturales facilè inter se commutari possint. Qvod verò ad posteriorem etymi rationem & *Depexus* seu *Carminationis* significationem spectat, ita qvidem integra illa vox *Sirách* in hoc libro scribatur; at verò à nostris Rabbinis seu Talmudisticis scriptoribus detractam vel omissam fuisse postremam literam in voce *Sirá* effecta à *Sirách*

F dicere

* In edit. Amstelæd. Tom. VIII. Critic. part. II. col. m. 72. lego: *pro terminatione nuda* ach *suppoſuisse videntur* hac; qvàm rectè Lector judicet.

dicere possimus ex illo usu, qvô creberrimô postremas vocum literas vel prætermittunt vel prorsus resecant. At verò si hæc etiam accommodare libet posteriori descriptioni generis utriúsqve illius Jesu, avi videlicet & nepotis, omnino æqvè bene qvadrare possint: ita ut ille Ben Sirá, & si qvis velit noster hic Jesus *filius Sirách* ex posteris Jeremiæ, Hebraicè *Ben Sirá* appellatus fuerit, ob graves illas sententias, qvas undiqvaqve conqvisiêrit, ut illæ spinarum & sepium instar Legis ipsius genuinum & verum sensum exhiberent, coërcerent ac retinerent, atqve qvasi cautionum qvarumdam instar homines ipsos à Legis divinæ prævaricationibus arcerent: vel etiam, si malis, qvæ genuinum Scripturæ sacræ sensum, illiúsqve verum & germanum usum excuterent & proponerent. Deniqve in hac nostræ interpretationis & expositionis explicatione Hebraicum sermonem non solùm genuinum & primarium Hebræorum sermonem, sed & secundarium, qvi propriè *Chaldæus* appellatur, intelligimus. Porrò, aliqvando mihi venit in mentem ut *trigesimum octavum* istum *annum* ad ætatem Jesu nepotis referrem; qvasi videlicet Jesus ipse nepos diceret se venisse in Ægyptum jam natum triginta octo annos. Atqve eam explicationem hîc eâ etiam gratiâ annotare visum est, ut si cui magìs arrideat, per meum silentium non stet, qvô minùs ille meâ illâ meditatione perfruatur. Certè mihi probari nondum potuit, qvod tradit Eusebius cùm in Chronicis, tum etiam libr. VIII. de Demonstr. Euangelica, Jesum illum avum librum suum conscripsisse tempore Simonis illius, qvi fuit filius

filius ejus Oniæ Summi sacerdotis, qvem *avarum*, *inertem* & *ignavum* appellari videtur Josephus, & de illo Simone illa intelligere, qvæ Jesus ille scribit cap. 1. Nam non fit mihi verisimile Jesum nepotem & metaphrasten libri, qvem ejus avus conscripserat, *Euergeten* simpliciter nominaturum fuisse eum, qvi posterior esset, & magis notus de nomine *Physconis* qvàm de *Euergetæ* agnomine; præsertim qvum etiam *Soter* agnominaretur. Ceterùm etiam illud magnoperè miror, vulgò omnes Scriptores Christianos cùm Græcos tùm Latinos, qvos adhuc videre licuit, ita probare præfationem alteram incerti auctoris, qvæ ad hujus libri frontem Prologo Jesu nepotis à qvibusdam subjicitur, & ab aliis præfigitur, ut faciant nepotem ipsum consarcinatorem & auctorem libri ipsius Ecclesiastici, avum verò prætereant & negligant: qvum illum unum nepos ipse totius istius Sapientiæ Panareti auctorem prædicet, se verò duntaxat metaphrasten & translatorem agnoscat. Atqve ut tandem aliqvando nostræ isti explicationi finem imponam, scrupulum unum aut alterum, qvi ex superioribus suboriri videtur, paucis eximam. Ergo ne qvis miretur, nos illam notationem anni trigesimi octavi ab ipso Jesu avo auctore libri arcessere, Regisqve Euergetæ mentionem injectam à nostro metaphraste Jesu nepote, hoc jam ad utrumqve illud respondeo, Hebræos scriptores solere tempora notare, qvibus sua scripta conscribunt, ut hoc apparet ex Prophetarum sacrorum libris & Hebræorum etiam neotericorum scriptis & commentariis: ita ut si Jesus avus suæ scriptionis tempus de Ptolemæi

* Philadelphi Regis, aut Summi sacerdotis Eleazari aut Manassæ non notâsset, qvòd illud suum scriptum privatum esse vellet, hoc Jesus iste nepos præstare voluerit; qvum translationem istam suam in publicum evulgaret.

CAP. VI.

Interpretatio & expositio ex professo & præcipuè suscepta in vers. 23. c. III. Luc. & per accessionem in qvamplurimos versus illius ejusdem capitis. Item & in qvamplurimos vers. c. 1. Matth. item & in vers. 2. c. XVI. Gen. & in vers. 21. c. I. Exod. & in vers. 5. & seq. c. XLVIII. Gen. & in vers. 10. c. II. Exod. & in vers. 8. c. XXI. libr. II. Sam. & in vers. 23. c. L. Gen. & in vers. 1. c. I. Hagg. & in vers. 5. & seq. fermè omnes c. III. libr. I. Chron. & in v. 8. & seq. c. XXVII. Num. & in vers. 1. & seq. c. XXXVI. Num. & in v. 25. & seq. c. XXV. Lev. & in v. 5. & seq. c. XXV. Deut. & in v. 13. c. III. Ruth. & in v. 5. 9. & 10. c. IV. Ruth. & in v. 14. c. XXIV. libr. II. Reg. & in v. 1. c. XXIV. Jer. & in v. 2. c. XXXIX. Jer. & in v. 20. c. XXVII. Jer. & in v. 8. c. XIV. libr. 2. Sam. & in v. 36. c. XI. libr. 1. Reg. & in v. 4. c. XV. libr. 1. Reg. & in v. 5. & seq. c. XXVIII. libr. 1. Chron. & in v. 4. c. XIV. libr. 1. Chron. & in aliqvot alia loca.

IN eo librorum Sacrorum Canone, qvem Christiana Ecclesia agnoscit post Apocryphorum libro-

* In cit. Amstelæd. col. m. 73. est *Ptolomei* vitiosè.

brorum volumen, ordine seqvuntur Novi Testamenti libri, in qvibus Euangeliorum volumen primum occurrit. Ex hoc ergo Euangeliorum volumine in hunc nostrum libellum transcribere visum est versum 23. c. III. Euangelii secundum Lucam. Versum autem illum sic interpretari jam libet: *Atqve ipse erat Jesus, incipiens esse qvasi annorum triginta; ut consvetudine receptum erat, filius Joseph, qvi fuit* [filius] *Heli*: atqve paraphrasi istiusmodi illustrare. Atqve is ipse, in qvem baptizatum & precantem vox cælitus demissa fuerat, erat ipse Jesus, qvi jam inciperet esse qvasi annorum triginta; essétqve filius Josephi ejusmodi, cujusmodi moribus Lege Mosaicâ confirmatis † Josephus ipse Mariæ virginis matris Jesu Christi maritus adoptare & pro suo habere potuit. Ergo ut Jesus Christus eô casu proximus Josephi hæres esse debuit, inde seqvitur, ejus matrem Mariam ipsúmqve adeò Jesum communem cum Josepho habere genealogiam. Porro, Josephus maritus Mariæ, qvæ mater fuit Jesu Christi, *filius fuit Helis, Helis autem filius fuit Matthati; Matthatus verò ipsius Levis: Levis autem ipsius Melchis; Melchis verò ipsius Jannæ; Jannas autem ipsius Josephi*, & sic deinceps. At verò qvia totius hujus nostræ interpretationis multa sunt firmamenta, ea sigillatim hîc enucleare visum est. Ergo, qvod ad verba attinet, non puto pluribus explicandum, qvomodo & qvàm maximè propriè voces ipsæ Græcæ primam illam sententiam exhibeant, illum videlicet, in qvem baptizatum & precantem vox cælitus demissa

† In Amstelæd. col. m. 73. est *confirmatus*.

demissa fuisset, fuisse ipsum Jesum. Qvod ad secundam sententiam attinet, video ex viris doctissimis qvosdam vocem ὢν conjungere cum voce ἐρχόμενος, qvod & seqvutus sum; qvosdam verò cum subseqventibus, qvæ constructio etiam nostram interpretationem & expositionem confirmaret: Qvod ad vocem ἐνομίζετο attinet, eam id sonare, qvod interpretati sumus & exposuimus, non solùm apparet ex communi auctorum Græcorum usu, sed & ex ipsius vocis etymo. Ergo hoc propriè sonare videatur illa vox, *Legibus comparatum esse*, *Moribus receptum esse*, seu *Moris esse*; deniqve *&* *Moribus lege constabilitis* *&* *Lege moribus confirmatâ receptum esse.* Immò etiam apparet, Lucam Euangelistam ferè in hunc sensum usurpare istam ipsam vocem ἐνομίζετο Act. xvi. 13. Certè Hebræi vocem habent *Mischpat*, qvæ non solùm Jus & Leges significat, sed & *Consvetudinem*, immò & *Id, qvod lege moribus confirmatâ invaluit.* His ita explicatis nobis exponendum est, morem fuisse antiqvissimum, ut qvidam pro filiis adoptarentur, non solùm apud ipsas gentes, à populo Dei alienas, sed etiam apud ipsum Dei populum, ut apparet ex multis Scripturæ locis. Et verò huc pertinent illa Saræ verba Genes. xvi. 2. qvibus Sara ipsa (qvæ tum adhuc *Sarai* appellabatur) exoptat & procurat ut Agara filios habeat, qvos Sara ipsa pro filiis atqve adeò pro suis hæredibus agnoscat, ut illa ipsa phrasis, qvâ utitur, hoc propriè sonare videtur Exod. 1: 21. & alibi. Adoptio omnino exstat in illa historia, qvæ describitur Gen. xlviii. 5. & seq. Nam qvæ ibi dicuntur de duobus Josephi filiis, Ephraimo &

& Manasse, ita in numerum undecim filiorum Jakobi cooptandis atqve tum à Jakobo cooptatis ut in capita unà cum patruis succederent in possessionem & partitionem Cananitidis, filiíqve & hæredes sui judicarentur ipsius Jakobi, & de illius nomine appellarentur, omnino adoptionem maximè legitimam arguunt. Hanc eamdem noster Abén Hezrá Rabbinorum Hebraicorum facilè princeps appositissimè perstringit in Exod. II. 10. ubi agitur de adoptato Mose à filia Pharaonis; eámqve non solùm in Dei populo locum habuisse declarat, sed & id qvodammodò indicat, ex eo solo videlicet, qvòd qvis aliqvem in populo Dei apud se aleret & educaret: eum illius, à qvo aleretur, *filium* appellatum fuisse; atqve in ejus rei fidem exempla duo citat elegantissima & disertissima. Prius ex 2 Sam. XXI. 8. ubi fit mentio qvinqve filiorum Michalæ, qvos illa peperisse dicatur Hadrieli; qvasi velit illè † Michalam ex eô, qvòd aluisset qvinqve Hadrielis filios, qvos ille ex Meraba sorore Michalæ sustulisset, expressisse & significâsse, se eos pro suis filiis & hæredibus habere voluisse: ibíqve Gignendi verbum sumendum esse pro *Educare* & *Alere*, atqve adeò *pro suo*: qvemadmodùm ille ipse Aben Hezrá illud ipsum verbum hoc sonare vult Gen. L. 23. ubi *filii Machiris* dicuntur *super genibus Josephi geniti* i.e. educati. Posterius exemplum exstat Haggæi I. I. & alibi, ubi Zorobabel dicitur *filius Salathielis*, qvod ita ille explicat ex I. Chron. III. 16. & seq. ut Zorobabel fuerit filius Pedajæ (sic enim emendandus est eô loci

† In Amstelæd. col. m. 74. est *illa*.

Abén Hezræ commentarius) qvi fuit frater Salathielis, ipséqve Salathiel ipsum Zorobabelem aluerit & educaverit, indéqve ejus filius fuerit appellatus. Atqve ex hac Hebræi illius interpretis expositione conficio, non solùm veteres & priscos Hebræos adoptionem probâsse, sed & eos contentos fuisse eam testificari solâ educatione & enutritione: ita, ut si qvis in populo Dei aliqvem aleret & educaret, vel eô solo significaret, se eum pro filio & hærede habere. At verò ad illa explicanda adjicio, meram illam educationem & enutritionem nunqvàm admissam fuisse & concessam nisi in his, qvi hæredes sui & proximi essent: ne fraus ulla fieret illi Legi, qvæ præscribitur Num. xxvii. 8. & s. ubi successionis jus atqve gradus adeò sigillatim proponuntur, ut semper dicatur hæreditas ad proximum consangvineum devolvenda: nisi fortè vel Leviratio intercederet, vel etiam Redemptionis jus negligeretur, atqve adeò oblatum repudiaretur, & repudiatum in alium, qvàm in propinqviorem, transferretur. At verò & his casibus, etiam qvi alebantur filii & filiæ in adoptionem veniebant, & omnibus illis, qvi ex educantis familia erant, agnascebantur. Igitur illud jam concludo, ex mera illa educatione, qvæ adoptionem efficiebat, ex Leviratione & ex Redemptionis jure probato & admisso, & ex eo etiam translato, accidere solitum, ut qvi in familiam & jus alicujus illis qvatuor casibus transirent, filiorum & filiarum jure censerentur, & agnationis jus sibi aliisqve, in qvorum familiam transibant, conciliarent. Et certè, qvia hæc hacte-

pus

nus ignorata fuisse videntur, operæpretium me facturum judico, si ea aliqvô modô explanem, & ex Scriptura ipsa probem. Verumenimverò Redemptionis jus sive illud primùm admissum & acceptum fuerit, sive repudiatum aliò translatum sit, deductum videtur partim ex Levirationis jure antiqvissimo per interpretationem amplificato, partim ex his, qvæ de redemptione hæreditatum dicuntur Lev. xxv. 25. & s. ubi hoc jus Redemptionis hæreditatum fusissimè explicatur: illud verò Levirationis Deut. xxv. 5. s. Ergo qvantum fuit Redemptionis jus apud Hebræos, tantum etiam Levirationis jus extitit. Igitur qvemadmodùm siqvis ex Redemptionis jure primario vel translatitio in alicujus demortui jus universum succedebat, etiam omnia, qvæ demortui fuerant, ejus fiebant, ut apparet ex lib. Ruth. c. III. 13. ita ut etiam uxor demortui, illius uxor fieret, ut constat ex ejusdem lib. Ruth. c. IV. 5. & 10. & multô magìs ejus liberi, qvi videntur contineri clausulâ illâ generali, qvæ exprimitur ejusdem illius c. vers. 9. ita ut eos pro suis aleret & educaret, & ex eo adoptionis ritu & jure eos in potestate haberet. At verò ne qvis putet nos in eo hallucinari qvod probatum putamus ex lib. Ruth. IV. 5. uxorem demortui ex Redemptionis jure illius fieri, qvi illud admittebat & accipiebat, versum illum, hic obiter interpretabimur & exponemus, *Et dixit Boazus, Qvô die redemeris agrum illum e manu Naomis, etiam* [id qvòd est] *à Rutha Moabitide uxore ipsius demortui redemeris, ad excitandum nomen ipsius demortui super hæreditate ejus*; i. e. Illô ipsô mo-

momentô, qvô ex Redemptionis jure agrum à Naomi alienatum te tibi ex eo jure, qvod in te confert Naomis Elimelechi uxor, & Machlonis mater, vindicaturum constitueris, illúdqve solenni testificatione declaraveris, etiam ex eodem illo jure tibi asserueris omnia illa, qvæ à Rutha Moabitide proficisci possint, ut ea in manum & potestatem tuam veniat, eámqve in uxorem ducas, & ex ea filium tollas, qvi in nomen & hæreditatem Machlonis demortui succedat. Ergo & nomine eorum, qvæ à Rutha proficiscebantur, Rutham ipsam, ipsiúsqve corpus primùm intelligo, deinde qvæcunqve illa penes se haberet. Rutham ipsam illô complexu venisse, ille idem Boazus qvi hæc dixerat v. 5. declarat † v. 10. ubi solennem suam testificationem de jure Redemptionis in se translato & à se admisso ad ipsam Rutham, ejúsqve vindicias & matrimonium extendit. Eôdem prorsus modô, siqvis ex solo & mero Levirationis jure semen masculum fratri demortuo excitaret, non solùm ille maritus uxoris fratris demortui seu gloris * evadebat, eámqve in potestate habebat, sed ejus filias, siqvas habebat, in

† In Amstelæd. col. 75. pro *versu* 10. malè legitur *usqve* 10.

* *Gloris*] *Gloris* est casus patrius à recto *glos*, qvæ est mariti soror; atqve eadem fratris uxor secundum Festum. Sosipater Charisius, lib. I. Institut. Grammat. col. m. 27. edit. Hanoviens. M. DC. V. in 4to, *Glos*, ἀνδραδελφὴ *gloris*. Priscianus in VI. col. m. 710. edit. ejusd. *Hæc glos, gloris*. Hesychius præter Γάλως ἡ τοῦ ἀνδρὸς ἀδελφή, habet qvoqve γέλαρος ἀδελφοῦ γυνὴ φρυγιστί.

in ſuam item poteſtatem admittebat & adoptabat, immò & illis agnationis jus apud ſuos conciliabat: ita ut ejus filii filiam, qvæ ſic per Levirationem aut Redemptionem adoptata fuiſſet & in familiam cooptata, ducere in uxorem non poſſent. Atqve hic videtur eſſe caſus ille, qvi perſtringitur Lev. XVIII. 11. Verſum enim illum ita interpretor, ut Moſes dicere videatur alicujus patris filium non poſſe ducere in uxorem filiam mulieris illius, qvam pater ipſe in uxorem acce-

φρυγισί. item: γαλὶς ἡ τῦ ἀνδρὸς ἀδελφή. Henr. Steph. ex alphabeti ſerie monet legendum γαλωὶς. Suidas etiam, γαλαώνη ἀνδραδέλφος. Pollux, lib. III. c. III. 2. ἡ τῦ ἀνδρὸς ἀδελφὴ τῇ ἐκείνυ γυναικὶ, γάλως, id eſt, *mariti ſoror hujus uxori glos.* Euſtath. etyma affert γάλα & καλεῖν. *Malo*, inqvit Matth. Martinius, col. m. 1038. b. Etymolog. edit. Bremenſ. M. DC. XXIII. in fol. *à* καλὴ, pulchra, *ut ſit amoris & propinqvitatis appellatio: ut Galli dicunt* ma belle ſœur *mea bella ſoror: ſicut* levir beau frere *qvaſi bellus, pulcher frater. Id Belgæ imitantur ſchoonbroeder. Vet. Dict. hic mirum eſt:* Glos glotis, i. e. cognata, ſc. uxor fratris. Sed glos gloris, i. e. flos. ſed glos gloſſis eſt lignum putridum, unde

Glos gloris flos eſt, glos glotis fœmina fratris:
Glos gloſſis lignum vetus eſt de nocte ſerenum.

Latinus ſermo non agnoſcit niſi glos illud, de qvo, Nonius, p. m. 270. edit. Pariſ. M. IↃ. XXCIII. in 8t. *Glos adpellatur mariti ſoror, atqve eadem fratris uxor: Levir dicitur frater mariti, qvaſi levus vir. Et Iſid. lib. x. 8.* Viri ſoror glos appellatur: ſororis vir ſpeciale nomen non habet: nec uxoris frater. *D. l. 38. tit. 10. Et Mode-*

acceperit ex Levirationis vel Redemptionis jure: adeò ut filia illa dicatur esse ejusdem cum patre cognationis, & filii illius soror, ex eo videlicet jure, qvod in Levirationem & Redemptionem competebat. Deniqve, ut tandem aliqvando nostram hanc de Levirationum, Redemptionum atqve Adoptionum usu & jure tractationem absolvamus, ex lib. Ester. c. 11. v. 7. & 15. primum illud, qvod diximus, maximè constat, ex sola videlicet consangvineorum proximorum educatione & enutritione adoptionem constitisse. Utrôqve enim versu dicitur Mardochæus Hadassam qvæ & *Estera* appellata est, qvam ex patruo Abichaile patruelem seu consobrinam habebat, mortuô utrôqve parente ita aluisse & educâsse, ut vel eo solô demonstraret, se eam pro sua habere &

destinus Viri soror glos dicitur, apud Græcos galos. *Auson.* Æacidæ ad tumulum mactata est Andromachæ glos. *Græci declinant* γάλως, γάλω, vel γάλωος, *Latini* glos gloris. *Genitivum* gloris *suadet* γέλαρος. *& sic habet usus.* Glos *pro herba non agnosco. Fortè intelligitur, qua* γλαὺξ *Diosc. lib.* IV. 136. *Etymologo* γλαξ, *quia* γάλα, *id est, lac auget.* Glos *pro ligno putrido Germanicum videtur, à gleissen splendere.* Hæc Martinius. Vossio in Etymol. p. 237. b. est à γάλως, elisô α; ut à παλάθη, *palma*; à κυπάρισσος, *cupressus*; qvi & adducit Plautum & Ausonium eâ voce utentem. Ausonii locum habuit Martinius, sed Plauti qværo adhuc. Vide sis Scipionem Gentilem, lib. II. παρεργ. c. XI. Glossæ Philoxeni, Glos, ἡ τοῦ ἀνδρὸς ἀδελφή. Γάλως παρὰ πλαύτῳ. Onomastic. Argentorat. subjunctum Glossis istis editis Lugduni Batav. M. DC. à Bonav. Vulcanio in fol. *Glos*, γάλως.

& adoptare. Sic enim interpretor versum illum 7. c. 11. Ester. *At verò enutriebat Hadassam (qvæ* [est] *Estera) filiam patrui sui, eò qvòd non* [esset] *illi pater nec mater: atqve puella illa* [erat] *pulchrâ formâ, & bonâ specie, atqve mortuô ejus patre posteà* [qve] *ejus matre assumpserat eam Mardochæus sibi in filiam*: & ex ea interpretatione colligo Spiritum S. voluisse illa eadem esse in illa historia, videlicet *aluisse Esteram, eamqve assumpsisse seu adoptâsse in filiam, & habuisse eam pro filia:* nec Mardochæum alio usum fuisse apud magistratum Susianum aut alios aliqvos ritu aut actu legitimô, ut hanc Esteræ adoptionem celebraret. Immò verò si adoptio istiusmodi publicá aliqvâ ceremoniâ peracta est, cur tam anxiè Mardochæus vetuit Esteræ ne id cuiqvam indicaret; Versu enim 20. c. 11. generis seu agnationis in ea prohibitione explicandæ meminit. Jam verò hoc restare videtur, ut totam illam tractationem nostro proposito accommodem. Et certè ex illis abundè probatum puto, adoptiones ut apud Ægyptios, sic & apud Hebræos obtinuisse ante Legem ad montem Sinain traditam: posteáqve in illa ipsa Lege confirmatas, usúqve & variis aliis modis constabilitas, ex Leviratione videlicet, ex Redemptionis jure primario & translatitio, item & ex mera educatione & enutritione; qvæ omnia non nisi in proximis agnatis locum haberent, ut ex exemplis ipsis, contextúqve Mosis disertissimo probavimus. Ergo & ex illis ipsis etiam liqvere existimo, vel ex eo solo: qvod qvis aliqvem pro suo aleret & educaret, præsertim ex illa Hebræorum consvetudine legibus confirmata, inde, inqvam,

qvam, illum meritò fuisse pro agnato proximo & adoptato filio habitum, immò & filium appellatum. Qvapropter postqvàm Dominus noster Jesus Christus dicitur enutritus & educatus à Josepho Mariæ virginis matris Jesu Christi marito, qvemadmodùm & illud exprimi videtur Luc. IV. 16. & ex ea educatione atqve adeò consvetudine qvæ Lege confirmabatur, Josephus ille idem Jesu Christi *parens* appellatur Luc. II. 33. in majore codicum parte; & v. 41. & 48. & Joann. VI. 42. Jesus verò *Josephi filius* Matt. XIII. 55. & Luc. IV. 22. & Joann. I. 45. & VI. 42. concludo Dominum nostrum Jesum Christum secundum carnem fuisse proximum agnatum & hæredem ipsius Josephi: & proinde eum ejúsqve matrem Mariam virginem communem cum Josepho genealogiam habuisse: ita ut, qvæ genealogia Josepho tribuitur, illa eadem censenda sit ipsius Mariæ ejúsqve filii Domini nostri Jesu Christi secundum carnem; & si Josephus fuerit filius Davidis, itidem etiam Jesus Christus secundum carnem γνήσιος Davidis filius exstiterit. Illa verò in Dominum nostrum Jesum Christum competiisse omnia inde maximè apparet qvòd Josephus Mariæ virginis maritus, fuisse *justus* dicatur, & proinde ejusmodi, qvi nil contra Mosis Legem admittere voluisset, nec suâ hæreditate qvantulacúnqve esset, legitimos hæredes fraudare voluisset, si qvos Mariâ virgine & Jesu ejus filiò propinqviores habuisset. Certè argumentum illud, qvod vulgò adferunt interpretes & Theologi, ut probent Josephum & Mariam virginem eamdem & communem habuisse genealogiam, ad-

modùm

modùm infirmum eſt, qvòd videlicet Lege Moſaicâ cautum eſſet, ut qviſqve eam duceret uxorem, qvæ eſſet ejuſdem Tribus. Nam primùm proferri poſtulo locum in Lege Moſaica, qvò id caveatur. Qvòd ſiqvis proferat hiſtoriam filiarum Tſelophchadi, & legem cui ferendæ occaſionem dederunt, reſpondebo, legis illius duas exſtare præcipuas tabulas, atqve earum unis caveri ut hæreditas parentis demortui primùm ad filios mares deferatur, & filiis maribus deficientibus ad filias, filiabus deficientibus ad demortui fratres, deficientibus demortui fratribus ad patris fratres, híſqve deficientibus ad proximos familiæ agnatos: ita ut ſemper hæreditas proximis agnatis cedat, ut illud fuſiùs explicatur Num. XXVII. 8. ſ. Alteris illius Legis tabulis præſcribitur, ut, ſi qva filia deficientibus maribus patris filiis, paternam hæreditatem creverit, illi incumbat maritum aſſumere, qvi ſit ex aliqva familia illius Tribus, ex qva parens ipſe fuerit: ídqve eò, ut hæreditates in ſuis Tribubus manerent, neqve unqvàm ab una Tribu in alteram tranſirent, qvæ poſteriores tabulæ confirmantur Num. XXXVI. 1. ſ. Atqve poſteriores iſtæ tabulæ ad noſtrum propoſitum accommodandæ ſunt. Ergo faciamus Mariam virginem, unicam fuiſſe patris filiam, & maribus deficientibus paternam hæreditatem adiiſſe, poterat illa nubere alicui, qvi eſſet ex eadem Tribu Judæ, ex qva eſſet, licèt ex eadem familia non eſſet. Ergo potuit Maria nubere alicui ex familia Selaitide vel Pharetſitide, vel Zareitide, vel Hamulitide, & qvi non eſſet ex familia Hetſronitide, ex qva exſtitit David: immò & potuit

potuit Maria nubere alicui ex familia Hetsronitide, qvi tamen ad Davidem genus suum referre non potuisset. Ergo hoc, qvod Dominus cavit, ut filiæ patris hæredes nuberent in eadem Tribu præstare hoc necessariò non possit, ut probet Mariam & Josephum genus referre debuisse ad Davidem. Hebræos cùm mares tum feminas, qvæ patris hæredes minimè essent, extra suas Tribûs matrimonia jungere potuisse, non solùm apparet ex conjugio Jehojadahi Summi sacerdotis & otsebahæ sororis Ochoziæ Regis Judæ, 2 Reg. xi. 1. & alibi; ex conjugio sacerdotis cujusdam Aharonici & cujusdam ex filiabus Barzillæi Galaaditæ, de qvo Hezr. ii. 61. & Nech. vii. 63. & ex conjugio, qvod permittitur filiæ sacerdotis cum extraneo, Lev. xxii. 12. sed & ex eo, qvòd David uxorem primam habuerit Michalam filiam Saulis Benjaminæi, 1. Sam. xviii. 27. & fortasse multas alias ex aliis Tribubus, qvàm ex Tribu Judæ. Non reprehenditur Joschaphatus, nec ejus filius Joramus, qvòd affinitatem iniêrint cum Achabo, ejúsqve filia, qvòd illi essent ex Tribu alia, qvàm ex Tribu Judæ, sed qvòd illi improbi essent, & à Dei timore & amore abalienati. At verò & in bello captam in uxorem ducere licuit, Deut. xxi. 11. immò ubi agitur de ea in uxorem ducenda, qvam aliqvis constupraverit, Deut. xxii. 28. & 29. nulla Tribûs mentio fit. Prætereà parens utérqve Samsonis ubi eum avocare voluit à conjugio cum Philistæa muliere contrahendo, proponit qvidem illi filias consangvineorum priore locô, sed nec etiam filias reliqvorum ex populo omittit, Jud. xiv. 3. Benjami-

jamitarum conjugia cum Siloitidibus & Jabesitidibus omitto, qvòd tanqvàm singulare aliqvod factum in exemplum trahendum esse qvidam negarent. Qvod verò qvidam in hunc locum Lucæ, qvem præ manibus habemus, hanc etiam legem de conjugiis in eadem Tribu contrahendis post alios citant, laudatis duntaxat auctoribus, doctissimis interpretibus, non etiam ullo Scripturæ testimoniô, eámqve legem à Judæis, ubicúnqve tandem fuerint, summâ religione observatam, ex ipso Josepho Aharonico sacerdote probant, vellem locum illum diligentiùs & accuratiùs ab illis expensum. Josephus enim libr. 1. contra Appionem probaturus scripta, meô judiciô historica, qvæ apud Hebræos obtinent, fidem omni exceptione majorem mereri, atqve adeò ea, qvæ posterioribus temporibus apud illos conscripta sunt, hoc proponit argumentum: nimirum eorum conscribendorum provinciam etiam posterioribus illis Josephi temporibus sicut & superioribus illis jam inde à Josua usque ad illa Josephi tempora, illis demandatam fuisse, qvi ex genere sacerdotali seu Aharonico essent. Jam verò subjicit universum genus sacerdotale, eósqve omnes, qvi ex eo essent, nullum cum Babyloniis, Græcis & Ægyptiis aliísqve profanis gentibus unqvàm habuisse adhúcqve habere commercium aut consortium, ut inde ea, qvæ conscriberent, historiásqve illas, qvas ederent, corrumpere possent: sicuti Babyloniis, Chaldæis, Ægyptiis, Græcis, aliísqve profanis scriptoribus contigisset, ut sua scripta ex mutuo inter se consortio corrupissent, & qvotidie magis ac magis

corrumperent. Ut probet nullum fuiſſe commercium aut conſortium Hebræorum ſacerdotibus illíſqve qvi ex genere Sacerdotali apud eos eſſent, cum Babyloniis, Chaldæis, Ægyptiis & Græcis, reliqvíſqve aliis exteris & profanis gentibus, dicit eos, qvi ex genere ſacerdotali eſſent, omnes ſolicitos maximè fuiſſe de continuandis in ſua Hebræorum gente matrimoniis: ita ut nemo ex illis Sacrorum particeps fieret, niſi qvi ex paterno genere continuatam fuiſſe ſuam progeniem in ſua Hebræorum gente oſtenderet, idoneíſqve teſtimoniis probaret: ſempérqve hoc curâſſe, ſi qvam in uxorem ducere vellent, ut certiſſimum & locupletiſſimum haberent teſtimonium, illam jam inde ab antiqviſſimis progenitoribus Hebræam eſſe & ex Hebræorum gente: itaqve qvi contrà facerent, Sacris abſtinuiſſe, & altaris emolumenta nulla participâſſe. Atqve hinc videtur eſſe, qvòd Joſephus ipſe, ſicut etiam ibidem ſubindicat, ita & alicubi gloriatur ſe, qvi eſſet generi Aſmonæorum Regum propinqvus, & cum honore ſacerdotium haberet, putare fœdum eſſe mentiri, ideóqve ad rei veritatem rerum geſtarum, qvas ipſe conſcriberet, memoriam exigere. Ergo jam conſtat qvæ fuerit Joſephi ſententia, qvum notat, ſummâ diligentiâ uſos fuiſſe eos, qvi eſſent ex genere Sacerdotali, ubi matrimonia jungere vellent: ita ut extraneam illis in uxorem ducere non liceret, immò nec captivam, ut illud diſertè exprimit; ſed ejuſmodi duntaxat, qvæ ſe ab antiqviſſimis Hebræis in qvavis Hebrææ gentis Tribu progenitam eſſe probaret. Atqve ex illis nemo poſſit legem illam de continuandis in eadem

dem Tribu conjugiis ullo modô confirmare, qvum Josephus voluerit Sacerdotes illos, de qvibus agit, potuisse eas in uxores ducere, qvæ ex Hebræa gente essent, nullâ Tribûs injectâ mentione. At verò si illa dicitur summa in observandis conjugiorum legibus & ritibus diligentia, qvòd Sacerdotes Aharonici eas in uxores ducerent, qvæ ex qvalibet Hebræorum Tribu essent, alii ejusdem Leviticæ Tribus reliqvarúmqve aliarum Tribuum Hebræi illi eidem diligentiæ abundè satisfecisse videantur, qvum sibi qvasvis ex qvalibet alia Tribu, qvàm suâ, deligerent: modò ne incideretur in tabulas posteriores Legis illius, cui condendæ filias Tselophchadi occasionem dedisse diximus. Immò, qvod etiam ibidem Josephus exprimit, non licuisse Sacerdotibus Aharonicis captivas alienigenas in uxores ducere, hoc ipsum confirmat illud, qvod suprà notavimus; videlicet cuilibet Hebræo ex qvacunqve esset Tribu extra Leviticam, vel certè extra genus Sacerdotale, etiam captivam extraneam & alienigenam licitum fuisse in uxorem ducere. Tantum igitur abest, ut illud Josephi testimonium nostram infirmet sententiam; ut eam etiam validiùs confirmet. Atqve hoc efficit ut nostram illam expositionem retinendam censeam, qvâ Josephi genealogiam à Matthæo & Luca descriptam appositissimè Christo accommodare possimus. Semper enim in eo luto hæreamus, si Mariæ genealogiam in Luca tradi dicamus, in Matthæo autem Josephi, sive dicamus apud Lucam innui Christum reverà fuisse filium, i. e. nepotem Helis patris Virginis Mariæ, qvamvìs exi-

ſtimaretur apud vulgus Joſephi filius, ſive dicamus Joſephum ipſius Helis generum declarari, in eo, inqvam, luto ſemper hæreamus qvomodò Joſephi genealogia, qvæ à Matthæo deſcribitur, in Chriſtum competat. His explicatis qvia doctos omnes interpretes, qvos videre licuit, impingere video in ea Matthæi & Lucæ conciliatione explicanda, qvam Africanus † attulit, & qvam Euſebius exponit, illam paucis attingere viſum eſt; vel eâ maximè gratiâ, qvòd noſter iſte verſiculus in illam difficultatis occaſionem & cauſſam deſinit. Lucas enim ſub calcem hujus noſtri verſiculi Joſephum maritum Virginis Mariæ, & Domini noſtri Jeſu Chriſti patrem, qvô diximus modô, notat *filium fuiſſe Helù*, *qvi Helis fuerit filius Melchu*: Matthæus verò Joſephum illum ipſum ait fuiſſe *filium Jacobi*, *qvi Jacobus filius fuerit Matthanù*. Hanc autem difficultatem ita conciliat Africanus apud Euſebium, ut dicat *legalem genealogiam Joſephi expreſſam fuiſſe à Luca*, *naturalem; verò à Matthæo*. *Legalem* igitur *genealogiam* intelligit, qvæ tribuit alicui demortuo filium, qvi de ejus nomine agnominetur, ejúſqve hæreditatem aditurus ſit qvamvis ab eo generatus ille non fuerit, ſed à fratre, ídqve ex jure Levirationis, ſeminíſqve per fratrem excitati: *naturalem* autem qvæ adſcribat filium illi, à qvo generatus eſt; qvamvìs illius propriè eſſe non dicatur, nec illius nomen aut hæreditatem accepturus

† Africani ſententiam expendit B. Chriſtoph. Helvicus, qvem vide in Faſce noſtro III. n. III. §. VI. p. m. 334. ſ.

pturus ſit. Et verò iſtud genealogiarum diſcrimen ita ſuo propoſito accommodat Africanus ut dicat Matthanem, cujus fit mentio apud Matthæum, & qvi fuit ex poſteris Salomonis filii Davidis, habuiſſe uxorem Eſtham, ex qva ſuſcepiſſet Jacobum, cujus etiam mentio fit apud Matthæum: Melchim verò, cujus meminit Lucas, & qvi fuit ex poſteris Nathanis, qvem etiam ſecundum à Salomone David ex Bathſchebaha ſuſtulerat, eandem illam Eſtham viduam Matthanis demortui in uxorem duxiſſe, & ex illa eadem † Helim ſuſtuliſſe; ita ut Jacobus & Helis fuerint fratres uterini, ex eadem illa Eſtha, qvamvis diverſum patrem habuerint. Addit & inde Jacobum Matthanis filium ex Levirationis jure fratri uterino Heli jam demortuo, ipſius Melchis filio, ſemen excitâſſe, filiúmqve illi ex illius uxore ſuſtuliſſe, Joſephum videlicet, Mariæ Virginis maritum. Ergo Joſephus Mariæ Virginis maritus, fuerit naturalis filius Jacobi, legalis verò ſeu legitimus ipſius Helis: indéqve Matthæus genealogiam Joſephi naturalem ex Jacobo, Lucas verò legalem ex Heli propoſuerit: & qvia Nathan ex Salomonis poſteris fuerit, Matthæus genealogiam Joſephi duxerit à Davide per Salomonis poſteros; & qvia Melchis fuerit ex poſteris Nathanis, Lucas eandem Joſephi genealogiam duxerit à Davide per Nathanis poſteros. Atqve hæc videtur fuiſſe Africani ſententia, qvâ Matthæum & Lucam in recenſenda Chriſti genealogia conciliat. At verò qvia in hac Africani conciliatione, multa mihi videntur paulò duriora, illa mihi priùs explicanda

† Malè in Amſtelod, col. 77. eſt *eandem*.

da videntur, qvàm nostrum de illis omnibus judicium proferamus. Ergo in illa Africani sententia illud in primis mihi paulò durius videtur, qvòd Africanus Melchim tertium à Josepho constituat in ea genealogia, qvam Lucas describit, qvum in nostris exemplaribus duo intermedii sint inter Melchim & Helim, Matthathus videlicet & Levis; adeò, ut hôc casu, Melchis qvintus sit potiùs, qvàm tertiùs. Nec etiam minùs durum mihi videtur, qvòd Africanus Matthanem velit esse ex posteris Salomonis, Melchim verò ex posteris Nathanis: qvum utraqve illa genealogia coëat & consentiat in Zorobabelem & Salathielem. Immò etiam hoc mirum maximè videatur excitationem seminis usitatam fuisse in uterinis fratribus, iisqve diversarum familiarum, qvales fuerunt familia Salomonis & familia Nathanis. At verò, si qvis excipiat tum demum, qvum Nathan & Melchis mortui sunt, coaluisse Salomonis posteritatem & familiam cum Nathanis sobole ejúsqve familia, ídqve ad duos utriúsqve illius uterinos liberos & fratres, hoc, qvod jam dixi, regeram, longè ante utramqve illam posteritatem Salomonis & Nathanis coaluisse (si modò ita res etiam tunc habuerit) ut apparet ex contextu Lucæ, qvi ducens Josephi & Christi genealogiam à Davide per posteros Nathanis consentit cum Matthæo in Salathielem & Zorobabelem. Certè ut jam dicam, qvod sentio, conjicio vel Africanum vel Eusebium in eo, qvod acceperant vel legerant, aliqvô modô hallucinatos fuisse, atqve adeò duobus in locis. Qvod igitur vel acceperat Africanus, vel legerat Eusebius, in fi-

lio

lio Melchis coaluisse genus Salomonis cum genere Nathanis, illud de Neri, qvem Lucas etiam ipse v. 28. c. III. filium Melchis agnoscit, intelligendum fuisse videatur, non de Heli, qvem Lucas potiùs pronepotem Melchis illius, qvem priore locô nominat, versu videlicet 24. qvàm ejus filium agnoscit. Prius verò istud aliqvô modô etiam ex Sacra historia probari possit, videlicet ad Salathielis patrem coaluisse genus Salomonis cum genere Nathanis. Spiritus enim sanctus Jer. XXII. 30. disertè per Jeremiam comminatur Jechoniæ filio Joakimi, fore ut ille moriatur ábsqve liberis. Ergo & illud verum fuit; atqve Jechonias penultimus Judææ Rex absqve liberis extinctus est: & qvi illi tribuitur filius, *Assir* nomine, 1 Chron. III. 17. intelligendus est Jechoniæ filius non ratione naturalis generationis sed legitimæ duntaxat successionis in illius regni jus, qvod à Davide profectum fuerat. Igitur mortuô Jechoniâ, qvum jam nullus superstes esset ex genere Salomonis, qvi in jus regni illius, qvod Davidi æternum promissum fuerat, succederet, promissionísqve illius primarius hæres esset, in familia & genere Nathanis qvi qvidem proximus agnatus fuerat, atqve adeò uterinus & proximus frater Salomonis ex patre Davide, reqvisitum est, qvisnam illius promissionis hæres primarius occurreret: compertúmqve est jus illud pertinere ad Assirem, tanqvàm proximum Jechoniæ agnatum. Hujus certè Assiris patrem, aut etiam avum potiùs, qvàm Assirem ipsum, puto unà cum aliis qvibusdam qvi ex semine Regio Davidis delecti fuerant, tùm in Chaldæam deportatum & addu-

ctum fuisse, qvum Daniel aliqvótqve alii ex Tribu Judæ à Nebucadnetsare eôdem abducti sunt Dan. I. 3. vel certè unà cum ipso Jechonia, ita ut videantur nomine *Sarim* in historia Jechoniæ, qvalis describitur 2 Reg. XXIV. 14. & Jer. XXIV. I. & XXIX. 2. item & nomine *Chorim*, in illa eadem historia repetita Jer. XXVII. 20. illi etiam venire qvi essent ex stirpe Regia. Certè verisimile est mares ferè ad unum omnes, qvi erant ex stirpe Regia, qvô tempore Tsedekias ad Nebucadnetsarem captivus abductus est Riblam, deletos fuisse, sicut apparet ex Jer. XXXIX. 6. & LII. 10. si illis locis superiores illas voces *Sarim & Chorim* eôdem illo sensu accipias: ita ut unus Ismahel vir improbissimus ex ipsa stirpe Regia tum restitisse videatur (qvi tandem ad Hammonitas transfugerit, ne apud Chaldæos pœnas suæ improbitatis lueret) filiæqve Regis, qvæ tandem in Ægyptum abductæ sunt, qvemadmodùm illa explicantur qvàm fusissime totô c. XLI. Jeremiæ, & perstringuntur 2. Reg. XXV. 25. & 26. Sacram historiam qvibusdam filiorum appellationem tribuere ratione solius successionis non etiam ratione ipsius generationis, apparet ex eo, qvod jam suprà exposuimus de jure Levirationis, Redemptionis, & Educationis proximorum consangvineorum: ita ut inde esse dixerimus, qvòd Zorobabel appellatus fuerit *filius Salathielis*, qvum tamen propriè nepos ejus ex fratre Pedaja esset. Atqve ex hac *filii* appellatione, qvæ à successionis jure derivata est, illud est, qvod Jochanan qvi & *Joachazus* nominatur, *primogenitus Joschiæ filius* appellatur 1. Chron. III. 15. qvòd videlicet pri-

mus inter Joschiæ filios Regno Judaico inauguratus fuerit, qvamvis Joakimô fratre, qvi in ejus locum à Necone Ægypti Rege suffectus est, ætate minor esset. Hinc etiam illud est, qvòd v. 16. c. III. libr. prioris Chron. Tsedekias appellatur *filius Jechoniæ*, qvum tamen ejus patruus esset. Deniqve aliqvando, ut spero, probabimus, Ezechiam hâc ratione appellari *filium Achazi*. Qvapropter ex superioribus non malè concludamus, Assirem, qvem demonstrabimus ex Luca nominatum fuisse *Nerim*, & qvem ex eodem Luca probabimus, fuisse ex posteris Nathanis, & naturalem habuisse patrem Melchim, ratione successionis in jus Regni Judaici, *Jechoniæ filium* appellari. Jam verò restare videtur, ut postqvàm Assir ille pater Salathielis dicitur à Sacra historia, 1 Chron. III. 17. ut idem sit cum Neri, qvem Lucas patrem Salathielis nominat. Certè non malè immutatum fuisse nomen illud *Assiris* in *Nerim* inde existimes, qvòd qvum demortuô Jechoniâ jus illud Regni Judaici ad Assirem devolutum esset, ille jam ex *Assire* i. e. *vincto & captivo*, nominandus videretur, immò & nominatus fuerit *Neri* seu *Nerijas* i. e. *Lucernarius*, seu etiam *Lucerna mea*, vel certè, *Lucerna Jehovæ*; h. e. Regius ille splendor qvem Dominus Davidi promiserat perpetuò in ejus familia fore effulgentissimum & præclarissimum: ita ut illius Regno hæres nusqvàm exstingvendus esset nec defuturus, ex his qvæ scribuntur 2. Sam. XIV. 8. & 1. Reg. XI. 36. & XV. 4. & alibi sæpe. Qvod verò diximus, Nathanem proximum agnatum fuisse Salomonis. & proinde ex Nathanis posteris

proximos agnatos posteris Salomonis, qvi ad jus Regni Davidici admitterentur, reqvirendos fuisse, illud minimè repetendum videtur ex fictitia qvadam lege seu privilegio, qvod David familiæ Nathanis irrogaverit, ut qvidam confinxerunt, sed ex eo, qvod ex Jehovæ decreto & oraculo, qvale exstat 1. Chron. XXVIII. 5. f. conseqvebatur. Nam si Jehova universum jus successionis in Regnum Davidicum contulit in Salomonem, ex jure & ordine naturæ conficitur, ut deficiente & intercidente Salomonis posteritate, jus illud perveniret ad posteros Nathanis, qvi fuit proximus frater & agnatus Salomonis. Inversô enim ordine, ex stylo Hebræis usitato, enumerantur filii Davidis ex Bathschebaha, 1 Chron. III. 5, & c. XIV. 4. At verò, dum hæc primùm meditarer, posteáqve recognoscerem, aliqvid ejusmodi in successione Regni cujusdam florentissimi non adeò procul cernebatur. Atqve hactenus prior locus explicatus sit, ad qvem aut Africanus, aut Eusebius, in concilianda utraqve illa Matthæi & Lucæ genealogia hallucinatus videtur. Alter locus ad qvem alteruter vel fortasse etiam uterqve impegisse videtur, ille est, qvô Helim uterinum Jacobi fratrem Melchi illi priori attribuunt. At verò, qvia tanta apparet discrepantia in utriusqve illius genealogiæ ea parte, qvæ restat à Zorobabele ad Josephum usqve, visum est aliqvâ ratione nomina, qvæ in illis exstant, inter se comparare, atqve etiam cum illis nominibus, qvæ exstant 1. Chron. III. 19. f. qvæ qvidem illorum hominum aliqvot notant, qvi in utraqve illa genealogia intelliguntur. Anteqvàm autem

autem ad Euangeliſtas veniam, genealogiam & ſucceſſionem ad jus Regni Davidici, qvalis deſcribitur 1. Chron. III. 17. & ſeqventibus, jam perſtringam. Ergò ut conjicere poſſum & aliàs fuſiùs declarabo, ibi dicitur Aſſir Nethanita hæres Jechoniæ Salomonitæ, filium & hæredem illius juris ad Regnum Davidicum, qvô Jechonias per tres menſes exultaverat, habuiſſe Salathielem, Salathiel Zorobabelem, Zorobabel Meſchulamum, Meſchullamus Chananjam, Chananjas Pelatjam, Pelatjas Schechanjam, Schechanjas Schemahjam, Schemahjas Neharjam, Neharjas Eljohenæum Eljohenæo certè videntur adſcribi ſeptem filii: ſed qviſnam eorum fuerit juris illius ad Regnum Davidicum primarius hæres, vix conjici poſſit Certè videatur eſſe vel Hodaivas eorum primus, vel Hananis eorum poſtremus. His autem ita explicatis, puto apud Lucam, *Meſchullamum* Chronicorum appellari *Reſam*: fortaſſe qvòd, qvi eum Chaldaicô ſermone nominarent *Principem*, vellent per alluſionem qvandam confuſam fuiſſe in voce Hebræa *Meſchullám Dominandi* ſignificationem cum *Conſummandi* acceptione, & eâ notari Dominationem abſolutiſſimam. Deinde puto apud eundem Lucam *Joannam* eundem eſſe, qvi *Joannes* aliàs appellatur, qvum & Syrus voce *Juchannan* illam alteram reddat, aliíqve codices *Jonam* legant: Lucæ verò *Joannam* eſſe Chronicorum *Chananjam*, qvum duarum illarum vocum *Jochanan* Hebrææ (à qva eſt *Juchannan* vox Syra) & *Chananjah* Hebrææ eadem ſit compoſitio & ſignificatio: *Judam* Lucæ conjicio eſſe *Pelatjam* Chronicorum; qvòd videlicet vox iſta *Liberationem*

qvan-

qvandam *divinam* designet, illa verò altera *Gratiarum actionem Deo pro liberatione exhibitam. Schechanjam* Chronicorum puto esse *Josephum* Lucæ, non solùm qvòd vox *Schechanja* deducatur à voce, qvæ apud posteriores Hebræos significârit *In tuto collocare*, & *Sartum tectum conservare* (qvæ duo in primum illum Josephum Jacobi Patriarchæ filium competiêrunt) sed & qvòd qvidam codices apud Lucam legunt *Osoch. Schemahjam* Chronicorum esse *Semeim* Lucæ nemo non videt. *Neharjam* Chronicorum puto esse Lucæ *Mattathiam*, qvòd qvi *Neharja*. i. e. *adolescens Jehovæ* primùm nominatus fuerit, deinde ad dignitatem illam & jus Regium evectus *Mattathia* seu *Mattathias*, i. e. *Donum Jehovæ* appellatus fuerit. *Eljohenæum* Chronicorum puto esse *Maathum* vel potiùs *Mahathum*, ut satis feliciter Hebraicam hujus vocis scriptionem agnovit vetus interpres, si modò intelligas aspirationem, qvam ille expressit, esse à litera Cheth. Et verò significatio vocis *Eljohenæi*, qvæ declarat *Lamentationem oculorum lachrymis testatam*, non malè convenit significationi vocis *Machàth*, qvâ *clades* aliqva *gravis* designatur, qvæ etiam lamentationem & lachrymas extorqveat: qvasi tum nomina ista declarata fuerint, qvum graves qvædam calamitates ingruerunt. Ulteriùs nolim Chronicorum historiam cum Lucæ contextu conferre; qvòd in Chronicis agnoscere non possim, qvisnam ex illis septem Eljohenæi filiis patri in jure illo successerit, nisi fortè qvis *Hananim* Chronicorum velit esse *Naggæ* Lucæ, qvòd vox illa *Naggæ*, *Percussum* sonet, *Hananis* autem *Afflictum* declaret, aut certè *eum, qvem Dominus ab*

affli-

afflictione exaudiêrit & recreârit. Qvod ad reliqvos attinet, qvi apud Lucam nominantur, primùm non puto, eos omnes enumerari, qvi ab Eljohenæo, immò & ab Hanani ad Christum usqve juris illius, cujus meminimus, hæredes fuerunt: unde & in qvibusdam Lucæ exemplaribus multi intermedii inseruntur. Qvousqve progrediatur Chronicorum historia, non possum certò asserere: conjicio tamen ad Jaddi summi Sacerdotis usqve tempora pervenire, eô prorsus modô, qvô ad illa usqve tempora perducitur Nechemiæ historia: ita ut facilè credam, bonum illum virum Jaddum, postrema verba, qvæ de successionibus summorum Sacerdotum & juris ad Regnum Davidicum in utroqve Chronicorum & Nechemiæ libro conscripta exstant, omnia perscripsisse. Et verò & summus Sacerdos & vir maximè pius exstitit. Qvod verò attinet ad Matthæum, postremámqve ejus decatessaram, qvam à Jechonia ad Christum usqve perducit, ita ut à Zorobabele ad Christum usque undecim duntaxat viros nominet, ubi Lucas viginti nominatim exprimit, immò & aliqvot adhuc omittere credibile sit, mirum minimè videri debet, si nomina, qvæ Matthæus edit, non bene conveniant vel cum illis, qvæ exstant in Chronicis, vel cum illis, qvæ Lucas expressit. Qvòd si jam aliqvot nobis conferenda sint nomina, non solùm præfabor, Sacras historias multa & diversa uni & eidem homini nomina indere, sed etiam illa ita aliqvando ab una lingva in alteram transfundi, itáqve posteà à descriptoribus aliqvando corrumpi, ut minimè agnosci possint. Atqve ex his Matthæi *Abibudem* (sic enim Hebræi

bræi ſcribunt) qvi exprimitur *Abiud* Matth. I. 13. aliqvô modô, h. e. detractis duabus prioribus literis, confectum puto ex *Jehuda* Hebræo, qvô Græcum editur *Juda* Luc. III. 26. Nam & Syri *Abijud* nomen hoc legunt. Vox *Eliacim*, qvam exprimit Matth. c. I. 13. eamdem prorſus habet ſignificationem qvam *Neharjas* I. Chron. III. 22. & *Mattathias* Lucæ III. 26. Nam & ille à qvibuſdam agnominatur *Mattathias Eli*. Eum certè ſignificat vox *Eliacim*, qvem *Dominus erigit atqve evehit*. Nomen *Azor* Matth. I. 13. præter alluſionem aliqvam, qvam habet ad nomen *Thara*, qvod in qvibuſdam codicibus Luc. III. 25. inſeritur inter *Eſli* & *Naggæ*, habet & ſignificationem ſatis affinem. Nam ſi *Azor* ſignificare poſſit *Vertentem*, *Convolventem & Contorqventem fundibulariorum inſtar*, *Thara* qvoqve *Agitantem* & *Commoventem* deſignare poſſit. Nomen *Sadoc*, qvod exſtat Matthæi I. 14. ſi *Juſtum* ſignificat, agnoſci poſſit pro ipſius *Eſli*, qvi ita nominatur Luc. III. 25. agnomine: vel certè ſi *Pacatum*, *Qvietum*, & *Felicem* potiùs, qvàm *Juſtum* declaret, non malè etiam eô caſu cum voce *Eſli* conferatur, qvæ vox *Pacati*, *Qvieti* & *Felicis* ſignificationem admittere poſſit. Nomen *Achim*, qvod legitur Matthæi I. 14. non procul abludit à voce *Naum*, qvæ exſtat Lucæ III. 25. qvam ex Græcorum & Hebræorum commutatione Syrus interpres interpretatur *Nachum*. Vox *Eliud*, qvæ legitur Matth. I. 14. non minùs convenienter comparari poſſit cum voce *Juda*, qvæ in qvibuſdam codicibus Luc. III. 25. inſeritur inter *Joſeph* & *Mattathias*, qvàm vocem *Abiud* cum illa eadem

con-

conferri posse diximus. Nomen *Eleazar* Matth. I. 15. omnino respondet nomini *Eliezer*, qvod in qvibusdam codicibus Luc. III. 24. inseritur inter *Joannam* & *Joseph*. At verò non dubito *Matthanem* Matthæi I. 15. & *Matthatum* Lucæ III. 24. eundem esse: non solùm qvia Nazianzenus hôc locô apud Lucam *Matthan* legit pro *Matthat*, sicut & v. 29. & pro *Matthata* v. 31. sed etiam ex eo, qvòd utraqve vox *Matthan* & *Matthat* ab eodem est primigenio, & idem prorsus significat, *Donum* videlicet. Atqve hunc eundem *Matthanem* seu *Matthatum* arbitror, duos sive ex eadem, sive ex diversa uxore, liberos sustulisse, *Helim* videlicet & *Jacobum*. Qvum Helis uxorem duxisset, nullísqve ex ea susceptis liberis saltem maribus decessisset, ejus frater Jacobus ex Levirationis jure illius viduam in uxorem duxit, atqve ex ea Josephum Virginis Mariæ maritum sustulit; ita ut Josephus filius fuerit legalis & legitimus ipsius Helis, naturalis verò ipsius Jacobi. Atqve sic puto, veteres illos Hebræos seu Judæos Domini nostri Jesu Christi agnatos & propinqvos, qvorum meminit Eusebius, Ecclesiasticæ historiæ lib. I. c. VII. utramqve illam Matthæi & Lucæ genealogiam conciliandam dictâsse Africano: ita ut, meâ qvidem judiciô, posterior vel Africani. vel Eusebii, hallucinacio hôc modô emendanda videatur. Deniqve his ita explicatis, nullum puto superessere scrupulum, qvi cuiqvam negotium facessere possit in exponenda postrema clausula genealogiæ Christi, qvæ est à Jechonia ad Christum usqve, cùm apud Matthæum tùm apud Lucam. In reliqvis genealogiæ illius membris

si-

ſiqvid ſit, præter illud, qvod perſtrinximus de jure ſucceſſionis Nethanitarum in Regnum Davidicum intercidente Salomonis familiâ, id aliàs, ſi Deus dederit, fuſiùs declarabimus.

CAP. VII.

Interpretatio & expoſitio ex profeſſo & præcipuè ſuſcepta in v. 42. c. XIII. Act. Apoſt. & per acceſſionem in v. 15. & 32. c. XXIII. Levit. & in v. 1. c. VI. Luc. & in loca aliqvot alia.

QVum non immeritò Theologi Chriſtiani Actorum Apoſtolicorum librum ab Euangelica Domini noſtri Jeſu Chriſti hiſtoria diſtingvant, locum etiam ex illo libro aliqvem in hunc noſtrum libellum tranſcribere viſum eſt. Prætermiſſis igitur qvamplurimis, ex illius libri umbilico aſſumemus v. 42. c. XIII. cujus videtur hæc eſſe interpretatio, *Egreſſis autem Judæis ex Synagoga obſecrârunt Gentes ut ad interjectum Sabbatum proponerentur ſibi hæc verba.* Expoſitio verò & ſenſus illius verſus ejuſmodi eſſe videtur, *Ubi autem Judæi ex ipſa Synagoga exiiſſent, Gentes ipſæ cùm à Judæis tum etiam à Paulo & Barnaba, qvibus potuerunt. precibus contenderunt, ut illa eadem, quæ à Paulo explanata fuerant, rurſum ſibi proponerentur proximô illô die feſtô, qvô etiam in media hebdomade, qvæ proximè ſubſeqveretur, ſolenni ritu feriandum eſſet.* Ergo qvod ibi de *Sabbato intermedio* ſeu *interjecto* dicitur, refero ad diem aliqvem feſtum, qvô ſolenniter feriandum eſſet, atqve adeò æqvè ſolenniter atqve Sabbatô ipſo ſeu

ſeu ſeptimô die. Feſti enim dies aliqvot erant ex ipſius Dei præſcripto æqvè ſolennes atqve Sabbatum ipſum: ipſa videlicet Neomenia menſis Tiſris, qvæ incidit in novilunium Septembris noſtri, à qvo qvidem novilunio Septembris noſtri incipit Hebræorum Tiſris; item & ejuſdem illius Tiſris dies decimus Propitiationibus ſacer: item & primus atqve ultimus dies feſti Tabernaculorum, qvi in illum ipſum Tiſrim incidunt; item & primus atqve ultimus dies Paſchæ, qvi in menſem Niſanem (qvi à novilunio Martii noſtri ut plurimùm incipit) incidunt: deniqve & dies ipſe Pentecoſtes, qvi ſemper qvinqvageſimus eſt à poſtero die illius, qvi primus erat feſti Paſchatis ſeu Azymorum. Mitto enim Encæniorum & aliorum feſtorum ſolennitates, qvæ ſuperioribus illis ab ipſomet Deo inſtitutis ſuperinductæ ſunt, ne qvis nobis objiciat non ita certas fuiſſe feſtorum iſtorum dierum ſolennitates & feriationes, ut fuerunt feſtorum illorum dierum, qvos ſuprà nominatim deſignavimus. Nam præterqvàm, qvòd Moſes diſertè pronunciat omnibus illis feſtis Sacras convocationes habendas eſſe nullúmqve opus patrandum eſſe, immò ab omni opere feriandum eſſe æqvè atqve Septimô die ſeu Sabbatô, ipſe qvoqve illis eiſdem omnibus promiſcuè voces illas *Schabbáth* & *Schabbathón* modò ſeparatim, modò conjunctim accommodat, ut illis vocibus Sacras ceſſationes & feriationes deſignet ejuſmodi, cujuſmodi ipſo Sabbati die obſervabantur, ut liqvet ex his, qvæ exſtant Levit. XVI. 31. & integrô c. XXIII. ejuſdem libri, & Num. XXVIII. 16. ſ. & totô c. XXIX. collatis inter ſe & cum his, qvæ ex-

 ſtant

stant Exod. XXXI. 15. & XXXV. 2. & alibi. Atqve hæc efficiunt omnia, ut non malè concludam, *Sabbati* nomen omnibus illis solennibus festis attributum fuisse posteriore Apostolorum ætate juxtà ac prioribus illis Mosis temporibus. Et verò Moses Levit. XXIII. 15. primum diem festi Paschatis seu decimum qvintum diem Nisanis mensis, qvalis qvalis fuerit, disertè appellat *Sabbatum*; item & v. 32. decimum diem Tisris mensis, qvi Propitiationibus sacer erat. Lucas Euangelii sui c. VI. 1. ex doctiorum interpretum sententia appellat *Sabbatum alterum* seu *secundum primo*, postremum diem festi Paschatis: † ita ut etiam ex illa phrasi satis expressè innuat primum diem festi Paschatis *Sabbatum* appellatum fuisse. Certè annô,

† Qvia ad explicationem hujus rei verba Cl. Joh. Frischmuthi faciunt non parum, adjicio ea è Συζητήσει ejus Philologica de Sabbato Deuteroproto, habita & edita Jenæ CIↃ. IↃC. LXII. in 4to. *Alii*, inqvit §. 12. *malunt intelligere diem septimum Paschatis, qvi dicatur δευτερόπρωτος, qvòd æqvè ac prior esset solennis, omniqve in eo famulô opere abstinendum. Amplectuntur hanc sententiam* Aretius, Th. Beza, Bertramus, Pasor in Lexico *in N. T.* Flacius in Clave, Chemnitius *in Harm. Euang. Neqve etiam dicam ei scribunt Osiander & Estius. Solet verò fundamenti vice istud qvoqve adduci, qvòd Matth. XII. 1. & Marc. II. 23. dicatur, id contigisse ἐν σάββασι: qvô plurali satis innuatur, festum aliqvod solenne indigitari diebus pluribus constans, non σάββατον vulgare & hebdomadale. At enim pluralis ille definitum plurium dierum complexum necessariò minimè significat. Cùm enim LXX. Interpretes Lev. XXIII. 32. verba*

annô, qvô Christus cruci affixus est, primus dies festi Paschatis dicatur *magnus fuisse dies Sabbati illius*, in qvod primus ille dies incidit, Joan. XIX. 31, Sed jam excipiat aliqvis, primum illum diem festi Paschatis in Sabbatum propriè dictum incidisse. Verumenimverò superiora illa sufficiant ad evincendum, si non in omnibus festis illis diebus, qvos suprà disertè expressimus & enumeravimus, certè in festi Paschatis primo & ultimo die, item & in die Propitiationum hoc verissimum esse, qvod qværimus, festos videlicet dies, qvibus solenniter feriandum esset, appellatos fuisse *Sabbata*. At verò qvum primus & postremus dies festi Paschatis, item & Tabernaculorum, átqve dies alii aliorum illorum festorum in mediam hebdomadem incidere possent, non malè verba illa Lucæ ita exponere possimus, qvasi

 illô

verba Ebraica; שבת שבתון הוא לכם *sic verterint*: σάββαλα σαββάτων ἔςαι ὑμῖν, *adeóqve pluralem pro singulari adhibuerint, & Matth. XXIII. 1. Act. XIII. 14. N. T. Scriptores itidem eum sic usurpârint, inde omnino consequitur, vocem illam accensendam esse illis, qva sonô plurali significationem singularem habent, de qvibus videatur B. D.* Glassius, *Phil. S. lib. III. tr. 1. can. XXVI. p. 94. (m. 444.) Sanè diem ultimum Paschatis haud innui hâc voce inde patescit, qvòd Lucas haud dubiè diem certum & in vulgus notum significare eâ voluit, qvi tamen denotari eâ haud potuit, si alterum festi solennis innuere voluisset, qvippe qvi die octavô festi qvoqve Tabernaculorum occurrit. Qvin verisimile est, dicturum fuisse Lucam non* δευτεροπρώτῳ, *sed* ἐσχάτῳ, *additô nomine festi solennis, qvô isthæc contigerint, ceu Joh. VII. 47. appellavit.*

illô annô primus dies festi Paschatis, aut etiam postremus, aut aliqvis alius aliorum illorum festorum in mediam hebdomadem proximè subseqventem incidere deberet. Jam verò si qvis objiciat Gentes à populo Dei alienas non ita nôsse potuisse festos dies Hebræorum, ut etiam in mediam hebdomadem obventuros prænoscerent, respondeo primùm civibus Antiochiæ illius, qvæ de *Pisidiæ* nomine agnominata est, æqvè bene hoc notum esse potuisse, atqve notum est civibus Francofordiensibus & Vormatiensibus, qvibus diebus & temporibus Judæi sua Sabbata reliqvósqve suos festos dies paulò solenniores celebrant: præsertim cùm jamdudum per Asiam & Libyam palàm proposita fuissent Romanorum Imperatorum, Consulum & Proconsulum senatusconsulta & decreta in gratiam gentis Judæorum & Sacrorum populi illius concepta, ut illa notat Josephus. lib Antiq. Jud. XIV. c. XVII. & lib. XVI. c. IV. V. & X. Qvin etiam jam hoc subjiciam, videri *Gentium* nomine primùm eos ex Gentibus intelligi à Luca, qvi Paphô unà cum Paulo Pergen & posteà Antiochiam Pisidiæ advenerant, de qvibus actum est ejusdem illius c. XIII. 13. & 14. deinde eos ex Antiochenis, apud qvos diverterant Paulus & Barnabas, & qvos jam convenerant, qvos, ut jam Christiani erant, puto satis bene nôsse Judæorum festos dies & Sacros ritus. Postremò qvosdam intelligi puto ex civibus Antiochenis, qvi curiositate & affectatô qvôdam rerum novarum studiô, qvô maximè laborârunt Græci & præsertim Asiatici, superioribus illis sese adjunxerunt: qvod & testatur vers. 44. cujus initium designat. v. 42.

actum

actum fuisse de Sabbato, qvod qvum advenisset, tota ferè urbs coacta dicitur ad audiendum Dei sermonem, qvem Paulus euangelizabat. Qvod vir mihi multis nominibus observandissimus Josephus Scaliger in libro de Emendation. Temporum vult Σαββατῶν hîc, & qvamplurimis aliis novi Testamenti locis, legendum non Σαββάτων, ita ut prior illa vox repræsentet & exprimat vocem Hebraicam, *Schabbathón*, non genitivi pluralis formam Græcam, qvam exhibet vox posterior: qvasi etiam eâ prioris illius vocis lectione confirmare velit doctissimorum virorum interpretationem, qvi *hebdomadem* hîc intelligi volunt, & totum illud tempus qvod inter duo Sabbata ordinaria intercedebat, non potest mihi ullô modô, ullâve ratione probari. Nam etsi concedo, voce Hebraicâ *Schabbáth* & ipsum *Sabbatum* seu *septimum diem*, atqve ipsam *Hebdomadem* seu *Septimanam* venire, idem tamen in vocem *Schabbathón* competere nego. Immò potiùs illud ex usu Hebraicæ lingvæ audeam asseverare, vocem illam ex imminutionis analogia eam elegantiam præ se ferre, qvâ Dominus Deus cessationes & feriationes sacras maximè commendet. At verò nec illud negare volo, qvin potiùs affirmo, vocem *Sabbati* in scriptis Euangelicis, Maccabæorum & Flavii Josephi passim numerô plurali usurpari pro singulari, atqve adeò hujus nostri c. XIII. 14. & alibi sæpe: ita ut si qvis vellet etiam alibi ex numero plurali genitivum effingere & efformare, hoc libenter admiserim, sed non isto nostrô vers. 42 qvum illud sensui Lucæ minimè conveniat. Ut enim jam demonstravimus, initium vers. 44. ca-

pitis hujus nostri XIII. prorsus arguit, verissimam esse nostram hanc interpretationem: qvasi præstationem & exsolutionem habeat stipulationis illius, qvam Gentes si non à Judæis expresserant & extorserant, certè à Paulo & Barnaba impetraverant.

Cap. VIII.

Interpretatio & expositio ex professo & præcipuè suscepta in v. 29. c. XV. Epistolæ prioris ad Corinthios; & per accessionem in Marc. VII. 4. & Levit. XV. 16. & XIX. 28. & XXI. 1. 2. & 3. & Judith. X. 3. & XII. 7. & 2 Sam. XI. 2. & XII. 20. & Ecclesiastic. XXII. 10. & 11. & XXXIV. 29. & Rom. XV. 8. & 9. & Num. V. 2. & VI. 11. & in universum c. XIX. & Act. VIII. 2. & XV. 31. & XVIII. 2. 4. & 8. & Apoc. I. 7. & XVIII. 9. & 11. & 20. & Luc. XV. 7. & XXIII. 28. & Matth. XVIII. 13. & 1. Cor. I. 14. & V. 7. & 8. & IX. 8. & 13. & X 2. 3. & seq. & XIV. 16. & Philipp. I. 5. & Hebr. IX. 17.

QVia vulgò Epistolæ Apostoli Pauli volumen singulare in scriptis Apostolicis efficiunt, ex eo locum unum in hunc nostrum libellum transcribemus, qvem omnes Theologi difficillimum explicatu agnoscunt, & ad qvem enucleandum labores, qvos potuerunt improbissimos, adhibuerunt. Locus ille exstat 1. Corinth. xv. 29. Versum ergo illum sic interpretor, *alioqvin qvid facient, qvi lavantur in gratiam mortuorum, si omnino mortui non resurgunt?* [ad] *qvid, inqvam, lavan-*

vantur in gratiam mortuorum; Ejus verò versus sensum hunc esse arbitror; Præterea si nulla est spes resurrectionis corporum nostrorum. qvorsum Hebræi nostri ex antiqvissimo Æterni Dei mandato cum tanta támqve exqvisita & laboriosa sedulitate mortuorum sepulturam procurant? ita ut etiam se repetitis per aliqvot dies † ablutionibus fatigare non dubitent, qvibus expurgent & qvasi expient pollutiones. qvas ex sepultis & humatis corporibus mortuorum contraxerunt. Qvin potiùs illi, qvi etiamnum hodie sese & alios condiendis & sepeliendis mortuorum corporibus, miris modis fatigant & vexant, curam illam tam piam & sanctam deinceps missam facient, neqve ampliùs mortuorum corpora con-

† Qvid Cl. Spanhemius in hac expositione desideret, aperit in Diatriba de Veterum propter mortuos Baptismo, p. m. 103. s. edit. Lugd. Batav. CIƆ. IƆC. LXXIII. in 8t. Cujus, qvia in omnium manibus, verba non exscribo. B. Joh. Tarnovii in p. m. 653. Exercitation. Biblicar. lib. II. Cl. II. n. IX. edit. Lipsf. M. DC. XL. in 8t. verba hæc sunt: *Pareus sententiam, qvam in Commentario reliqvis præfert, videtur desumpsisse è* Lucubrationibus Franktallensibus Bonaventuræ Corn. Bertrami, à p. 103. *nempe, qvòd notentur lotiones, qvibus Hebræi eas pollutiones eluebant, qvas contraxissent, vel ex contactis mortuorum corporibus & ossibus, vel ex eo, qvòd animam exhalantibus adfuissent. Cogita verò, quis hac scribat, qvando, & ad qvos, & scies, non posse eam consistere. Apostolus Paulus, qvi contra Ceremonias Mosaicas V. T. multis in locis agit, tempore N. T. qvando illæ umbræ, ipso asserente, Col.* II. 17. *Hebr.*

tingere sustinebunt & dignabuntur, immò nec contingendis in posterum mortuorum corporibus sese polluere volent, postqvàm nullum agnoscent & percipient levamentum laborum illorum, qvos sepeliendis mortuorum corporibus impendunt: neqve ullum lotionum illarum, qvas ipsi aliíqve in eorum gratiam ingeminant, ut pollutiones contractas ex contactis * inter sepeliendum mortuorum corporibus eluant, operæqve suæ tam accuratæ æqvamentum vel certè solatium situm in resurrectionis corporum demortuorum spe & fide, qvam jam inde ab Orbis conditu omnes ferè Gentes in cura sepeliendis mortuis adhibita testatæ sunt & adumbrârunt. Jam verò ut hunc esse sensum Pauli luculentis & perspicuis rationibus probemus & evincamus, in vocum ipsarum significationem primùm inqvirendum videtur. Ergo sumendum etiam initium est à significatione verbi βαπτίζεσθαι, qvod Paulum usurpâsse dicimus pro *Lavari, & lotionibus seu ablutionibus elui & expurgari.* Certè longiùs petitum videretur, si demonstraremus pluribus, qvomodo βαπτίζειν deducatur à βάπτειν, qvod propriè significare videtur *lanam*

x. 1. desiêrunt, hæc declarat gentibus conversis Corinthiis, apud qvos illæ leges nunqvàm in usu. Et qvomodo concluderet, si non resurgunt mortui, cur se lavant? quia hoc etiam multi Ethnici, qvi resurrectionem mortuorum non credebant, faciebant, ut probârunt Philologi, Critici, Historici. Confer quæ habet J. Kirchmannus de funeribus Romanorum lib. I. *c.* VII. *p.* 52. 53. *& lib.* I. *c.* XIV. *extr. & lib.* III. *c.* IX. *p.* 375. 376.

* Malè in Amstælod. col. m. 13. est *contractis*.

lanam aut pannum aut aliud qvidvis immersum in lacum aliqvem aqvâ tinctoriâ plenum inficere & colorare; ideóqve vox ipsa βαπτίζειν significet *tingendi causâ Immergere*: indéqve usurpatum sit etiam ab ipsis Hebræis & Judæis pro *contractas sordes & pollutiones lotô etiam toto corpore eluere, sanctitatémqve qvandam & munditiem in earum locum inducere*: item & inde acceptum sit & usurpatum ab ipsis Apostolis ut designet non solùm *actionem illam externam immergendi & intingendi aqvis ipsos Christi discipulos*, sed & præterea *immersionem illam internam actionis illius externæ partem præcipuam, quâ fit, ut nativa nostra peccata ita Christi sangvine eluamus & expurgemus, ut Christi ipsius sanctificationem illorum locô induamus*. Hìc ergo duntaxat perstringemus vocis illius acceptionem illam, qvâ factum est, ut Hebræi verbum βαπτίζειν usurpaverint pro *contractas sordes & pollutiones lotô etiam toto corpore eluere, & sanctitatem qvandam & munditiem in earum locum inducere*. Ita ab Hebræis usurpatum fuisse verbum hoc liqvidò constat ex Marc. VII. 4. † qvô loco doctissimi interpretes notant verbum hoc de *totius corporis lotione* dici, qvæ etiam in Lege ipsa sæpius inculcetur, & inculcata intelligenda eô modô videatur ex eo, qvod Lev. XV. 16. vox Col (qvæ *Totum* significat) adjiciatur vulgatæ illi phrasi, qvâ alibi apud Mosen corpus lavandum seu caro lavanda innuitur. Atqve hæc ipsa phrasis ita intelligenda videatur libri historiæ Judith c. XII. 7, & conferenda cum

 his,

† Vide dicta in Fasce nostro II. n. XI. §. III. IV. p. 506. f.

his, qvæ dicuntur c. x. 3. & in Apocrypha Susannæ historia, immò & cum his, qvæ describuntur 2. Sam. xi. 2. & xii. 20. & alibi. Baptismorum seu Baptismatum nomen in Epistola ad Hebr. ix. 10. & has ablutiones & alias indicare videtur.

Ergo ex superioribus concludam, verbô illô βαπτίζειν & βαπτίζεσθαι venire *lotiones illas, quibus Hebræi eas pollutiones eluebant & expurgabant, qvas contraxissent vel ex contactis mortuorum corporibus & ossibus, vel ex eo, qvòd animam exhalantibus adfuissent, eorúmqve modò mortuorum tabernaculum aut sepulchrum ingressi fuissent*, ut luculentissime apparet ex Ecclesiastic. xxxiv. 29. Qvod verò attinet ad voces illas ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, puderet me infinitis testimoniis cùm scriptorum Sacrorum tum profanorum probare voces illas maximè propriè sonare *Mortuorum caussâ* vel *nomine*, *Propter mortuos*, & *In gratiam mortuorum*, qvemadmodùm etiam jam suprà hunc ipsum sensum illis ipsis vocibus attribuimus. Duntaxat hìc perstringam, me vocem ὑπὲρ hòc ipsô nostrô sensu exponere Rom. xv. 8. *in gratiam veritatis Dei* i. e. eò, ut Deum veracem esse constaret: item & vers. 9. & *ut Gentes glorificarent Deum propter misericordiam* (vel, *nomine misericordiæ*) [qvam conseqvutæ sunt videlicet] qvasi genus aliqvod caussarum indicetur hâc phrasi. Jam verò ut nostram hanc vocis illius acceptionem nostro proposito accommodemus & accommodatissimam illi eidem evincamus, hìc admonebò, doctissimos interpretes cùm Hebræos tum Latinos notare literam Hebraicam *Laméd* sonare, *In gratiam*, vel *Propter*, Lev.

xix.

Lev. xix. 28. *Et cæsuram in gratiam alicujus demortui* (vel, *propter ullum demortuum*) *non indetis carni vestræ.* item & c. xxi. 1. 2. & 3. & Num. v. 2. ita ut interpreter illud Num. vi. 11. *& expiationem faciet pro eo ab* [eo] *qvod peccaverit* (i. e. in noxam inciderit) *propter illum demortuum.* Atqve ex his non dubitavero phrases illas Græcas *Lugere*, *Flere*, *Lamentari*, *Plangere pectus* ἐπὶ νεκρῷ, & similes, qvæ occurrunt cùm apud interpretes & scriptores Græcos veteris Testamenti, tum apud scriptores Novi, ita interpretari, ut voces illas duas Græcas sumam pro *Demortui causâ & nomine*, *In gratiam demortui*, *Propter demortuum.* Missis verò factis phrasibus istiusmodi, qvæ passim occurrunt apud Græcos illos scriptores & interpretes veteris Testamenti, qvæ usurpantur Eccles. xxii. 10, & 11. sic interpretor illud Act. Apost. viii. 2. de planctu gravissimo in gratiam Stephani edito: item & illa Apoc. xviii. 9. & 11. de planctu etiam ingenti, qvem in gratiam Babylonis subversæ edituri sint Reges & mercatores terræ. Immò etiam ex collatione interpretationis Græcæ in Zach. xii. 10. & Apoc. i. 7. puto apud illos ipsos scriptores aliqvando in illis phrasibus & similibus ἐπὶ νεκρὸν illud idem sonare posse. Atqve sic non malè interpreteris illa Luc. xxiii. 28. *ne flete in meam gratiam*, *sed potiùs in vestram vestrorúmqve liberorum*, i. e. vestram vestrorúmqve liberorum vicem dolentes potiùs qvàm meam. Qvin etiam illa, qvæ transferuntur Matth. viii. 13. & Luc. xv. 7. *Gaudere super uno peccatore resipiscente magìs*, *qvàm super nonaginta novem justis*, malim interpretari, *Propter unum*

unum peccatorem resipiscentem magis, quàm propter nonaginta novem justos: item & illud Apoc. XI. 10. *Gaudebunt super illis & exsultabunt*; & XVIII. 20. *Exsulta super eam*; malim interpretari, *gaudebunt propter eos et exsultabunt*; & *Exsulta propter eam.* Deniqve & eôdem modô interpretor illa 1. Cor. XIII. 6. *Non gaudet propter injustitiam* [admissam] vel, *de injustitia* [patrata:] item & illud Act. XV. 31. *gavisi sunt propter exhortationem*; item & similes phrases qvæ exstant 2. Cor. VII. 13. & IX. 15. & XII. 21. & Philip. I. 5. Missam facio constructionem eandem prorsus hujus præpositionis ὑπὲρ cum verbis, qvæ significant *Misericordiâ commoveri et affici*, & similibus; qvæ efficit ut illas ipsas phrases eodem ferè modô & sensu explicem. At verò nec præterire volo locum illum Hebr. IX. 17. *Testamentum enim propter mortuos ratum* [est;] qvòd in sensum Apostoli nostra hæc interpretatio optimè qvadret. Sensus enim Apostoli hic esse videtur, *Testamenta non aliunde vires assumere, qvàm ex eo, qvòd testator mortuus sit.* Subjicit enim *ea nondum valere qvum vivit testator.* Hanc nostram interpretationem probat Syrus interpres, qvi legisse videtur *Mortuum*, non *Mortuos.* Porro, si qvis mallet illas voces interpretari, *Testamentum enim post mortuos ratum* [est;] qvasi eô loci præpositio ἐπὶ sonare possit *Post*, ut aliqvando apud Græcos hanc habet acceptionem, illi libenter adjungerem illud 1. Cor. XIV. 16. *qvomodo dicturus est Amen post tuam gratiarum actionem* i. e. qvomodo subjecturus est tuæ gratiarum actioni vocem *Amen*, qvâ testatur suum in illam consensum? Porro, ut ad nostrum propo-

positum redeamus, postqvàm jam satis supérqve declaravimus, qvomodo exponendæ videantur voces illæ *βαπτίζεσθαι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν* de *lotionibus, qvas subibant, qvi sepeliendis mortuis operam dabant*, nobis lotiones ipsæ pluribus jam exponendæ videntur. Ergo qvum certissima peccati pollutionúmqve, qvas ex eo homines contraherent, indicia in homine animam exhalante cernerentur, illorúmqve indiciorum progressus maximè illustres apparerent in morte ipsa; cadaveribúsqve hominum demortuorum ad corruptionem & putrefactionem properantibus, merámqve impuritatem & inqvinamentum spirantibus, meritò Dominus in sua Lege testatus est Num. XIX. 13. pollutum iri Tabernaculum suum ab iis, qvi polluti fuissent ex inqvinamentis illis, qvæ exhalando admisissent ab iis, qvi animam egissent: nisi aliqvâ ratione testati fuissent se pollutionum illarum purgationem ex sangvine venturi Messiæ sperare, & eam exterioribus qvibusdam signis per ipsam fidem applicare. Signa illa Dominus voluit esse ejusmodi, ut primùm deligeretur junix rufa & integra, nullóqve vitiô notata, & qvæ jugum nunqvàm subjisset; eáqve ad summum Sacerdotem adduceretur, qvi juberet eam educi extra castra, & coram se jugulari; posteáqve ipse ex ejus sangvine digitô suô septies aspergeret versus anteriorem partem Tentorii condictionis seu conventus; deindéqve juberet comburi junicem illam ante suos oculos, pellem videlicet, carnémqve & reliqvum illius sangvinem unà cum ejus fimo; atqve in eum rogum lignum cedrinum, hyssopum & vermiculi coccum projiceret, hísqve peractis Sa-

Sacerdos ipſe, & qvi junicem ipſam combuſſiſſet, veſtimenta ſua & corpus ſuum lavarent; itáqve loti in caſtra redirent, immundíqve eſſent ad veſperam uſqve. Porrò deligendus etiam fuit vir mundus, qvi cinerem rogi illius colligeret, & extra caſtra relinqveret in loco qvodam mundo: eò ut cinis ille aſſervaretur cœtui ſeu Eccleſiæ filiorum Iſraëlis in aqvam purgationis & expiationis à peccato: qvíſqve ex iſta collectione & repoſitione contaminatus veſtimenta ſua lavaret, immundúſqve permaneret ad veſperam uſqve. Uſus verò cineris iſtiuſmodi hic fuiſſe videtur, ut qvisqvis fuiſſet in tentorio alicujus, qvum ille animam ageret, vel in illud adveniſſet ſtatim, poſtqvàm ille animam egiſſet, vel etiam illum demortuum contigiſſet, immò & alium qvemlibet in agro confoſſum & mortuum, illiúſve os aliqvod aut ſepulchrúm, ille immundus eſſet per ſeptem dies, qvorum tertiô & ſeptimô curaret ille idem, ut ſibi inſpergeretur aqva condita cinere illo junicis rufæ per virum qvendam mundum, qvi ſeptimô demum die illum, qvi immundus fuerat, purgaret & expiaret, ita ut ipſi duntaxat ad munditiem integram conſeqvendam reſtaret, ut ipſe veſtimenta ſua & corpus lavaret. Hoc ſi præſtaret die ipſô ſeptimô, diei ejus veſperâ mundus futurus dicitur. At verò etiam qvi aqvam illam cinere junicis rufæ conditam inſperſiſſet, aut aliqvô modô contigiſſet ut vult Abén Hezrá, ita immundus dicitur, ut veſtimenta ſua lavare deberet, nec ante veſperam munditiem priſtinam recuperaturus eſſet. Rabbi Schelomò ex ſuorum Talmudiſtarum interpretatione vult eum,

eum, qvi aqvam illam duntaxat contigiſſet, ut & eum, qvi id contigiſſet, qvod contigiſſent illi, qvi aliqvô modô ex ſuperioribus illis immundi eſſent, non opus habuiſſe lotione veſtimentorum, ſed eos veſperam duntaxat expectare debuiſſe, ut illa adveniens eos expurgaret. Qvin etiam illud ibidem præſcribitur, ut vir qvidam mundus ex aqva illa purgationis aſpergat tentorium illud, in qvo animam exhalavit, qvi mortuus eſt: item & vaſa, qvæ in eo tentorio operculô aliqvô obthurata non fuerint, item & animas, qvæ ibidem exſtiterint. Hæc verò omnia pluribus proponuntur Num. xix. Illis autem omnibus hoc unum adjicere libet, aqvam illam videlicet conditam cineribus junicis rufæ & aſperſiones ex ea faciendas eas duntaxat pollutiones ſpectâſſe, qvæ ex mortuorum hominum cadaveribus, oſſibus & ſepulchris contractæ fuiſſent. Aqva enim alia adhibita videtur ad eluendas pollutiones alias, aliunde, qvàm ex hominibus mortuis, eorúmqve oſſibus & ſepulchris contractas, ut id probare poſſimus ex Lev. c. xi. xii. xiii. xiv. & xv. Jam verò ut illa omnia noſtro propoſito adcommodemus, primùm hoc notamus, eos, qvi operam aliqvam navarent moribundis atqve animam agentibus, illíſqve jamjam mortuis, eguiſſe duabus aſperſionibus intra ſeptem dies, unâqve ſaltem ablutione ſeu lotione, qvâ veſtimenta ſua corpúſqve adeò ipſum pollutionibus à ſeſe ex illis contractis eximerent: immò & opus habuiſſe virô aliqvô mundô, qvi illis ita pollutis, die ſeptem illorum tertiô & ſeptimô aqvam inſpergeret, qvi & ipſe utrôqve illô die, ſi bene conji-

cio,

cio, vestimenta sua lavaret; ita ut propter aliqvantulam operam illis navatam, qvi animam agerent, aut etiam egissent, si non duæ solennes corporum lotiones adhibendæ essent, una saltem perficienda esset, tres verò immò & qvatuor non ita solennes ipsorum vestimentorum ablutiones duabus illis essent adjiciendæ: deniqve etiam à duabus aspersionibus, pollutionum illarum expurgandarum initium sumendum esse. At verò ex superioribus illis adjicio, demortuos homines sepeliri non potuisse, qvin illorum cadavera contingerentur: immò & vix unum hominem sufficere potuisse demortuo alicui honestè & commodè sepeliendo, ut apparet ex his, qvæ notat Herodotus, ubi agit de Ægyptiorum ritibus, qvi sepeliendis & condiendis demortuis iidem ferè ab Ægyptiis & Hebræis adhiberentur: item & ex eo, qvod Joann. Euangelii sui c. XIX. 39. Nicodemum Josepho Arimathæensi in Christi sepultura adjungit. Ergo qvot jam lotiones leviores & graviores, immò & corporum ipsorum solennes ablutiones adhibendæ fuerunt ipsis Hebræis, qvi operam aliqvam sepeliendis demortuis, demortuorúmqve ossibus navârunt, atqve aliqvid in demortuorum gratiam præstare voluerunt, officiúmqve illud postremum charitatis & pietatis erga demortuos exsolvere? Deniqve nec illud hìc præteritum volo, lotiones, qvæ ad aqvam purgationis hujus, in qva adhuc hæret hæc nostra disqvisitio, conficiendam congruebant qvamplurimæ, posse etiam ad Pauli propositum & institutum referri. Verumenimverò etiam superioribus illis subjicio Paullum appositissimè argumentum hoc ad

ad probandam corporum resurrectionem ex tam laboriosa & accurata Hebræorum cura in sepeliendis demortuis repetiisse. qvòd apud omnes ferè nationes sepeliendorum & humandorum, immò & condiendorum corporum cura, sepulchrorúmqve sanctitas meritò à doctissimis Theologis singulare speratæ & creditæ apud priscos homines resurrectionis corporum indicium, monimentum & argumentum prædicetur. Ceterùm, si qvis excipiat, Mosem in illis lotionibus & ablutionibus præscribendis respexisse ad eluendas illas pollutiones, qvas Judæi contraherent ex contactis mortuorum cadaveribus, aut ossibus, aut etiam sepulchris, ingenuè fatebor, Mosem præcipuè illud spectâsse; sed nec etiam illud neglexisse puto, qvod qværimus, nimirum in mortuorum cadaveribus sepeliendis restitutionem aliqvam in pristinam immortalitatem & justitiam sperandam & exspectandam esse, qvæ nitatur unicô illô Christi sangvine, per qvem etiam omnes corporum nostrorum sordes ita eluantur, ut tandem illa resurgant qvàm purissima & nitidissima & immortalitate limpidissimâ donata: qvò etiam aliqvô modô spectârunt omnes illæ sepeliendorum corporum curæ & sedulitates laboriosissimæ. Ergo qvæ hîc dicimus ita à Mose repetimus, ut velimus Paullum præter cetera respexisse ad illam laboriosissimam diligentiam, qvam Hebræi sepeliendis mortuorum corporibus impendebant: qvam etiam ipsi libentissimè suscipiebant ut testarentur spem illam suam & fidem, qvam habebant certissimam, de mortuorum resurrectione. Paullum igitur dicimus ita ex Mose argumentari, ut ostendat

dat, Hebræos, nunqvàm tantam curam pro mortuis ſepeliendis ſuſcepturos, nec tot lotiones repetituros fuiſſe in gratiam ſepeliendorum mortuorum, ſi nulla futura eſſet corporum demortuorum reſurrectio. Repetitas autem iſtas lotiones apud Hebræos fuiſſe non ex Phariſaica qvadàm ſuperſtitione, ſed ex lege Moſaica puto, etiam Apoſtolorum ipſorum temporibus; qvibus veriſimile eſt, Judæos Chriſtianos ut faciliùs & familiariùs cum Judæis aliis, qvi adhuc in ceremoniis Moſaicis toti hærebant, verſarentur, eóſqve Chriſto lucrifacerent, ſeſe accommodâſſe. Alioqvin præſertim Jeroſolymis, & in reliqva Judæa, atqve alibi, ubi freqventiſſimæ erant Judæorum Eccleſiæ ſeu ſynagogæ, nuſqvàm Judæi Chriſtiani ullam cum Judæis Moſaicis conſvetudinem habere potuiſſent. Immò nec Paullus ipſe, vel Barnabas, aliíve Judæi Chriſtiani in Hebræorum Synagogas admittendi fuiſſe videntur, niſi Judæi Moſaici eos aliqvam munditiarum & purificationum Moſaicarum rationem habere nôſſent: præſertim ante Templi Jeroſolymitani everſionem. Atqve hæc mea conjectura nititur præcipuè eâ hiſtoriâ, qvæ exſtat Act. XXI. 21. & multis locis Epiſtolarum Paulli. Porro neqvid reſtet qvod qvemqvam remoretur, hic jam reſpondebo illis, qvi excipere poſſent, non fuiſſe iſta Corinthiorum Eccleſiæ proponenda, atqve ex Moſis Lege ad Corinthiorum errores evincendos eruenda, qvum ipſa Corinthiorum Eccleſia ex Gentibus conſtaret. Nam ut apparet ex Act. XVIII. 2. & 4. & 8. (qvô proximô locô fit mentio *Criſpi Archiſynagogi*, ſicut & 1. Cor. 1, 14.) qvamplurimi

rimi Judæi nomen dederunt Christianæ Corinthiorum Ecclesiæ: & in illis (ut verisimile est) peritissimi Legis Mosaicæ, ceremoniarúmqve illius, postqvàm Archisynagogus aliqvis illis annumeratur. At verò etiam scrupulus alius nobis eximendus est. Insolens enim qvibusdam videri possit, qvòd Paullus rationem hanc, qvam exponimus, ex Legis Mosaicæ ceremoniis desumat. Sed ut prætercam allusiones & argumentationes ex ceremoniis Legis Mosaicæ depromptas, qvas habet qvamplurimas Paullus in aliis suis Epistolis, illas hîc perstringam, qvæ exstant in hac ipsa 1. Cor. v. 7. & 8. & ix. 8. & 13. & x. 2. & 3. & f. sed præsertim vers. 18. Nondum probare potui, qvod qvosdam audivi, verbum βαπτίζεσθαι in media voce sumere, & activè illa exponere, *lavare super mortuos*. Adduci enim non possum, ut acceptionem illam activam in hac voce admittam. At verò, si Paullus à sepulturæ ritu aliqvo corporum resurrectionem confirmare voluit, ritum aliqvem notare debuit, qvi sumptus qvosdam magnos, aut certè molestias, laboréfqve haberet ejusmodi, cujusmodi in illa nostra expositione attigimus. Certè Lucas Act. ix. 37. dixit λούειν τὴν ταβιθάν i. e. *lavare Tabitham*, non *baptizare* seu *baptizari super Tabitham*.

CAP. IX.

Interpretatio & expositio ex professo & præcipuè suscepta in v. 13. c. V. Epistolæ prioris Petri: & per accessionem in c. VIII. & IX. & X. & XI. & XII. & XV. Act. & in c. I. & II. Epist. ad Gal.

QVia veteres Theologi in Canone librorum Novi Testamenti peculiarem qvemdam locum attribuerunt illis Apostolorum Epistolis, qvas Catholicas seu Canonicas agnominârunt, ex illis etiam locum qvemdam in hunc nostrum libellum transcribemus. Locus ille à nobis desumetur ex 1. Petr. v. 13. Versum autem illum ita interpretor, *Salutat vos ea, qvæ est Babylone, electa* [Ecclesia,] & *Marcus filius meus*: atqve in hunc sensum expono: Ecclesia illa, qvam Dominus Babylone ex suis collegit & elegit eô prorsus modô, qvô Ecclesias vestras ex vobis collegit & elegit, vos salutat: idem & Marcus, qvem in Christo ita edocui, ut meritò me ejus parentem, illum meum filium appellare possim. In hoc versu explicando veteres Theologi & neoterici, qvos adhuc videre licuit, ita sese exercuerunt & vexârunt, ut major eorum pars *Babylonis* nomine Romam intellexerit; & argumenta undiqvaqve conqvisiêrit, qvibus suam illam interpretationem confirmaret. Pauci Babylonem illam celeberrimam Assyriæ seu Babyloniæ urbem notatam conjecerunt. Sed illi suæ interpretationis firmamenta nulla adferunt: immò nec verisimilitudinem qvidem ullam profectionis Petri in Baby-

Babyloniam proferunt. Certè qvum ex veteribus Ecclesiæ Christianæ historicis & scriptoribus, qvos ipse viderim, nulli sint, qvi profectionis Petri in Babyloniam meminerint, sed omnes eum cis Euphratem substitisse volunt, mihi aliqvando venit in mentem expiscari, num in hunc locum qvadrare posset, qvod de Babylone Ægyptiaca prædicant Geographi & historici. Ptolemæus in descriptione Libyæ Marmaricæ & Ægypti, librô suæ Geographiæ IV. c. V. Babylonem istiusmodi, qvam Ægyptiacam agnominamus, collocat ad interliminium Arabiæ & Nomi illius, seu Præfecturæ, qvam *Aphroditopolitanam* vocat. Strabo, qvi Augusti temporibus vixit, librô suæ Geographiæ decimô septimô, illô eôdem locô agnoscit, *Castellum naturâ munitissimum Babylonem* nomine, qvòd qvidem ita etiam ejus ætate nobilitatum fuerit, ut habuerit unam ex tribus legionibus, qvas Romani Ægypto custodiendæ adhibebant. Babylonem istiusmodi conditam primùm dicit à Babyloniis, qvi eò transfugientes habitationem à Regibus impetrâssent. Josephus, Antiq. Jud. libr. II. c. V. in Græcis exemplaribus, & in editione Rufini c. XIII. notat Babylonem istiusmodi sitam fuisse, ubi qvondam exædificata fuisset urbs Latus seu Latone, ibíqve instauratam, qvum Cambyses Ægyptum devastaret. Non procul ab ista nostra Babylone, qvæ imposita est Trajano fluvio, & alveo ostii Pelusiaci seu Bubastici, si credendum est illis, qvi emendatiùs tabulas Ptolemæi expresserunt, longè tamen supra Trajanum ipsum & paullò infra Busirin, est metropolis Nomi seu Præfecturæ Heliopolitanæ

urbs, de nomine Onii seu Oniæ agnominata: infra verò Trajanum ipsum est Heliopolis; è regione autem illius ipsius Babylonis paullò supra intimum recessum sinus Arabici oppanditur Heroum civitas, qvæ & ipsi Trajano imposita est. Onii seu Oniæ urbem Metropolin totius Nomi seu Præfecturæ Heliopolitanæ nominat & agnoscit Ptolemæus Geographus: atqve in ea urbe Templum ab Onia filio (hoc est, pronepote) Simonis, summi qvondam Sacerdotis apud Jerosolymitanum Templum, conditum notat Josephus, librô de Bello Jud. VII. c. XXXVII. Hoc verò si verum est, sicut & qvod vulgò omnes interpretes fatentur, nimirum Judæos in Heliopolite Nomo seu præfectura habitationem delegisse & impetrâsse, qvum eò à Josepho Jacobi Patriarchæ filio advocati fuissent, & qvasi postliminiò veterem illam possessionem repetiisse & recuperâsse, verisimile admodùm videtur, Petrum, cui commissus fuisset *Circumcisionis* (i. e. Judæorum convertendorum) *Apostolatus*, ad eam regionem Hebræis refertam penetrâsse, qvum jam in Judæa post singularem illam illius liberationem, qvæ describitur Act. XII. consistere non posset; vel etiam eò missum fuisse: atqve adeò eô nomine, qvòd ibi Hebræi Templum maximè illustre haberent, qvod eôdem etiam tempore collapsurum erat, ejúsqve ceremoniæ desituræ, qvô Templum Jerosolymitanum evertendum esset, ejúsqve ritus omnes abolendi: atqve ad Babylonem hanc nostram illius regionis urbem munitissimam substitisse, ibíqve Ecclesiam Christianam collegisse; ut ibi tuti omnes esse possent adversus

He-

Hebræorum ferociam ac impetum. & ex media & munitiſſima arce totius illius Nomi ſeu Præfecturæ, qvam Heliopolitanam appellavimus, omnes illius incolas ſed præcipuè Judæos expugnarent & debellarent. Certè qvod Nicephorus, aliíqve notant, qvaſi ſortitò ad obeundum prædicandi Euangelii munus obveniſſe Apoſtolo Petro Alexandriam, atqve adeò Ægyptum ipſam; & aliqvando pòſt, qvàm ibi ſubſtitiſſet, Eccleſiæ Alexandrinæ Marcum Euangeliſtam præfeciſſe, arguere videtur, Petrum in Ægypto Euangelium docuiſse, neqve in ſublimiores Aſiæ partes tam citò ſubvectum, rurſum tam citò ad inferiores deſiluiſſe & deſcendiſſe: qvamvis ſortitio, qvam Nicephorus, aliíqve pleriqve jactitant, mihi ut illis non probetur. Immò etiam illa, qvæ in Actis Apoſtolicis dicuntur de Apoſtolis, qvi omnes Jeroſolymis conſiſterent intereà dum Eccleſiæ Jeroſolymitanæ diſcipuli huc & illuc per Samariam & Judæam diffluerent propter excitatam adverſus Eccleſiam Jeroſolymitanam perſecutionem poſt Stephani mortem, & de Petro unà cum Joanne miſſo Samariam, Act. VIII. 2. & 14. & de Petro peragrante Judæam, Galilæam & Samariam, ut Eccleſias ibi collectas confirmaret, reliqváqve illa, qvæ de eo ipſo ſcribuntur Act. IX. X. XI. XII. & XV. & c. I. & II. Epiſtolæ Pauli ad Galatas, teſtari & arguere poſſint, Petrum ita ſibi placuiſse & acqvieviſse in Apoſtolatu Circumciſionis, ut ſaltem per octodecim annos cis Euphratem conſtiterit. Quartô enim primùm, deinde decimô octavô annô poſt Paulli converſionem Paullus Petrum Jeroſolymis convenit, ut liqvidò conſtat Gal. I. c. & II. ubi & Paul-

lus subjicit se aliqvanto pòst Petrum reprehendisse Antiochiæ. Deniqve si illud verum est, qvod tradit Josephus sub calcem libri XVIII. Antiq. Jud. Judæos sub mortem Caligulæ, i. e. annô Christi nati 42, aut 43. vi & armis coactos fuisse excedere ex tota Babylonia, nedum ex urbe ipsa Babylone, & Seleuciam secedere, & inde qvintô pòst annô Ctesiphontem migrare, qvomodo Petrus Apostolatu suô Circumcisionis apud Judæos Babylone perfungi tum potuit? Certè omnes ferè historici Ecclesiastici tradunt, Petrum conjectum fuisse in carcerem Jerosolymis, indéqve liberatum sub annum Christi 44. aut 46. & Marcum Euangelistam, cujus facta hîc est mentio, annô Christi 45. in Ægypto, atqve adeò Alexandriæ Euangelium prædicâsse. At verò, qvomodo tam citò Ecclesiam Alexandrinam reliqvisset Marcus, qvam vixdum bene collegerat & constituerat, ut Petro in Babyloniam profecturo adesset? Immò nec profectio Jerosolymis Babylonem per unum aut alterum continuum mensem confici potuit, ut pluribus in Hezræ historiam annotavimus. Qvòd si qvi regerant, Petrum ante hos annos Babylonem advenisse, respondebo, illam historiam, qvæ de Petro traditur in Actis Apostolicis, ita seriatim continuatam fuisse à Luca, à capite octavo (ubi dicuntur Apostoli Jerosolymis substitisse & remansisse, secedentibus & diffugientibus huc & illuc aliis omnibus discipulis) ad duodecimum usqve caput Actorum, ut nullus in ea historia hiatus appareat, nedum tantum intervallum, qvantum profectioni Babylonem sufficere possit. Aliàs ubi per otium licuerit, historiam Petri ex Paullo, &

aliis

aliis pluribus perseqvemur, atqve adeò an ille Romam profectus fuerit. Nobis hoc duntaxat probandum in præsentia proposuimus, verisimilimum atqve adeò verum esse, Babylonem, cujus meminit Petrus sub calcem prioris suæ Epistolæ, Ægyptiacam fuisse non Assyriam seu Babylonicam. Deniqve anteqvàm hinc discedo, qvia video viros doctissimos Onii urbem sumere pro urbe Heliopoli, obiter perstringam duas esse Ptolemæo urbes, illíqve Onii urbem Metropolin Heliopolitanæ Præfecturæ esse. Certè conjicio veterem illam Onem, cujus meminit Moses Gen. XLI. 45. desertam aliqvamdiu jacuisse: deinde aliqvantô pòst tempore instauratam fuisse ab ipsis Judæis, postqvàm Onias filius Oniæ primogeniti filii Simonis, Summi qvondam sacerdotis apud Jerosolymitas, ibi Templum exædificâsset. Atqve qvòd urbs istiusmodi nomen habuerit ab Onia Templi illius exædificatore, inde factum puto, qvòd vetus nomen Ægyptiacum, *On* videlicet, cum nomine *Oniæ* Hebræo prorsus conveniret. Apud Ægyptios posteriores Macedonum lingvæ & moribus assvefactos multas fuisse urbes, qvæ agnominarentur de nomine viri aut idoli alicujus apparet ex Ptolemæo, apud qvem illa exstant, *Heroum urbs* in hac ipsa Præfectura, *Herculis magna civitas*, *Herculis parva civitas*, *Mercurii parva civitas*, *Nicii*, vel potiùs *Niciæ civitas*, *Latonæ civitas*, & aliæ permultæ: & apud Plinium, *Isidis oppidum*, Item & *Cambysæ* seu *Cambysis* [oppidum;] qvod postremum certè suspicarer esse nostram hanc Babylonem, ídqve collatis illis, qvæ Josephus de ea tradit, cum his, qvæ scribit Plinius de isto Camby-

ſæ oppido, lib. VI. c. XXIX. niſi ſitus obſtare videretur. Multa alia atqve adeò ex ſuperioribus illis nonnulla Ægypti oppida iiſdem prorſus agnominationibus deſignata apud Plinium, Strabonem & alios reperias. Atqve ſuperiora illa me eò adducunt, ut apud Ptolemæum Latinum *Oniæ urbem* potiùs transferrem qvàm *Onii*, ſicut & *Niciæ urbem* potiùs. qvàm *Nicii*.

Cap. X.

Interpretatio & expoſitio ex profeſſo & præcipuè ſuſcepta in v. 16. c. XVI. Apocal. & per acceſſionem in Zach. XII. 11. & Joſ. XXI. 25.

REſtat unicus Revelationum ſeu Prophetiarum Novi teſtamenti liber, qvem vulgò *Apocalypſin* vocant, cui etiam ut reliqvis ſuus honos debetur in hoc noſtro libello. Ergo ex eo jam deſumimus verſ. 16. c. XVI. qvem verſum ita interpretamur, *Congregârunt igitur eos in locum, qvi appellatur Hebraicè Armageddon.* Illius verſus ſenſum altiùs paulò repetemus. Et verò totô illô capite XVI. agi videatur de progreſſu illo, qvem continuum adhibiturus eſſet Dominus in domandis illis, qvi *characterem Beſtiæ haberent*, & eos, qvi *adorarent imaginem ejus*, & qvi Sanctorum & Prophetarum ſangvinem effunderent: & de eorum obduratione adverſus juſtas, immò & ſingulas Domini animadverſiones, qvas etiam cum convitiis & blaſphemiis in Deum ipſum exciperent. Igitur qvum jam Dominus ſextam illis plagam infligeret, viſum eſt illi, ut Angelus, qvi ſextæ iſti animad-

madverſioni & plagæ præeſſet, *phialam ſuam effunderet in Euphratem fluvium*, eò ut Euphratis alveus *exſiccaretur*, *pateretqve* eâ ratione citra Euphratem *aditus Regibus Orientis*: adverſus qvos alii *Reges exciti à tribus ſpiritibus dæmoniorum*, *qvi prodirent ex ore Draconis*, *ex ore Beſtiæ & ex ore Pſeudoprophetæ*, *adituri Reges terræ & totius continentis*, *ut congregarent eos ad prælium magni illius diei Dei omnipotentis*, *tandem aggregati ſunt*: ita ut confligerent Reges illi Orientis cum Regibus illis aliis, qvi exciti fuerant ab impuris illis ſpiritibus, *ad locum qvemdam*, *qvi nominaretur Armageddon*; hoc eſt, in qvo maximus edendus eſſet luctus, atqve adeò ejuſmodi, cujuſmodi editus fuit aliqvando ad Gath-rimmonem urbem, ubi Levitæ Kahathitæ celeuſma torcularium illius urbis converterunt in acerbiſſimum luctum, ſuſceptum propter Joſchiam Regem Judæ à Pharaone Nechone profligatum & trucidatum ad eum planitiei Megidduntis locum, qvi proximè ſubjicitur monti illi, ad cujus pedem ſita fuit urbs Megiddo. Certè qvia prelum Typographicum vetat, qvominùs pluribus hæc explicem, obiter perſtringo locum hunc Apocalypſeos deſumptum videri ex Zach. XII. 11. & apud Zachariam vocem *Hadad-rimmón* aſſumptam fuiſſe & uſurpatam pro *Gath-rimmón*. qvæ urbs ad urbem Megidduntem ſita ceſſerit aliis Kahathitis ab Aharonicis, ex Joſ. XXI. 25. & de qva Zacharias videtur innuere prodiiſſe lamentationes qvaſdam editas à Cahathitis in gratiam Joſchiæ Regis trucidati ad Megidduntem, qvæ demonſtrarent *Hedád*. i. e. celeuſma calcantium ſeu prementium *Rimmón*. i. e. malogra-

granatum seu malogranata, commutatum fuisse in luctum & planctum gravissimum. Aliàs fusiùs, si Deo videatur, exponam qvomodo Gath-rimmon urbs Kahathitis attributa ex media Tribu Manasse, non procul absit à Megiddunte: item & qvomodo illa eadem urbs Gath-rimmon alia habuerit nomina, omnia cum apppositissima allusione & analogica elegantia illi verbo accommodata: item & qvàm fuerit elegans allusio vocis *Hedád*, qvæ significat *celeusma calcantium malogranata seu uvas in labro seu lacu vinario, vel etiam illa eadem prementium in torculari*, ad vocem *Gath*, qvæ vox significat & *Labrum* seu *lacum vinarium*, & si velis *Torcular*: item & qvomodo ex Kahathitis multi fuerint cantores & Poëtæ præstantissimi: item & qvomodo Poëtæ omnes Poëtriæqve Hebræorum, lamentationes in Joschiam ediderunt: item & qvomodo ex malogranatis succus aliqvis atqve adeò potus expressus fuerit apud Hebræos: item & qvomodo tota illa Zachariæ sententia cum hac Joannis Theologi omnino conveniat: deniqve & multa, qvæ ex Herodoto & Histôricis aliis, cùm prophanis tum Sacris, istisqve cùm Veteris Testamenti, tum Novi, aliqvando in c. xxxv. libr. posterioris Chron. conjeci. Jam tantùm attingam vocem *Armageddón* compositam videri ex *Har* Hebræo, qvod montem significat, & ex voce *Megiddó*, qvæ urbem ejus nominis declarat: qvasi indicetur hîc planities subjecta urbi Megiddunti, qvæ ad montis cujusdam pedem esset, qvæ planities resonantiam seu Echo ex proximo monte reboantem excipere posset. Qvòd si hæc explicatio non ita propè accedere videatur ad Zachariæ verba,
jam

jam hic subjicio, apud Hebræos vocem, qvæ scribitur per *Aleph* & *Resch*, & legitur *Ur* cum u vocali brevi, sonare aliqvando *Vallem*, seu *Spatium inter duos montes situm*, qvod etiam sonat vox *Bikáth*, qvâ utitur Zacharias: ita ut *Armageddon* sit *Vallis Megidduntis*. Deniqve promiscuè usurpari *Meghiddó* & *Meghiddón* pro eodem nemo Hebraicè tinctus non agnoscat, sicut & *Abaddò* & *Abaddòn*. Porro anteqvàm nostrum hunc libellum absolvam, dolebo vicem illorum, qvi sese adeò fatigârunt in comminiscendo & reqvirendo ordine inversarum vocum, seu dictionum, in hoc nostro complexu Armageddón, eúmqve reponendum censuerunt *Geddón*, (seu potiùs *Giddón*) *Haramá* vel certè *Harmá*, immò etiam si diis placet, *Hormá*. Nam ut missam faciam vocalium analogiam prorsus neglectam, ita permixtas fuisse duarum diversarum lingvarum diversas voces atqve earum posteriori, cui tribuitur terminatio Aramica, præfixam fuisse Hebræam emphasin, nemo vel mediocriter Hebræis literis & Aramicis tinctus non mirabitur, præsertim posterius illud in voce adeò Hebræis & Aramæis nota. Certè etiam illud magis mirum est, qvod boni illi viri *Harama* vel *Harma*, vel etiam *Horma* velint sonare posse *destructionem* ex Jud. 1. 17. qvum ibi scriptum sit *Chormáh* per literam Cheth.

F I N I S.

S U C C E D I T

חֶרְמָה   כִּנְדּוֹן

ܒܥܠܘ ܕܦܢܝ ܢܦܠܐ ܡܦܫܩܢܐ ܀

INTERPRES ERRABUNDUS

HOC EST

BREVIS

DISQVISITIO

De caussis errandi interpretum, commentatorum, disputatorum omniúmque adeò qvi circa sacras utriúsqve fœderis occupantur literas.

PRO-

PROOEMIUM.



Ecretum est mihi, Lector benevole, lucubrationibus hisce Frankstallensibus annectere generalia nonnulla, caussas errorum indicantia; qvò scias, qvanti sit, interpretis sacri perfungi officiô, qvibus mediis id muneris constet, qvot deniqve periculis expositi sint, qvi frigidiusculè Sancti verba Spiritus rimantur, omnísqve impetu ad Theologiam polemicam feruntur. Acutè non minùs, qvàm verè Vir qvidam Clarissimus, qvi ætatem propemodùm totam disputationibus consecrárat, imò verò exegerat adversus Pontificios & Remonstrantes: *Controversiarum scientiam necessariam fecerunt hæretici. Qvòd si aliqvando in eas provincias deportaremini, ubi nullæ hæreses, cui usui vobis esset vestra Theologia, si illam* polemicam *tantùm didicissetis? Controversiæ in Theologicis neqve fugiendæ, neqve etiam qværendæ sunt: sed ubi necessariæ existunt, admitti, & ex certis principiis breviter explicari debent. Solida autem Theologiæ ratio, qvam* positivam *vocant, inprimis ex* Scripturis *haurienda est.* Nostrâ qvidem ætate parùm abest, qvin ad Scholasticam devoluti Theologiam nonnulli planè adhærescant, de qvibus Salmero, prolegom. IX. can. XV. ait: *Cùm hoc genus Theologiæ commendo* (Scholasticæ scil.) *nolim ut qvisqvam in illis studiis consenescat; sed moderatum & certum tempus illis disputationibus impendat, ut ad meliora & svaviora sacrarum literarum studia tempestivè*

ſtivè perveniat. Qvidam enim ita immodicè illis ſtudiis adhærent, ut ad meditandas Scripturas & *tardi accedant*, & aridi *prorſus* & jejuni *inveniantur.* Veriſſimè dictum! Teſtantur id vel ſumma ingenia illorum, qvi præpoſtere circa ſacras literas aliqvid ſunt moliti: nihilô tamen minus, hodiè, prò dolor, morbus ille plus, qvàm ſatis eſt, invaluit; agítqve polemica Theologia haud rarò interpretem præcipitem, eóqve abripit, qvò, abſqve ea fuiſſet, abiiſſet nunqvàm, ceu ex occaſione exempla evincent. Solenne Judæi multis abhinc ſeculis decreverunt jejunium ob domum Schammai & Hillel diviſam atqve inter ſe diſſidentem: hodiè qvidem perpetuô mulctandi eſſemus jejuniô, adeò mutuis alternîſqve concertationibus alii alios ſubinde inſectantur. Sed qvid juvat conqveri? Ad rem ipſam potiùs aggrediamur: ínqve ipſos errorum fontes intueamur.

I.

QVantum itáqve in ratione interpretandi eſt errorum, debetur vel codici, vel interpreti. Qvòd ſi codex laborat, † nec ſuppetit tamen qvidqvam, unde emendetur, à culpa immunis erit interpres: ſin minùs, eſt omninò, cur ille qvoqve erroris condemnetur. Codices verò ſacri

† Bene Auguſtinus, lib. II. de Doctr. Chriſt. c. XIV. ext. *Plurimum hìc qvoqve juvat interpretum numeroſitas, conlatis codicibus, inſpecta atqve diſcuſſa, tantum abſit falſitas. Nam codicibus emendandis primitus debet invigilare ſollertia eorum, qvi ſcripturas divinas nôſſe deſide-*

cri authentici vel Hebræi sunt (qvorsum refer paucula illa Chaldaica, qvæ in lege, Gen. XXXI. 47. Prophetis, Jerem. x. 11. & Hagiographis, Daniele atqve Esdra occurrunt) vel Græci. Hos qvi neglectim ducit, qvid mirum sicubi erret? Fontibus nullus purior esse potest rivulus, authentico nulla tutior versio.

2. Non desunt qvidem, qvi illos qvóqve labe conspergere gestiant, vix ut tutum haberi qveat inde haurire limpidam. Unde Salmero, qvi lingvam Hebræam tantò reliqvis præstantiorem, & ad propriè & simpliciter explicandas cogitationes occommodatiorem censet, qvantò Deus homini præstat; scribere tamen nil dubitavit Prolegom. XIII. *Hebræa* VERITAS *non est usqvequáqve tàm pura & emendata, qvin* MULTOS & GRAVES *habeat errores, studiô & malitiâ Judæorum inspersos. Nam ob mutationem elementorum eorùm, qvæ vicinitatem*

siderant, ut emendatis non emendati cedant, ex uno duntaxat interpretationis genere venientes. In ipsis autem interpretationibus Itala (seu Vulgata vetus illa, *tùm, qvia nullum certum habuit auctorem, tùm qvia non de Hebræo fonte, sed de κοινῇ, vel de LXX. interpretatione sumta esset*, sic dicta Sixto Senensi in Biblioth. sanct. p. 666. ex Augustin. lib. XVIII. de Civ. Dei, c. XLIII. & Hieronym. Præfat. in Euang.) *ceteris præferatur.* Vitiosè *perferatur* est in edit. Witteberg. M. DC. IV. in 12. finiturqve eâ voce malè ibi caput XIV. & incipit his verbis c. XV. *Nam est verborum tenacior cum perspicuitate sententia.* Meliùs in edit. Helmestad. CIↃ IↃC LV. in 4to. qvam D. Georg. Calixtus dedit, incipit c. XV. his verbis: *In ipsis autem interpretationibus Itala ceteris præfertur &c.*

tatem habent; & variam punctorum rationem, quæ vim vocalium exercent; & ob diversum modum dispungendi textum, & glossulas Rabbinorum, magnam partem mysteriorum Messiæ nobis præripuerunt. Et Prolegom. xi. can. 41. *In his & similibus* (qvando scil. variant exemplaria, atqve in uno affirmatio, in altero negatio legitur) *consulenda inprimis est Ecclesia, deinde inspicienda sunt antiqva exemplaria, & magis castigata, & præsertim veteres Patres, ex qvorum locupletissimo penu possimus propositum dubium dissolvere: neqve aut qvibusvis Latinis, aut Græcis exemplaribus contra* VERITATEM, *& lectionem in Ecclesia receptam fides est adjungenda, ac* MULTO MINUS HEBRAICO FONTI, *qui interdum* CORRUPTISSIMUS *est, & per Rabbinos depravatus, ita ut plerique illorum pro nihilo pendant, an legendum sit cum negatione, an sine illa.* Cum Salmerone facit qvoqve Henricus Henriqvez, libr. *de Fine hominis*, c. x. afferens, si in fonte Hebraico aut Græco esset sensus contrarius, ita ut nullô modô, etiam per antiphrasin accommodari possit Vulgatæ Latinæ, impurum dicendum esse fontem, locúmqve vitiatum: qvia Vulgatam nullô prætextu liceat rejicere.

3. Scilicet veritati hebraicæ præferendum est judicium Ecclesiæ, h. e. Pontificis, & auctoritas patrum: qvasi inde pendeat sacrarum literarum veritas, & ubi fons aliqvid adstruit, id Pontifex impunè destruere atqve negare possit. Audivimus hactenus Bellarminum negantem, Ecclesiam judicare posse de Scripturis, h. e. de veritate ejus aut falsitate: sed longè aliud Salmero nobis persvadere satagit, sed modô planè incon-

convenienti. De Pontificis actis qvid sentiendum, subministrat l. c. Henriqvez. Instituit festum immaculatæ conceptionis B. Virginis, cùm tamen de ipsa conceptione immaculata necdum constet. Unde Soto, miratus illud ὕστερον πρότερον, dicere solebat: *Ego si essem Pontifex, priùs definiissem sententiam, qvàm instituissem festum hoc.* Alii totum negotium ad *materiam definibilem* pertinere negant: & cùm eadem de controversia Capreolus adduxisset XL. patres, eos examinans Cajetanus ad solos XV. reduxit, ex qvibus tamen vix tres id planè asserere, idem Henriqvez auctor est. Et concedemus, ut hisce præsidiis, hôc judiciô stet Scripturæ veritas!

4. In Novo qvidem Testamento Græci patres non parum adferunt subsidii ad textus integritatem: de hebraico verò textu non est qvòd eò confugias. Aliis hîc mediis opus est, ceu patescet adductis exemplis. Num. xxi. 5. perduelles Judæi introducuntur, qvi murmurantes adversus Deum & Mosen dixerint: *Cur* העליתנו *ex Ægypto, ut moriamur in deserto!* Socinus adversus Bellarm. & Wieck. Class. 1. arg. 1. p. 64. variè textum solicitat. Legi enim potest ת vel cum Kamez, vel cum Kibbuz: prior lectio singularem, posterior pluralem infert numerum. Illa Socino favet, hæc adversatur. Unde scribit l. c. *Si verbum illud*, Eduxisti, *singularis numeri retineatur, nemo non videt, verba ista omnia ad solum Mosen dirigi, & conseqventer totam tentationem. Habet quidem hebræus codex*, Eduxistis, *sed hæc varietas ab uno tantùm vocali punctulo pendet, non autem à litera ullius diversitate: & probabilius est, debere*

punctum istud tale apponi, ut legatur, Eduxisti, *seu ut Hebræorum verbum sonat*, ascendere fecisti, *propter testimonium Vulgatæ Latinæ editionis, cui græca consentit.*

5. Sic ille obtinere laborat, non aliter tentatum fuisse Deum à populo, qvàm qvia Mosen tentaverat, nec 1. Cor. x. 9. dici, Israëlitas tentâsse Christum: & qvam aliàs deserit, hîc exosculatur Vulgatam. Qvid hîc facto opus est? Deserere vulgatam Salmero non audet: nobis autem suppetit unde fontes tueamur. Evolvamus Massoram: tradit illa, qvid de utraqve lectione sentiendum. Nam ad c. XVII. 3. Exodi notatur, העליתנו ב׳ המעט, h. e. *Vox illa cum Kamez sub litera* ת *bis tantùm occurrit: hôc locô, & Num. XVI. 13. cujus memoriale est dictio* המעט. Cur itáqve audet Socinus ex Vulgata addere tertium? Item ad c. XX. 5. Numer. העליתנו ב׳ בטפ׳ וידבר העם בלהים h. e. *Idem verbum cum Kübbuz sub litera* ת *non occurrit nisi bis, & qvidem in hoc ipso libro, ac versus incipit:* Et locutus est populus contra Deum &c. nempe est hic ipse textus controversus. Accedit, qvòd duæ personæ disertè ibi sint nominatæ, unde rectissimè pluralis subjungitur; ceu alibi singularis, cùm unius tantùm facta est mentio. Conferantur tantùm loca adducta, (ac distingvatur murmuratio à tentatione; qvarum illa homines, hæc Deum concernit) item Chaldæus, qvi habet אִסְקְתוּנָא, & versio Judæo-germ. אוני׳ עש מישרידט דז ואלק אוף גאט אוני׳ אוף משה ווארום הט איר אויף געברוכט אונז פון מצרים:

6. Porrò

6. Porrò Vulgatæ verba ſunt Eſai. LIII. 7. *Oblatus eſt; qvia ipſe voluit, & non aperuit os ſuum.* Hanc oblationem Pontificiorum alii de cruenta paſſione accipiunt, alii de incruento Miſſæ ſacrificio. Sed acutè in h. l. Lutherus; *Aliter legerunt hunc textum in Eccleſia (qvàm, cùm mulctaretur, & infirmaretur, non aperuit os ſuum) eôqve ſunt abuſi contra ſcandalum crucis. Dicunt, paſſus eſt, ſed ſuâ ſponte, alias ſatis erat virium ad vitam ſuam defendendam. Eſt quidem pia & bona ſententia, ſed nos Ebraicam lectionem ſeqvimur.* At enim eſt, qvi hæc qvoqve exemplaria variare contendit, aliáqve legere *Schin* in voce נגש, alia *Sin*. Qvorſum hic nos recipimus? ad Eccleſiam & patres? nihil minus. Maſora magna conſulatur; qvæ tradit hic dictionem legendam eſſe בשין: nam בשין occurrere hiſce tantùm qvatuor locis, Gen. XXXIII. 7. Exod. XX. 20. I. Reg. XX. 13. Eſai. XXIX. 13. & diſertè intercolumnaris Maſorâ locô Eſaiæ modò citatô annotat: לבשיפרא נגש. hoc eſt *vox* נגש *cum Schin non occurrit amplius in hoc* Eſaiæ *libro.* Occurreret autem, ſi, c. LIII. 7. per ſchin eſſet legenda.

7. Atqve probè notandum, magnam eſſe diverſitatem inter fontes atqve tranſlationes ob literas *Sin* & *Schin* confuſas: v. c. Pſal. XL. 5. *Beatus vir, cujus eſt* NOMEN *Domini ſpes ejus, & non reſpexit in vanitates* & inſanias *falſas.* Bis hic erratum; primò legit Græcus שם *ſchem* nomen, pro שם *ſam poſuit*, eúmqve ſecuti ſunt Syrus & Arabs, qvorum ille ܣܡ hic أسس tranſtulit: deinde idem Græcus שטי *ſchette inſanias* ſubſtituit, pro שטי *ſete* qvod *de-*

clinantes sonat. Id enim compertum est, cùm significata vocum chaldaico-syriaca hinc inde in psalmis reperiantur, interpretem illum, sæpiùs qvàm par erat, deflectere ad Chaldaismum & Syriasmum. Hebræis שוט est נטה *declinare*, pro qvo Chaldæi סטא, Syri ܣܛܐ ex alia, ejusdem tamen acceptionis, radice hebræâ שׁטה sufficiunt: שטא est *insanire*, ܫܛܐ *stultus*. Atqve hinc insania interpreti nata est. Genebrardus qvidem censet, hanc lectionum diversitatem sensum non variare: verùm hoc accidit: alibi autem permagni refert, qvemadmodùm legendum sit, qvod proponitur. Vide sis Psalm. LXIX. 19. & CIV. 11.

8. Lubet verò tertium qvóqve addere locum ex Ps. LXIII. 2. Vulgata reddit: *Sitivit in te anima mea*, qvàm multipliciter *tibi caro mea*. Error est inde ortus, qvòd כמה *Cammah*, vel כמה *Cammeh* lectum pro כָּמַהּ; de qvo in Michlal Jophi scribitur: כָּמַהּ במפיק ה״הא ואין לו חבר במקרא ופירושו יחשוק ויהמה לך *Verbum* כמה *habet* ה *cum Mappik, nec iterum exstat in Scriptura, ejúsque expositio est* concupiscet te atqve ingemiscet. Sic igitur hîc deletum vel insuper habitum Mappik, additum Dages forte, mutata puncta, adeóqve triplici nomine erratur. Idem ne nos peccemus, Masora prohibet, notans, qvod hôc versu legitur, semel tantùm inveniri: כמה *Cameh* autem, judicio ejusdem, ter reperies, nempè 1. Reg. XXII. 16. 2. Paral. XVIII. 19. Zach. VII. 3. & כמה qvoqve legitur Gen. XLVII. 8. Unde cùm textus esset hiulcus, Syrus reddidit

ܟܡܐ ܣܓܝ

ܡܣܟܐ *expectat*, Arabs ترجاك *speravit te*, Chaldæus רגיג *ragig desiderat* vel concupiscit.

9. Hâc maximè ratione confirmanda vera codicis lectio: atqve omnibus votis expetendum, majore curâ criticos in opere Masoretico emendando versari: nam & ibi שיבוש reperiet, qvisqvis Masoram solicitè fuerit scrutatus: id si credere detractas, confer inter se Masoram magnam & parvam, Ceterùm dixeram in Tractatu Lipmanno subjuncto, c. 11. §. 18. hodiéqve superesse in fonte lectionem diversam, præter eam, qvæ vulgò nomine קרי & כתיב circumfertur, atqve è Masora esse emendandam: addam hîc exemplum è Bibliis Junio-Tremellianis. Sic verò auctores illi ad c. XXXVI. 21. (al. 23.) Ezech. *Lectionem* לעיניהם *pro* לעיניכם *servat Chaldæus paraphrastes, & habet liber manuscriptus: etsi in vulgatis exemplaribus legitur, ante oculos* vestros, *præter ipsum Maßoritarum testimonium.*

10. Notabo qvoqve alium è Masora emendandum, nempe Jos. XVIII. 12. *Fuerunt exitus ejus* מדברה *ad desertum Beth-avenis.* Kimchi h. l. commentatur: מדברה סמוך לבית און לפיכך הבי"ת פתוחה רל למדבר בית און *Dictio* מדברה *ponitur in statu regiminis respectu vocum* בית און, *qvapropter* ב *habet patach, ac sensus est.* versus vel ad desertum Beth-avenis: & ex ejusdem regula in Psalm. IX. 21. כל ה"א בסוף התיבה היא ל"מד בתחלתה *Omne* ה *locale in fine dictionis æqvipollet τῷ Lamed posito in ejusdem initio.* Veritatem hujus emendationis confirmat Masora ad c. XVI. 1. Esaiæ annotans: מדברה ה' בקמץ וב' פתחין *Vox* מדברה *qvinqvies occur-*

currit, ter cum Kamez, & bis cum patach, sc. Jos. XVIII. 12. 1. *Reg.* XIX. 15. *Esai.* XVI. 1. 1. *Paral.* v. 9. c. XII. 8.) Nunc subjungitur ג׳בתראי קמצין h. e. *tria posteriora sunt Kamezata*, adeóqve priora duo patachata. Hic Masoræ usus est, è qva itidem patescit, supervacaneam esse glossam, qvæ in Bibliis germanicis addita est, Gen. XXII. 14. † Negat auctor ejus יראה *Jerach* legendum: contradicit Masora ad Psalm LXXXIV. 8.

11. Hæc

† Adponam super h. l. Genes. verba Opt. Geierinostri, qvæ habet in concione funebri in obit. Regis Daniæ Friderici III.: cujus Symbolum hæc verba erant Scripturæ, habita, editáqve Lipsiæ CIↃ. IↃC. LXX. in 4to. *Qvamqvàm*, inqvit in p. m. 12. *de his Gen.* XXII. 14. *adductis verbis illorum amplectendam opiner versionem, qvæ vi accentuationis habet*: in monte Domini providebitur., *Neqve opus est, digladiari adeò de glossa marg. Lutheri super verbis*: auf dem berge, da der Herr sihet: Ebræi dicunt: Dominus videbitur. Sed nos Hieronymum secuti, Rabbinos grammaticos cum suis punctis & Kamets h. l. negligimus, & sine punctis dicimus: *der Herr sihet, das ist, er sorget für alles und wachet &c. Idem quodammodò legitur in comment.* Genes. *Lutheri*: communis sententia est omnium Interpretum, passivam vocem hîc retinendam esse, & legendum: in monte Dominus videbitur. Nec dubito, Hieronymum initiò sic reddidisse. Sed alterius cujusdam scioli aut notarii vitiò mutatum esse, qvi putavit posteriorem particulam cum præcedente convenire debere. *Et post aliqva in fine illius periodi*, Etsi igitur rectiùs, ut Ebræi volunt, passiva significatio retinetur, tamen usu detorta est vox de passivâ in activam, ut significaretur, Deum ibi adesse, & vigilantes oculos

11. Hæc fontium emendandorum ratio. Neqve enim dicimus, nullam ibi esse lectionem variantem, sed non esse de industria corruptos à Rabbinis, nedum corruptissimos; id qvod disputabat Salmero. Immensum qvantum differunt varia lectio, & studiosè facta corruptio, ceu docebit eum vel ipse interpres Vulgatus Latinus. Qvi itáqve solis versionibus inhærent, aut eas planè authenticas decernunt, in discrimine ac præcipitio versantur. Difficile enim dictu est, qvantum à fontibus discrepent, qvicqvid tandem caussæ sit.

los dirigere in suos cultores. *Iterum, interjectis nonnullis;* mons hic imposterum vocari debet *Epiphania*, qvia Deus respicit, apparet, auditur, videtur, ostendit se in verbo, exauditione precum, & omnibus aliis beneficiis. Qvia verò non solùm videt ipse, & intuetur hunc locum, qvod nobis non satis esset, sed etiam VIDETUR & apparet nobis; hinc seqvitur illud: Dominus videbitur; ubi antea VIDEBIT tantum dicebatur. *Hactenus Lutherus. Sanè passivam lectionem habent cum fonte LXX.* ὁ κύριος ὤφθη, in monte Dominus visus est vel apparuit. *A qva lectione cur recedamus, vix caussa datur ulla, præsertim cùm sensus utrobiqve resultet idem, sive dicas:* in monte Dominus providebit, *sive in* monte Domini providebitur; *sive:* in monte Dominus videbitur, *deprehendetur vel cognoscetur, tanqvàm pater providus, curam de nobis gerens inexplicabilem, &c. Discedit à litera non parùm versio Arabica:* misereatur Deus visitantis eum (*montem*) sicut dicitur hodiè: in monte Dei oportet, ut appareant homines. *Respexisse videtur ad Targum Jonathanis:* oravit Abraham & dixit: obsecro per misera-

12. Et græca qvidem translatio infinities à fonte recedit. Judæi jejuniô litant die octavô mensis Tebhet, שנכתבה התורה זנית בימי תלמי המלך והיה חסך לעולם שלשה ימים *qvô judicant adornatam versionem græcam Rege Ptolemaô, sóléqve per triduum lucem orbi negante*, ut est in Schülchan Aruch, part. 1. Hilkot תעניות sect. 580. num. 2. Sive illud verum sit, atqve Apellæ lugeant ob revelationem cum gentibus communicatam, sive commentum; sanè qvidem tot ibi sunt tenebræ, ut Græci patres fontibus inde suppetias ferre nesciant Et dubitabimus de latina versione Vulgata, Pontificiis in tanto translationum examine authentica, cujus auctor Græcum secutus est, in solo Psalterio * plus qvàm centies & vicies errantem!

13. Qvis

tiones a conspectu tuo Domine, manifestum est coram te, qvòd non fuit in corde meô עומקא profunditas, sed intentus fuerim, ut facerem decretum tuum cum gaudio. Jam verò qvando erunt filii Isaac offerentes tempore angustiæ, memor sis eorum, & exaudi eos, & libera eos, & dicant omnes generationes secuturæ: in monte isto ligavit Abraham Isaacum non filium suum, & ibi revelata est divina majestas. *Non multùm ab hac paraphrasi abest Hierosolymitana*: in monte domus sanctuarii Domini obtulit Abraham Isaacum filium suum, & in monte hôc, qvi est domus sanctuarii, manifestata est gloria divinitatis Domini. *Pro activa tamen lectione*, in monte Dominus videbit, *stant versio vulgata, Persica, Samaritana & Syra.* Hæc Geierus. Confer. Waltheri Officin. Bibl. p. m. 399. §. 481.

* Non diffitetur Gvil. Lindanus Episcopus Ruremun-

mun-

13. Qvis non hîc potiùs à rivulo ad limpidos fontes recurret sitim levaturus? Judica itáqve qvid sentiendum sit de effato Bellarmini, lib. 11. de V. D. c. x. scil. malè provisum esse Ecclesiæ, si in rebus *gravibus* non posset fidere Latinæ editioni, sed deberet recurrere ad hebraicos codices, & *mendicare* à Rabbinis, hostibus suis, veritatem, cùm vel in generalibus conciliis aut nulli, aut paucissimi inveniantur lingvæ hebrai-

cæ

mundensis, 111. de Optimo genere Interpr. f. 111. scribens: *Istas justissimas veterum Patrum, de vulgari isthac tam Psalmorum, qvàm Nov. Test. versione, querelas eqvidem optârim nos posse ire inficias, &c.* Et præfat. in Psalt. Davidis vetus, à SEXCENTIS ampliùs Scribarum mendis castigatum, utrumqve concedit, & qvòd ex Græca versione, cumprimis in Psalterio turbata & confusa, Psalterium (& qvidem per Græculum aliqvem, ut habet de *opt. gen. Interpr.* libr. 111. c. vi.) sit translatum; & qvòd eidem, cleri ignorantiâ tam malè fuerit prospectum. *At nunc*, inqvit, *id planè evenit (proh dolor) quod fonticulo, qvem immunda sues plurima suô rostrô sulcantes in fœtidum pervertunt cœnum, magìs lutosis delectata sordibus, qvàm limpidô fontis rivulô. Cùm enim hôc postremô sæculô pleriqve Clericorum alienis planè à sua qvisqve professione studiis intricati, ac divinorum propemodùm incurii, divinos Psalmos mendis plurimis, iisqve fœdissimis, contaminatos cum illa Cantorum colluvie (qva magìs verborum numeros appendere, ne præcipitare dicam & devorare, qvàm sensum tenere studet) negligenter maluerint recitare, qvàm repurgare, repurgatósqve intelligere, ac prudenter sive intelligenter psallere: hinc factum tandem, ut tot nunc scateat Psalmorum liber vitiis, mendis, lectionibus variis, manifestisqve adeò corruptelis,*

cæ periti. Ceterùm, qvid in rebus gravibus qvoqve præstet recursus ad fontes, docet, cetera satis rigidus, Salmero, prolegom. XIII. his omninò verbis: *Qvòd ejusmodi lingvarum cognitio res* parva *esse videatur*, & contemta, & *ad* Grammaticos *ferè spectans*, *non debet nos ab earum studio deterrere: qvia parva non sunt, sine qvibus magna constare non possunt. Veros autem & germanos sensus ex Scripturis eruere, aut hæreticos & pernitiosos confutare, plerumqve ex hujusmodi, qvæ levia & minutula* ex seipsis *videntur*, *pendere solet. Ut jam eâ ratione lingvæ* maximum *præstent adjumentum ad veritatem agnoscendam & amplectendam et ad falsitatem refellendam et expugnandam.*

14. Néqve verò ad solam vulgatam Græci interpretis errores restringuntur, sed plenâ manu feruntur in Arabico psalterio, interdum etiam in Syro, v. c. Psalm. † LXXIII. 7. *Exiit propter adipem* עֵינֵמוֹ *oculus* vel vultus *eorum*. Græci in עֵינֵמוֹ *aonemo* mutantes ver-

ptelis, ut vix spes foret studiosis, posse sua pristina reddi integritati, germanaqve lectioni. Qvi periculum fecerit Psalmos castigandi, verissimum comperiet, quod nos attigimus. Posteaqvàm igitur varia lingvarum variarum, variis etiam in regionibus contulissemus exemplaria, & per aliqvot annorum Olympiades corrigendi Psalterii, nostra in Ecclesia Dei Catholica usitati, sylvulam collegissemus, tandem cùm optati aliqvid otii contigisset, eam cadere aggressi sumus: hoc est, varias Psalterii nostri lectiones codicum Latinorum ac aliorum idiomatum, maximè verò Hebræorum, Chaldæorum, Arabicorum, ac inprimis, unde nostra est transfusa, Græcorum collegimus.

† Advertit & Opt. Geierus noster in h. l. p. m. 1467.

verterunt, *ἡ ἀδικία αὐτῶν*, inde Vulgatus habet interpres, *iniqvitas eorum*, Syrus ܒܥܘܠܗܘܢ, Arabs اثمهم Solus Chaldæus rectè פרצופהון *vultus eorum.* Qvòd si conferre paraphrases hasce velis, uti qvoqve Æthiopicam, miraberis Græci interpretis incuriam, qvem cæcô impetu ceteri sunt secuti.

15. De Syro tamen adhuc notandum, eum nonnunqvàm & à fonte, & à Græco discrepare. Nam Psalm. VII. 12. † cum legitur: *Deus est judex justus*, ואל & Deus *irascitur* (impio) *qvotidie*; substituit negativam, ܠܐ ܪܓܙ ܒܟܠܝܘܡ non *irascitur qvotidiè*: sive interrogatio ipsum deceperit, sive legerit ואל *veal*, aut ולא *velo.* Et Ps. XVII. ult. pro תמונתך legit אמונתך, qvia reddit ܗܝܡܢܘܬܟ *fidelitas tua*; & v. præcedente מתים *metim* cum tzere *mortui* pro מתים *metim* cum schevah *homines*; nam vertit ܡܝ̈ܬܐ *mortui*, Psalm. LXXII. 9. *Ante ipsum incurvabunt se* ܓܙܪ̈ܬܐ insulæ: qvasi איים legatur, pro ציים. Psalm. LXXVI. 7. *Ab increpatione tua soporatus est* ורכב וסוס *et currus et equus*; Syrus interp. ܕܡܟܘ ܪ̈ܟܒܝ ܪܟܫܐ dormitârunt vecti eqvis, qvasi רכב *rocbef.* Psalm. XC. 15. Lætifica nos ܡܝܬܐ ܓܝܪ ܥܘܠܢ qvia mortua est iniqvitas nostra, ac si legisset in fonte Hebræo

† Vide B. Calov. in Critic. sacr. p. 637. D. Geierum in h. l. ubi Nostrum Hackspanium adducit.

bræo כי מתו עונתנו, *ki metu aontenu*, vel כי מת עונו pro eo, qvod hodie legitur, כי מות עניתנו. Similis oſcitantia invaſiſſe videtur auctorem Apocalypſeos Syriacæ. Nam ubi legitur c. 1. 5. *Gratia vobis & pax à Jeſu Chriſto τῷ λύσαντι ἡμᾶς qvi* lavit *nos à peccatis noſtris per ſangvinem ſuum:* tranſtulit [illegible] qvi ſolvit *nos*, h. e. *λύσαντι*, niſi forſan revera in codice ita legebatur: nam exemplum aliud codicis variantis occurrit qvoqve c. 11. 15.

16. Sed hæc de codicibus: interpres verò ipſe, ſi qvando errat, in cauſſa eſt vel intellectus, vel voluntas. Sunt qvi curioſitate peccant nimiâ: nec deſunt qvi perfunctoriè textum perluſtrant. Difficile dictu eſt, qvàm curioſi ſint Judæi in enarrandis ſcripturis. Prodiit neſcio cujus recutiti operâ verſio Judæo-germanica cum commentariolo in librum Judicum, in qva ipſi qvoqve חכמים ad ineptias & ſcurrilia dilabuntur præ cura inani.

17. Dixerat Jahel Siſaræ Judic. IV. 18. 19. סורה אלי *declina ad me*, eúmqve tegumentô craſſô operuit, & qvò ſitim levare poſſet, lac exhibuit: cùm verò eſſet *ſoporatus* & *laſſus*, eundem interfecit. Hic illicò in cauſſam ſoporis atqve laſſitudinis inqviſitum oportuit. Qvid igitur illi חכמים non ſunt commenti? Nempe ſoporis ratio erat potus lactis, דעו מילך [illegible] שלוםﬞי: laſſitudinis autem venus ſepties cum Jahel freqventata ac repetita. At longè rectiùs ſapiunt, qvi ſcribunt, לא מגע בה אותו רשע, *non tetigit* (1. Cor. VII. 1.) *eam ille impius*; uti eſt in ויקרא רבה ſection. 23.

18. De-

18. Deinde, c. XVI. 21. Simſon in piſtrinum detruſus legitur; cúmqve hebræum טחן Job. XXXI. 10. & juxta Vulgatam Thren. V. 13. libidinem ſonet, temperare ſibi non potuit auctor curioſiſſimus, qvin rationem molendi proderet: hâc qvippe fini eò amandatum, ut cum Philiſtæorum uxoribus liberos procrearet robore valentes, atqve lacertoſos, דז זיא זאָלן שטאַרקי קינדיר בקומען פון אים Sic nimirum ab hoſte capto, cujus robur pridem periêrat, decus viréſqve ſibi pollicebantur. Unde ſapientes illos ridens Kimchi ad eum locum ait: דרך הדרש רחוק בזה וכי מה תועלת היה להם בזה והלא סר ממנו כחו h. e. myſtica hæc interpretatio longè petita eſt; & cui bono uxores proſtituiſſent ei, â qvo robur erat ſublatum?

19. Deniqve c. XXI. 11. in mandatis datur exercitui, ut occidat omnes femellas, exceptis, qvæ virum non cognoverant, ſed caſtæ adhuc erant virgines. Qvid hîc non molita eſt curioſitas ineptiens? Probatio virginitatis Moſaica locum obtinebat nullum, ſed modô planè turpiculô, ac ne fandô qvidem auditô homines caſtiſſimi virginitatem exploráſſe feruntur. qvem his omninò verbis tradidére Talmudiſtæ: הושיבום על פי חבית של יין בעולה ריחה נודף בתולה אין ריחה נודף cujus verſionem dicti ego prodere ne qvidem ſuſtineo, ne forſan plus curæ mihi, qvàm ipſis Judæis impingas. Refer huc, qvod ex Maſſech. Sanhedrin, cap. ult. tradit R. Salom. ad c. VIII. 7. Geneſ. corvum circa arcam volitâſſe, nec inde receſſiſſe ad expedienda ea, qvæ Noachus animô volvebat, שהיה חושדו על בת זוגו, qvod in com-

commentariolo Judæo-germanico reddidêre. דר רב וואר חושר נח ווטרג ביי"א דיבם ווייב לי'ג:

20. Sic ineptias præmii locô auferunt scrutatores illi, qvi tamen non modo חכמים, sed verò חסידים audire cupiunt. Nostrum est, qvæ magister maximus docere noluit, anxiè ne qvidem investigare: ac planè mihi persvaseram, Syros à curis ejusmodi esse qvàm alienissimos, veréqve columbas: at enim experiundo didici illos qvoqve hôc urgeri fatô, ut sectentur minutias. Sincerâ credimus fide, Hierosol. fuisse locum ܒܝܬ ܚܣܕܐ dictum Johan. v. 2. cujus aqvæ ab angelo statis diebus motæ primum qvemqve ægrotantium eò descendentium confestim sanarent, de caussa recondita haudqvaqvam soliciti: at Syrus tamen curiosiùs arcana hæc rimatus margini codicis Bibliothecæ Academicæ hæc verba addit:

ܡܛܠ ܕܦܓܪܗ ܕܐܫܥܝܐ ܢܒܝܐ ܛܡܝܪ
ܗܘܐ ܒܫܝ ܠܘܚܐ ܡܛܠܗܢܐ ܢܚܬ ܗܘܐ
ܡܠܐܟܐ ܘܡܙܝܥ ܗܘܐ ܠܡܝܐ ܀

Sensus hic est: *Qvia corpus Esaiæ Prophetæ absconditum erat in Schilucha* (confer, de hac voce Johan. IX. 7.) *propterea descendebat angelus & movebat aqvas.*

21. Unde hoc inaudiêrit, conjecturâ conseqvi nullâ possum. In Talmud qvidem, Massechet יבמות c. IV. hoc asseritur: מנשה הרג את ישעיה *Manasses interfecit* Esaiam: caussa mortis ibidem redditur, qvòd Mosi contradicere visus sit, in hisce locis

locis inter ſe collatis Exod. XXXIII. 20. & Eſai VI. 1. Deut. IV. 7. & Eſai. LV. 6. Exod. XXXIII. 26. & 2. Reg. XX. 6. Genus mortis autem ſic deſcribitur: אמר שם איבלע בארזא אתיוה לארזא ונסרוהו h. e. *pronuntiatô Dei nomine abſorptus in cedro delituit*, adductâ verò ad Manaſſen cedrô diſſecârunt † eum, atqve cùm perventum eſſet ad os ejus, נח נפשיה expiravit. Ratio ſtatim additur; qvia ore peccaverat, dicens מדעתו שלא צוה לו הק״בה motu

† Serrâ Jeſaiam à Manaſſe diſſectum eſſe, qvamvìs Alphonſus à Toſtato Epiſcopus Abulenſis in IV. Regum XXI. Q. XVII. neget, antiqvitas tamen credidit & receptiſſima fuit opinio: putârunt Juſtinus, Dial. cum Tryphone p. 114. Procopius, Origenes, hom. 1. in Pſalm. XXXVII. Dorotheus in Synopſi, Iſidorus, Epiphanius de Vitis Prophet. Chryſoſtomus, Auguſtinus. Tertullianus in Scorpiaco, c. VIII. *Eſaias*, inqvit, *ſecatur*. Ambroſius in c. XX. Lucæ: *Eſaiae*, inqvit, *faciliùs compagem corporis ſerra diviſit, qvàm fidem inclinavit, conſtantiámqve detrivit aut vigorem mentis exſecuit.* Hieronymus, lib. XV. in Jeſai. c. LVII. *Unde*, inqvit, *noſtrorum plurimi illud, qvod de paſſione Sanctorum in* Epiſtola ad Hebræos (XI. 37.) *ponitur*, ſerrati ſunt, *ad Jeſaiæ referunt paſſionem. Serrati ſunt* legit Hieronymus hìc & in Matth. XXVI. cùm locô Epiſt. ad Hebr. citatô ἐπρίσθησαν ſit, à πρίζειν, qvod B. Eraſmo Schmidio in h. l. *ſecare*, vel *diſſecare* eſt, qvamqvàm utrumqve Græcum ſignificat. Gloſſ. Philoxeni: *Serro*, πρίζω· *De Iſaia pene omnes intelligunt*, ait Gvil. Eſtius in h. l. p. m. 1060. *Pleriqve interpretes*, inqvit D. N. Gerhardus in h. l. *hoc referunt ad ſupplicium Eſaiæ, de qvo certiſſima apud Hebræos traditio qvòd à Manaſſe ſerrâ ligneâ diſſectus ſit.* Confer. Henr. Möllerum in Jeſa. p. 3. Sic & Rabbi

motu propriô citra mandatum Dei S. B. ſe habitare in medio populi polluti labiis Eſai. vi. 5. at אין סניגור יעשה קטיגור advocatus Iſraëlitarum accuſatoris officiô perfungi non debuit.

22. Sic illi occæcati de morte Eſaiæ ſentiunt, qvibus Servator noſter exprobrabat, qvod occiſorum â majoribus prophetarum ſepulchra, oſtentui habentes, magnificè exædificârint Luc. xi. 47. 48. neqve corpora illorum piſcinis immerſerint. Ac ſi fides habenda Adrichomio, Bethchesda

bi Salomo, & R. Dav. Gans in Zem. David; J. Druſius, lib. x. Obſervat. c. xix. ſcribit, hujus Traditionis qvoqve mentionem fieri in Talmud. Tractat. Ibammoth, paragrapho *holes* (ſive c. iv.) Confer. Buxtorf. in Lexico Talmud. fol. 1396. Elmakini teſtimonium è p. 121. Hiſtor. Arab. habes in Höttingeri Theſauro Philolog. lib. ii. c. 1. Sect. ii. m. p. 470. Duas verò idem in c. 1. Jeſaiæ ſanctus Hieron. refert inflictæ illius necis cauſſas, primam, qvòd *Hieroſolymitanos* c. 1. 10. adpellaverit principes Sodomorum & populum Gomorrhæ; ſecundam, qvòd Dominô dicente ad Moſen: Exod. xxxiii. 20. 23. *non poteris videre faciem meam*, Jeſaias auſus ſit dicere, c. vi. 1. *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & elevatum.* Enimverò ob libertatem, qvâ Vates malos arguebat, necem ſubiiſſe, tenent Patres & in iis Tertullianus qvoqve, lib. de Patientia: *His viribus*, inqvit, *patientiæ ſecatur Jeſaias, & non tacet.* Ambroſii verba habuimus ante paullò. Cornel. à Lapide citat. ad Hebr. locum adnotat, Iſaiam *ſerrâ ſectum, nimirum, ut qvi nomine ſuô Salvatoris nomen & adventum figurabat, morte qvoque ſuâ materiam & formam crucis in lignea ſerra figuraret.* Lege & Caſaubon. in Sveton. Caligul. c. xxvii. p. m. 400. b. edit. M.DC. XCI. in 4to.

chesda in urbe; sepulchrum Esaiæ extra urbem erat sub qvercu, [1] non ita longè â fonte & piscina *Siloë*. Arriperent omnino hanc Syri traditionem ambabus Pontificii, reliqviis sacris plusculum deferentes, si fundamentô qvôdam niteretur.

23. Ceterùm maxima in allegoriis & mystica interpretandi ratione latet curiositas. De Origene ait Hieronymus: [2] *Origenes liberis allegoriæ spatiis evagatur, & ingenium suum facit Ecclesiæ sacramenta.* [3] Alii somniorum interpretes indigitant, torqventes ad proprii conceptum ingenii, qvod in somniis viderunt, istos allegorizantes. Et nostrâ, malùm, ætate non defuêre, [4] qvi qvercum, ê qva capillis Absolon pependit, 2. Sam. XVIII. 9. appellitârunt manifestam crucis Dominicæ figuram, prorsus ut Christum crucifixum

 Ab-

1. Irenæus cit. locô subjungit, Iesaiam tumulatum sub qvercu Rogel juxta transitum aqvarum, qvem fontem à DEO Vates impetraverat, obsidionis tempore, ne populus siti periret.

2. In Præfat. x. Visionum Jesaj. ad Amabilem Episcop.

3. Epiphanius: Ἀλληγορεῖ (Origenes) ὅσαπερ δύναται. i.e. *allegoricè explicat qvidqvid potest.* Sed vide B. Glassium, II. Philolog. S. part. I. Tract. I. Sect. II. Artic. II. §. I. p. 255. & Tract. II. Sect. III. Artic. V. p. m. 298. húncqve seqvutum Joh. Henr. Höttingerum, lib. I. Thesaur. Philolog. c. II. Sect. VII. §. IV. p. m. 240. B. D. Calov. Comment. in Genes. p. m. 58. 88.

4. Vide rursus B. nostrum Glass. lib. II. Philolog. part. I. Tract. II. Sect. IV. Can. VII. p. m. 334. edit. opt. Francof. M. DC. LIII. in 4to.

Abſolon rebellis præfigurâſſe credatur. Utitur qvidem ſcriptura ſermone, qvi aliorſum trahi poſſet, ceu videre eſt in Cantico canticorum: ſed rectè de illo judæi: כל הכתובים קדש ושור השירים קדש קדשים *Omnia qvidem* Deô auctore *perſcripta Sanctitas ſunt, at canticum canticorum eſt ſanctitas ſanctitatum*; uti memorat R. Joſua Aben Sueb in qq. ſuper Legem, p. 42. Parcè itaqve & cautè hujusmodi talia attingenda, atqve illi typi ſermone noſtrô celebrandi, qvos ſacros eſſe juſſit novi federis auctoritas.

24. Neqve verò ſatis mirari licuit, Syros qvoqve huic allegorizandi ſtudio eſſe deditos. Salutantes enim Virginem beatam in hæc omnino verba erumpunt: ܫܠܡܠܟܝ ܡܢܢ ܝܠܕܬ ܐܠܗܐ ܥܢܢܐ

ܩܠܝܠܬܐ ܕܥܠܝܗ ܐܡܪ ܐܫܥܝܐ ܡܫܒܚܐ

ܫܠܡܠܟܝ ܩܒܘܬܐ ܕܕܝܬܝܩܐ.

h. e. *Salve à nobis genitrix Dei, Salve nubes velox, de qva dixit Eſaias glorioſus. Salve arca teſtamenti.*

25. Mariam vocat nubem levem, de qva ſcribit Eſaias c. XIX. 1. † *Ecce Dominus aſcendit* על עב קל ſuper nubem levem, & *movebunt ſe ſimulacra Ægypti à facie ejus.* Salmero qvidem ſcribit, Tom. III. tract. XLIV. de fuga Chriſti in Ægyptum,

† Hoc de loco agit B. Ægid. Strauch in Ægyptiaco Servatoris noſtri exilio, Faſcibus noſtris inſerendo propediem, §. 21.

Ægyptum, qvòd ingressus civitatem Solis (qvæ Heliopolis Græcè dicitur) venerit in templum (in qvo tot erant idola, qvot dies annus solaris complectitur) & ad hunc virginis cum Christo ingressum universa simulacra corruerint, atqve tunc impletum fuisse, qvod de nube levi prædixerat Esaias. Nubem verò levem de Sancta Christi humanitate accipit, in qva delitescebat divinitas; non de virgine Maria, ceu Syrus sibi persvadet: qvamqvàm hunc lusum faciliùs ferre possemus, qvàm qvòd eam arcam testamenti seu federis indigitat, refragantibus sacris literis, qvæ Christum כפרת seu ἱλαστήριον, & θρόνον τ͂ χάριτος appellitant Rom. III. 25. Hebr. IV. 16.

26. Uti verò ad allegoricas interpretationes prudens non facilè dilabitur: ita aversatur acceptionem vocis impropriam, literámqve arctè premit, nisi ex ea emergat vel in doctrina falsitas, vel in vita iniqvitas. Nam & hic qvibusdam nimis curiosis esse licuit, an placuit? Qvâ verò tandem ratione, inqvies, propriam vocis acceptionem indagabo? Cùm maxima inter auctores sit dissensio. Age ostendam, ídqve, qvoad ejus fieri potest, brevissimè.

27. Proprium oppositè dicitur ad commune seu appellativum; & figuratum, qvod vero qvoqve opponitur. Rectè enim Franciscus de Silvestris, Ferrariensis super lib. IV. Thomæ contra gentiles, c. VII. *Verum potest dupliciter accipi.* Uno modô, *ut distingvitur contra falsum: sicut propositio, qvâ significatur sicut est in re, dicitur vera; falsa autem, qvâ significatur non sicut est in re.* Alio modô, *ut distingvitur contra similitudinariè*

ſumtum: qvomodo dicimus, vivum animal eſſe verum animal; pictum autem non eſſe verum animal, ſed per qvamdam ſimilitudinem. Falluntur itaqve Photiniani negantes inter verum & improprium ſeu figuratum juſtam eſſe oppſitionem.

28 Porrò proprium appellativo oppoſitum ſuas qvaſdam notas habet apud hebræos haud contemnendas. Kimchi in Michlol, p. 15. colum. 1.
לא תבוא ה"א הידיעה על שם האדם לפי שהשם הוא
הידיעה ואין צריך ידיעה אחרת. לא תאמר האברהם היצחק.
וכן לא יבאו אתיות הכנוי מזה הטעם לא תאמר אברהמי
יצחקי. וכן לא יאמרו מהם בלשון רבים אברהמים יצחקים
He notificativum *non cadit in nomen proprium, qvia ſeipſum notificat, nec opus habet notâ aliâ, adeóqve cave dicas*, Haabraham, hajizchak. *Similiter hôc ſenſu non adduntur illi ſuffixa, neqve dices* Abrahami (*Abraham meus*) Jizchaqvi, *Iſaac meus: neqve ullo nomine propriô utuntur in numero plurali, v.c.* Abrahamim, Jizchaqvim.

29. Ne tamen hîc erret interpres, appellativa ſubſtituens pro propriis, cautio eſt. Nimis enim generaliter hæc dicta videntur. Capiamus exemplum. Abraham Saram ſepulturus, elegit מערת המכפלה Gen. XXIII. 9. vertunt, *ſpeluncam duplicitatis*, qvaſi fuerit ſpelunca duplex, de modo geminationis anxiè diſceptantes. Unde Cl. Salmaſius p. 2008. (m. 850. b. A.) Exerc. Plin. ſcribit: *De* duplici ſpelunca, *qvare ita vocata ſit, mirè æſtuant interpretes omnes. Nec meliora afferunt viri docti, qvi foſſam & ſpeluncam in ea fuiſſe autumant, ut per foſſam aditus ad ſpeluncam patuerit, in qva jacebat mortuus. Simpliciſſimum eſt*, ſpeluncam duplicem *accipere, qvæ duplicem haberet aperturam, & ex duabus*

bus partibus ingressum. Per hoc speluncæ magnitudinem ostendit, quæ duplicem hiatum haberet. Ac subjungit: *Non quærenda est alia duplicis speluncæ interpretatio.* Adde Abenezram l. c. & Cl. Heins. Aristarch. pag. 522. seq.

30. Aliis tamen hæc sententia non probatur duabus de caussis. I. Qvia uti spelunca, ita & ager fuisse dicitur ager המכפלה v. 19. Qvod si itáqve spelunca המכפלה dicta est ob duplicem hiatum, aperturam aut portam: qvô sensu ipse ager dicetur המכפלה? Num illi qvoqve duplicem portam tribues aut hiatum? II. Qvia vers. 17. spelunca fuisse dicitur in Machpela coram Mamre, h. e. in tali loco, qvi erat è regione Mamre. Hinc Machpela loci potiùs nomen erit, rectéqve dicetur, spelunca & ager Machpelæ, qvia cum illa, tùm hic fuère in tractu illo, qvi Machpela diceba- tur. † Nec novum est aut insolens nomina pro-

† Hackspanium seqvitur B. Augustus Varenius, cujus è Decad. Mosaic. VIII. Loc. IV. p. m. 503. s. edit. Rostoch. 1659. hæc verba subjicio: *Cœmeterium Saræ* dicitur מערת המכפלה Lutherus, *eine zwiefache Hôle.* Sic ע"א (i. e. Aben Esra) *dicta*, inqvit, *est Spelunca duplicitatis, qvòd fuerit* מערה בתוך מערה *id est, una spelunca intra alteram.* Rectiùs dicitur, qvòd *Machpela sit nomen proprium totius loci ad Hebronem siti, in qvo & ager Ephronis, & in agro illo spelunca illa, nobile Saræ κοιμητήριον:* cùm expressè ager, in qvo spelunca illa, fuisse dicatur *in Machpala* v. 17. atqve hinc spelunca illa: מערת שדה המכפלה in v. 9. qvæ proinde unà cum toto illo agro, omnibúsqve immobilibus so-

pria sive personarum, sive locorum, ab interpretibus appellativè accipi, & contra. Non, inqvam, error ille novus est, aut heri vel nudius tertius natus. Sic LXX. Amos. I. 6. גלות שלמה transferunt αἰχμαλωσίαν τοῦ Σαλωμών, ac si legissent שלמה *Schelomo*. Judic. VIII. 13 מלמעלה החרס *ante ascensum Solis*, reddunt, ἀπὸ ἀναβάσεως ἄρες. † Et vulgatus Pontificiorum interpres I. Paralipom. IV. 22. יוקים vertit, *qvi stare fecit Solem*: alia vide Job. XLII. 14 2. Sam. VIII. I. c. XXI. 19. I. Paral. II. 55. c. VII. 18. Nehem. VI. 2. Psalm. XLII. 9. & CXX. 4. Prov. XXI. I. Cantic. VI. 3. c. VII. 4.

31. Nec refert ה præfixum, qvod auctore Kimchiô aliàs in nomina propria non cadit. Doctè enim Cl. Amama id sic limitat, p. 633. Antibarbarbari Biblici: *Alia est ratio nominum propriorum, qvæ nunqvàm appellativa sunt, ut* Abraham, Jacob, David. *Ea enim nunqvàm admittunt articulum. Alia eorum qvæ* πρώτως *appellativa*

solemniter cessit Abrahamo per emptionis contractum לאחזת קבר vid. vers. citati. Nunqvàm autem Machpela est appellativum: sed semper proprium Gen. XXIII. XXV. 9. XLIX. 30. L. 13. non alibi, nec alitèr. & 2. positus est triplex. I. מערת מכפלה. 2. שדה המכפלה 3. מערת שדה אשר במכפלה vid. l. alleg. Hæc Varenius. B. Avenarius apud Gulielm. Robertson, in p. m. 430. a princip. edit. Londin. M. DC. LXXX. in 4to. Thesauri Lingvæ sanctæ; omnia illius vocis loca enumerans malè adducit, Gen. XLV. 9. pro Gen. XXV. 9. qvod tamen vitium typographi esse puto; sicut & qvod duo puncta addidit, ac si plus qvàm semel eo in capite occurreret, qvod falsum.

† Vide qvæ dixi part. III. Animadvers. mear. c. IV. §. IX. p. 176.

va sunt (aut verò esse possint; ut explicat Marc. Marinus in voce כפרת Esdr. II. 55.) *id qvod & in complurimis locorum nominibus observare est.* Consule hæc loca Num. III. 21. I. Sam. XXVI. I. 3. c. XXIII. 19. Jos. XV. 59. c. XVIII. 25. c. XIX. 20. I. Paral. II. 52. c. XII. 3. 2 Paral. XX. 16. Esdr. VIII. 12. atqve adde ipsum Kimchium l. c.

32. Ceterùm proprii, qvà figurato opponitur, nunc habenda est ratio; ubi plus latet difficultatis, cùm qvà rationem investigandi, tùm qvà acceptionem ipsam. Sunt enim, qvi putent, unam vocem plures admittere acceptiones proprias. Patescet res exemplô. Bellarminus, lib. IV. de Christo, seu anima Christi, c. XII. in hæc verba scribit: *Dico, multum inter* נפש *&* ψυχὴν *interesse. Nam* נפש *est generalissima vox, & significat* sine ullo tropo *tàm animam, qvàm animal, immò etiam corpus, ut patet ex plurimis Scripturæ locis. Unde etiam fere semper adjungitur cum substantivo* נפש *adjectivum* vivens, *qvod est proprium totius compositi. Gen.* I. 20. Producant aqvæ reptile animæ viventis. *Ibidem*: v. 21. Producat terra animam viventem. *Ibidem*: c. II. 7. Factus est in animam viventem. *Qvibus in locis frustra adderetur adjectivum*, vivens, *nisi vox hebræa* נפש, *qvam interpres vertit*, animam, *significaret aliqvid indifferens ad vivum & non vivum. Qvare Num.* XXIII. 10. *dicit Balaam:* Moriatur anima mea morte justorum. *Et Num.* XXXI. 35. *dicuntur omnes* animæ sexus feminei *ex præda Madian fuisse triginta duo millia. Porrò anima humana nec mori potest, nec sexum habet. Proinde in illis locis* anima *non alteram partem hominis, sed totum hominem, aut certè*

 ipsum

ipſum corpus *ſignificat. Item Gen.* XXXVII. 22. Non interficiamus animam ejus. *Ubi* anima *nec pro anima propriè dicta , nec pro homine per tropum (nam repugnat pronomen ejus) ſed pro ipſa* carne propriè *accipitur. Num.* XIX. 13. *cadaver vocatur* morticinium animæ hominis. *At Græcum* ψυχὴν *ut Latinum* anima, *non eſt tam generale, ut ſine tropo poſſit accipi pro toto animali.*

33. Hæc Bellarminus accuratè probatíſqve argumentis ſe confirmâſſe judicat, qvæ tamen non unô nomine jure poſſunt reprehendi: atqve ea de cauſſa locum ſatis prolixum adſcribere viſum eſt, ut examini ſubjiceretur. Non me fallit, Cornelium à Lapide comm. in Epiſt. Paulli, canon. VIII. aſſerere, ſcripturam ſacram poſſe habere varias verſiones, & varias lectiones, etiam in Hebræo, intentas à Spiritu Sancto; item varios ſenſus canonicos, etiam literales: nunc Cardinalis perſvaſum habet eamdem vocem etiam varias acceptiones proprias admittere; id qvod mihi non fit veriſimile.

34. Philologorum hactenus theſis fuit, unius vocis † non niſi unam eſſe ſignificationem propriam & principalem, à qva reliqvæ qvaſi dependeant, introductæ vel ob aliarum defectum, rerúmqve novarum inventionem, vel ob elegantiam ſermoni conciliandam, vel deinqve ex ſupina literarum ignoratione, qvæ ſuperioribus ſeculis paſſim dominabatur. Ratio petita eſt ex ipſa vocum natura, qvæ ſunt ſigna potentiæ cognoſcenti ali-

† Vide omnino Philipp. Melanchth. lib. II. Rhetoricæ, p. m. 92. ſ. edit. Witteb. M. D. LXVI. in 8t.

aliqvid repræſentantia, & qvidem ſuppoſitiva rerum, ac manifeſtativa conceptuum, qvin etiam imagines qvaſi qvædam ſpeciem rerum exhibentes. Vera autem imago rem non exhibet vel repræſentat niſi unam, aliis prorſus ex accidenti convenit: nec enim Æthiops Abſolonem, corvus cignum refert. Qvod ſi æqvè primò & propriè dictio ſignificaret plura, vel etiam oppoſita, qvomodo fungatur ſuô officiô, & manifeſtet conceptum non invenio. Qvid enim, amabô, hoc eſſet aliud, qvàm ſi hederam ſuſpenſam æqvè vini vendibilis & non vendibilis ſignum eſſe contendas?

35. Idem evinci poterit ex hypotheſibus Bellarmini: *Communis regula explicandæ Scripturæ eſt, ut nunqvàm dimittamus* proprium *verborum ſenſum, niſi cogamur ab aliqva alia Scriptura, vel ab aliqvo articulo fidei, aut certè à communi totius Eccleſiæ explicatione: alioqvi enim peribit fides, & remanebit ſola opinio de rebus divinis, & aperietur porta infinitis erroribus*, ait lib. 1. de Euchariſt. c. IX. Et lib. eod. c. XII. *Senſus* proprius *& literalis ſemper eſt eligendus, niſi evidenter probetur contrarium. Neqve debent à nobis petere adverſarii, cur ſeqvamur* proprium *ſenſum verborum: ſimile enim id eſſet, ac ſi qvis peteret ab iis, qvi ſunt in itinere, cur ſeqvantur viam communem & tritam: nemo enim ſanus id qværit; vel cur ingrediantur per portam, non per feneſtram.* Qvod ſi itáqve una vox admittit tres ſignificationes proprias, annon peribit certitudo, accedet dubitatio? Fac tres interpretes eundem pertractare locum, adhibitis ſeorſim totidem acceptionibus propriis: omnes conſtantes ne-

negabunt se recessisse à sensu proprio; cùm tamen ratione nullâ fieri qveat, ut auctor contraria intendat, scil. eundem locum accipiendum de *anima*, h. e. forma; & corpore humano seu materia. Qvilibet confirmabit, se intrâsse per januam, non per fenestram, cùm tres jam pateant januæ: omnes viam communem & tritam objicient.

36. Accedit, qvod. l. c. Bellarminus contra Bezam statuit, licèt *anima* possit accipi pro vita, qvia dat vitam corpori, tamen nusquam posse accipi pro cadavere; cùm in cadavere sit privatio vitæ. Nec integrum nobis esse, ut dicamus, vitam esse in sepulchro, cùm ibi sit corpus sine vita: *nec enim contraria simul poni debere.* At Bellarminus ea ponit, dum credit נפש sumi posse pro *anima* h. e. re invisibili, immortali: & pro *corpore*, re visibili & mortali.

37. Ais: at necdum liqvet, qvæ acceptio sit propria, si vel maximè non sit nisi una: nec enim argumentis Bellarmini satisfactum, nec ostensum, qvomodo illa indaganda acceptio, à qva recedere nefas est. Sic itáqve de argumentis Bell. habeas, De primo qvidem, nil seqvi: simili enim ratione colligerem: Pisciculi sunt aliqvid indifferens ad magnum & parvum, qvia dicimus, *pisciculi minuti*: sicut ille colligit: נפש significat aliqvid indifferens ad vivum & non vivum, qvia additur illi adjectivum חיה *vivens*. Et contra Bellarminum ex 1. Cor. XV, 45. Primus homo Adam factus est εἰς ψυχὴν ζῶσαν, in animam *viventem*. Ergò ψυχὴ notat aliqvid indifferens ad vivum & non vivum; id qvod l. d. pernegat. Prætendit, locutiones tales figuratas esse raras: *at ferè semper*

jungi-

jungi dictioni נפש adjectivum חיה, *vivens*. Sed hoc *ferè semper*, falsum est: extra enim Geneseos initium *fere nusqvam* adjectivum illud additur: & חיה crebriùs substantivum est; *vivens* verò in vulgata sæpius occurrit, qvàm fontes postulant. Caussa verò qvamobrem nonnnunqvàm adjectivum aliqvod addatur, non est vocis semper ad significata indifferentia, sed emphasis, aut simile qvid. Ea enim demum superflua censeri debent, qvæ addita neqve intellectum juvant, neqve ornatum.

38. Deinde Num. XXIII. 10. anima synecdochicè pro homine ponitur usitatissimà Syr. Chald. & Arab. qvoqve loqvendi ratione, ut alibi ostensum. nam mors solutio est animæ à corpore, ac mori maximè propriè de supposito dicitur. Et c. XXXI. 35. vulgata malè translulit: *Animæ hominum sexus feminei*, qvæ *non cognoverant viros*. Neqve enim de animabus negatur, qvòd cognoverint viros, sed pronomen אשר proximè atqve immediatè præcedens נשים *femellas* respicit. cum qvo plurale ידעו optimè cohæret, non verò נפש singulare. Similis planè locus occurrit Actor. XXVII. 23. *Adstitit mibi hâc nocte angelus* τοῦ Θεοῦ *οὗ εἰμι, ᾧ καὶ λατρεύω Dei, cujus* (Dei) *ego sum, qvem etiam religiosè colo*: nam ad angelos referre vetat religio. Item Rom. IV. 24. 25. Igitur neqve sexus, neqve mors animæ propriè tribuitur, per vocem נפש denotatæ.

39. Gen. XXXVII. 21. non dicitur, *Non interficiamus* נפשו *animam ejus*, sed; non interficiamus eum נפש animâ, seu מכת נפש plagâ lethali, להוציא נפשו *ad educendam animam ejus* è corpore, ut

ut interpretatur Aben-Ezra, & phrasis occurrit sensu eôdem Deut. XIX. 6. 11. Datô verò, directè interdum occurrere, sine alia voce subaudita, ut Num. XXXV. 11. locutio erit synecdochica: nec refert, qvòd suffixum aliqvando addatur: id enim vis lingvæ importat, ut modò dictum, & exemplum ab ipso Bellarmino adductum ex Num. XXIII. 10. docet. Denique Num. XIX. 13. qvoqve in fonte non est status regiminis, qvem vulgata urget.

40. Excussis itaqve argumentis, modus investigandi significationem propriam in præsens occurrit hic. Forma dictionis est significatio, qvâ variante ipsa vox alia censetur. Significatio autem propria pendet I. *Ex origine*, cùm nomen à verbo, aut contra verbum à nomine descendit. Ceu enim filius ratione formæ parentes, tanqvàm caussas univocas, repræsentat: ita vox ratione significationis refert originem vel radicem, unde propullulat. Neqve contraria ex eodem fonte, qvà talis est, deduci possunt. II. *Ex usu auctorum*, si pleriqve omnes vocabulô sensu eôdem utantur, & qvidem freqventer. Impropriô qvippe sermone non omnes, certè viri graves non capiuntur: puerorum est iste tumor è luxuriantibus figuris, atqve allusione affectata ortus, cujus basis est judicii inopia. Qvin ipse sermo improprius acceptionem propriam, qvasi indice digitô ostendit. Qvæ enim significatio analogicè in metaphora adhuc qvasi conspicitur, ea aliàs est constans, genuina & propria vocis significatio. III. *Ex harmonia reliqvarum Orientalium lingvarum*: nempe si magis freqvens illa vocis acceptio constanter

ſtanter maneat, & filiæ matris indolem germanam miniméqve fucatam referant. Hæ verò aliæqve notæ proprietatis, ubi licet, ſimul ſumendæ, non divellendæ ſunt.

41. Atqve hæc lingvarum collatio † non parum lucis confert, qvô intelligamus, qvæ ſunt recondita atqve abſtruſa. Aben-Ezræ ſententia eſt, apud Arabes inveſtigandam vocem, qvæ ſemel duntaxat in fontibus legitur: & Hieronymus in Præfat. in Jobum ait: *Hæc tranſlatio* Jobi *nullum de veteribus ſeqvitur interpretem: ſed ex ipſo* Hebraico, Arabicóqve *ſermone, & interdum* Syro, *nunc verba, nunc ſenſus, nunc utrumqve reſonabit. Obliqvus enim etiam apud Heb. totus liber fertur & lubricus. Memini me ob intelligentiam hujus voluminis* Lyddæum *qvendam præceptorem, qvi apud Hebræos primus haberi putabatur, non parvis redemiſſe nummis, cujus doctrinâ an aliqvod profecerim, neſcio. Hoc unumſcio, non potuiſſe me interpretari, niſi qvod antè intellexeram.* Et qvod teſtatur Hieronymus de libri difficultate, id Aben-Ezra ad c. II. II. rejicit in interpretem libri. Verba ejus hæc ſunt: חזל אמרו כי משה כתב טפר איוב והקרוב אלי כי הוא ספר מתורגם על כן הוא קשה כדרך כל ספר מתורגם: *Dixerunt Sapientes noſtri b. m. Moſen ſcripſiſſe librum Jobi: mihi autem vero videtur ſimilius, qvod ſit verſio aliqva, ideóqve interpretatio ejus tam difficilis eſt, ut fieri ſolet in verſionibus.* Qvod verò Jobum, cenſet conſtare Arabicô Syrôqve ſermo-

† Lege hic omnino Joh. Henr. Höttingeri Smegma Orientale, edit. Heidelb. CIↃ. IↃC. LVIII. in 4to.

mone, id paucis notum, (qvando facta est collationis lingvarum mentio, unde pendet qvoqve proprietas) declarandum est.

42. Ex Syro-chaldaicis hæc deducta sunt: Job. xxx. 3. *In penuria & in* כפן *esurie solitarius*, הערקים *qvi fugiebant in solitudinem &c.* At Syris ܟܦܢ est *esurire*, & ܥܪܩ *fugere*. c. xxxii. 10. *Audi me*, אחוה indicabo scientiam meam, à ܚܘܐ *indicavit*. c. iii. 4. *Dies illa sit obscuritas, nec irradiet super eam* נהרה, *lux*, à ܢܗܪ *illuxit* vers. 6. *Noctem illam tollat caligo, ne* יחד *latetur cum diebus anni*, à ܚܕܐ *latari*: unde Kimchi: יתקן להיות מזה השרש והענין ענין שמחה præstat ex hac radice & significatione *gaudendi* deducere, qvàm aliunde. c. xv. 3. *Numqvid Sapientis est, disputare in verbo. qvod non* יסכן *proderit*, c. xvi. 19. *Ecce in cælis est testis meus*, & שהדי *testis meus in excelsis*, ex ܣܗܕ, *testatus est*. c. xxi. 10. *Bos ejus* עבר *impragnavit*, ex usu chaldaico. Commutat qvoqve inter se literas, ac pro נרעך substituit נדעך c. xvii. 8. & Dages more Aramæorum in Nun resolvit, ut קנצי c. xviii. 15. pro קצי.

43. Arabica autem offendes c. xvi. 15. *Saccum consui semper* גלדי *cutem meam*, à جلد qvod cutem sonat. Qvamobrem etiam Kimchi ait: בערבי נקרא העור אלגלד *Arabicè cutis dicitur* (cum articulo) אלגלד. Eadem vox ad Chaldæos qovqve transiit. c. xxx. 17. *Nocte ossa mea perforavit desuper me*, &

& ערקי *venæ meæ vel nervi non qvieverunt :* Kimchi, בערבי יקראו הגידין אלערוק *Arabicè nervos vocant* cum articulo אלערוק fine eo عووق. c. II. 8. *Tulit Job testam*, להתגרר *qvâ ulcera tolleret*, vel *scalperet.* Arabicè cum eo convenit جرن, qvod est intransitivè, *cutem pustulis distinctam habere*; transitivè, à *pelle aliqvid auferre*, item *corticem detrahere.* c. IV. 10. *Dentes leunculorum* נתעו *mordendo* qvasi excussi sunt aut avulsi, à לתע, qvod Arabicè scribitur cum Gain, لتغ idémqve est, ac *mordere:* unde dentes molares מלתעות dicuntur. c. VI. 10. *Et erit adhuc consolatio mea*, ואסלדה & *consolidescam in ægritudine*; à صلو, *durus, fortis, solidus.* c. XXIV. 8. *Ab inundatione montium* ירטבו *madefient.* Arabicè وطب est *humidum, madidum esse :* لوطب *madefecit*, الوطب *madidus.*

c. XX. 23. *Pluere faciet super eum* בלחומו *in carne ejus.* c. VI. 7. Ægritudines לחמי *carnis meæ.* Hebraicè לחם est panis, & generaliùs, qvicunqve cibus, ut R. Salomo ait; כל דבר מאכל קרוי לחם, *qvicqvid comedi potest,* לחם *vocatur.* Arabicè verò لحم est *caro.*

44. Hæc de sententia Hieronymi, qvi Jobum Arabicè qvoqve & Syriacè facit loqventem : nec verò ad solum id spectat Jobum, sed ex aliis qvoqve sacris scriptoribus non pauca afferrem Syriaca & Arabica, si instituti ratio ferret: in præsens tantùm de voce לחם unicum venit notandum. Galatinus, lib. x. de A. C. V. c. ult. Novi

M Te-

Teſtamenti ſacerdotem juxta cum ſacrificii efficacia deprædicans, utríqve fulcrum adhibet ex Levitic. XXI. 8. ubi Vulgatæ verba ſunt: *Conſecratus eſt Deo ſuo, & panes propoſitionis offert. Sit ergò ſanctus.* Sed enim cùm nulla Miſſæ hîc ſit umbra, ad fontes provocat: indigniſſimè tuliſſet hoc Concilium Tridentinum, ſi id temporis fuiſſet coactum.

45. *Hîc* editio *noſtra*. inqvit, *duas* NON PARVAS *habet depravationes.* Prima *qvidem eſt, qvid prima clauſula hujus textus omninò deficit, ſcilicet,* & ſanctificabis eum: *qvod vitiô ſcriptorum eſſe potuit.* Altera *verò eſt, qvòd in ſecunda clauſula veritas Hebraica longè aliter habet. Nam ubi nos habemus.* Et panes propoſitionis offert: *in Hebraico habetur,* כי את לחם אלהיך הוא מקריב, *qvia* CARNEM *Dei tui ipſe eſt vel* ERIT *ſacrificans.*

46. Addit qvidem, poſteriorem depravationem editionis Vulgatæ auctori non poſſe adſcribi, qvum hujuſce erroris cauſſa non fuerit, niſi vocabuli æqvivocatio: verùm, ſi hîc latet fundamentum Miſſæ, licebit Pontificio optimô prætextu à Vulgata recedere, contra qvàm decernit Tridentina Synodus. Sanè qvidem Sixtinus ab Amama in Cenſura Vulg. V. ad c. XXVIII. 24. Num. ait: *Per* לחם *h. l.* caro *intelligitur, ſeu qvòd ipſa vox carnem ſignificet, ut qvibuſdam placet ex Job.* VI. 7. *& collatione* Arabiſmi. *ubi* ordinariè *carnem ſignificat; ſeu* qvòd vox illa ad omnia *eſculenta ſe extendat, ut ad* poma. *Jerem. XI.* 19. lac, *Prov. XXVII.* 27. *mel,* 1. *Sam. XIV.* 28. Unde etiam veriſimile eſt, Melchiſedecum non ſolum panem militibus Abrahæ donâſſe, ſed per לחם

omnis

omnis generis cibos intelligi; ut frustra sint Pontificii, rigidè ad panem solum restringentes, & הוצ׳א mysticè accipientes de oblatione, cùm ne physicus qvidem actus eâ dictione notetur, sed caussa prolati cibi moralis; scil. qvòd Rex Melchisedech imperârit ministris suis, uti afferrent cibum, qvô exercitus Abrahæ defatigatus refici posset.

47. Fac itáqve Levit. XXI. 8. qvoqve per לחם intelligi carnem, (qvanqvàm versio Judaica reddit ברוט: ac posset hic locus conferri cum Malach. II. 12. 13. ubi מנחה dicitur, סלת seu similâ constans oblatio, qvæ hìc panis appellatur) at dum *Dei caro* dicitur, accipi id potest tribus modis, I. *Essentialiter*, qvasi Deus constet ex materia, ut mortales. II. *Personaliter*, quòd in hypostasin suam adsumserit carnem. III. *Objectivè* adeóqve ceremonialiter, qvòd caro sacrificii, tanqvàm oblatio, ipsum spectet Deum. Prima verò acceptio, cùm Deus sit actus purissimus, omnis potentiæ passivæ expers, ne Galatino qvidem probari potest. Alteram hujus loci esse conjicit, sed conjectura fallit: neqve enim de fœdere novo sermo est, sed de Leviticis non minùs sacrificiis, qvàm sacerdotibus. Ad Kimchium provocat: is verò tertiô sensu accipit, ceu est in Michlal Jophi, לחם אלדים באיעל הבשר לבדו; h. e. *Voces* לחם אלדים *accipiendæ sunt de sola carne*, Deo scil. offerenda è brutis; ut Num. XXVIII. 2. dicitur, אשי *ignitiones meæ*, h. e. vestræ mihi offerendæ, & ריח ניחחי *odor qvietis meus*, i. e. odor, qvem vos excitatis, ut qviescam pœnásqve condonem. Nam eôdem Kimchiô teste, הכנויים יפלו על הפועל ועל

חפעת *Suffixa activè & passivè sumuntur.* v. c. Esai. *LIII. 11. Servus meus justificabit multos* ברעתו *in cognitione sui vel sua.* Sed redeamus ad exemplum acceptionis propriæ, qvod Bellarminus proposuit.

48. Propriè dictionem נפש *animam, animal, corpus* sonare perhibet. Non assentior. Judæi qvidem nonnulli de ea variè sentiunt. Is, qvô familiarissimè annis superioribus sum usus, corpus propriè notare unicè nobis persvasum cupiebat. Aben-Ezra ad verba Genes. XVII. 14. ubi excisionis extat mentio, ait, נפש כמו איש וטעמו גוף שיש לונפש *Idem est* נפש *qvod* איש, *& significat* corpus, *in qvo est anima.* Versio Judaica: דער לייב, scil. excindetur, & sic passim locorum explicat. B. Lutherus Psalm. CV. 19. ברצל באה נפשו. *Sein Leib muste in Eisen liegen.* In Hebraico subjecti locum, more valdè receptô, prædicatum occupat, hôc sensu, *anima ejus venit* in *ferrum.* Kimchi in lib. Radic. אמר כן לפי שהנפש מענה בענוי הגוף: *loqvitur ita Psaltes, affligitur enim ipsa qvoqve anima, dum corpus laborat,* scil. juxta dicta Jerem. IV. 10. Luc. II. 35. Item Ezech. XVI. 5. *Projecta es super faciem agri in abjectione,* נפשך Kimchi lib. cit. גופך corporis tui. Qvin cadaver hominis defuncti eodem venit nomine, ut idem ait, כי שבת המיתה בהפרד נפש מן הגוף *qvia caussa mortis est separatio animæ à corpore.* B. Arias Montanus in idiotismis lingvæ Hebraicæ Psalm. XVI. 10. & XLIV. 26. נפש itidem de corpore interpretatur; qvæ aliorum qvoqve mens est de verbis Gen. XLVI. 26.

49. In hoc qvidem à qvibusdam dissentiunt Judæis, qvod negant illi Christiani propriè נפש esse

esse corpus, sed id dictum synecdochicè volunt non partis qvidem pro parte, sed pro toto positione, quo de fusè egi alibi, nempe in Miscellan. Sacris lib. 1. c. 1. Ceterùm nec omnes Judæi tam sunt infruniti, ut propriè de corpore accipiant. Qvinqve potissimùm nominibus animam designari in oraculis divinis tradunt, ita qvidem, ut dicta sit, חיה יחידה נשמה רוח נפש: de tribus seorsim R. Josua Aben Sueb scribit p. 18. c. 4. in Legem Mosis, vel Pentateuchum:
שלשה כחות באדם האחד נקרא נפש ומשכנה בכבד. והשני נקרא רוח ומשכנה בלב׳ והשלישי נקרא נשמה ומשכנה במוח והוא הנקרא כבוד׳ והוא שכתוב למינן יזמרך כבוד והיא הנשאר אחר הפטר הגוף ושובו לערבע׳ ישודותיו׳ כי השתים נפטרות ואובדות באבדן הגוף כי בהם דומה האדם לבעלי חיים והוא משתתף עמהם בשתיהם׳ כי ברוח אשר בלב ישתתף אדם עם באלי חיים בכח ההרגש והדמיון והמשח חושי׳ כי כמו שהם באדם כן הם בבעלי חיים כי יש לח׳ רצון ובחיר׳ הולכין אחר הנאות נבורחין מן הנזק ומזה יבא האהבה והשנא׳ ותכינם וחרצון ואזכריות ורחמנות וכל זה בבעלי חיים: ובכח אשר בכבד ישתתף אדם עם הצמחים גם כן כמו עם בעלי חיים כי בזה הכח הגידול יכח הזן וכל זה בלי כונ׳ ורזון והיתרק אשר לאדם הוא הכתר שהוא הנשמה שאין לבעלי חיים עסק בה כלל ואין צריך לומר לצמחים: Sensus est: *Tres facultates vel potentiæ sunt in homine.* Prima *dicitur*, נפש, *cujus sedes est in jecore*; secunda רוח, *quæ residet in corde*: tertia *vocatur* נשמה, *quæ in cerebro dominatur*, *atqve hæc ipsa dicitur* כבוד *Psal.* XXX. 13. ut canat tibi gloria: *& superstes est post corporis destructionem ac resolutionem in qvatuor elementa. Priores enim duæ corrumpuntur & pereunt corpore destructâ &c.* Reliqva enim intellectu facilia.

lia sunt, modò doctrinam physicorum de anima habeas cognitam.

50. Sed age, applicabo notas, superiùs traditas, ad præsens negotium. Ajo נפש propriè significare animam, non corpus; qvia id gnorismata illa arguunt. Nam si originem attendas, נפש *niphasch* est respirare, animos aut spiritum recipere, ac respicitur ad respirationis caussam. Usum auctorum, eúmqve magis freqventem, nemini probavero, qvi literas hasce ignorat; nemo negaverit, qvi easdem, etiam non luculenter, callet. Harmonia deniqve lingvarum orientalium, qvàm maximè perspicua est. Nam Chaldæo נפש *nephesch*, Syro autem ܢܦܫܐ atqve Arabi نفس sub iisdem planè literis, nisi qvòd ultimam Arabs emollire studuit, est Anima; id qvod eruditus in Philologia haud negabit. Atqve hôc maximè modô sensum indagabis proprium, vel si id magìs arridet, acceptionem vocis propriam, à qva qvisqvis recedit, citra evidentissimam rationem, è scripturis petitam, sibi aliísqve imponit. Ac miserum omninò est præsidium, si rationem urgeas, nec vel tantillum admittas, nisi id probetur ratione, qvæ modum plerúmqve & urget & improbat, nesciens τὰς γραφὰς, καὶ τὴν δύναμιν τοῦ θεοῦ Matth. XXII. 26. Mihi perplacet illud Augustini, rationales ejusmodi acerrimè reprehendentis, Tom. VII. lib. VI. contr. Julian. c. IV. *Audisne Juliane? Hæc Apostoli verba, non mea sunt. Qvid à me qværis, qvô sit factum modô, cùm videas factum esse qvôcunqve modô, si Apostolo credis aliqvo modô, qvi de Christo & de his pro qvibus mortuus est,*

men-

mentiri potuit nullô modô. Et aliud Judæorum, qvod ipsis qvoqve mysteriis parum tribuentibus, inculcatum oportuit: בשהקדוש ברוך הוא מדבר הכל שותקין *Qvum Deus Sanctus Benedictus loqvitur, omnes silent, ipsiqve adeò* מלאכי השרת מדברים בקול נמוך *angeli ministerii voce submissâ verba cædunt.*

51. Satis erat, Deum mortalibus revelâsse, qvæ captum eorum excedunt, ipsíqve persolvendæ erant gratiæ, ceu majores Judæorum dicere solebant: בריך רחמנא דיהיב לן אוריתא *Benedictus sit* DEUS *misericors qvi dedit nobis legem* seu scripturas: sed qvid non audet humana curiositas, interdum prætextu ipsius scripturæ Abenezra ait ad c. XVI. 28. Exodi: כל המצוות והתורות הם אמת בלי ספק כמשמעם ויש להם סודות בדברי הנשמה ולא יבינום רק המשכילים ועל כן כל מצוה היא שתים: *Omnia præcepta & leges citra dubium ipsa veritas sunt, etiam juxta literam accepta: sed complectitur præter eam mysteria animam spectantia, quæ non intelligunt nisi eruditi, eáque de caussa omne præceptum ejus* (DEI) *geminum est*, ratione sensus. † R. Salomo in præfatione ad Canticum Canticorum magis perspicuè scribit: אחת דבר אלהים שתים זו שמעתי מקרא אחד יוצא לכמה טעמים וסוף דבר אין לך מקרא יוצא מידי פשוטו ומשמעו ואף על כי שדברו הנביאים דבריהם בדוגמא צריך ליישב שהמקראות סדורים הדוג מא על אופניה ועל סדרה כמו זה אחר זה: *Unum locutus est Dominus, duo* autem sunt, *quæ audivi*, *Psalm. LXII. 12. Una*

 scil.

† Vide Glass. II. Philolog. part. I. Tract. I. p. m. 248. s. & Höttinger. I. Thesauri Philog. c. II. sect. VII. p. m. 233. s.

scil. scripturæ particula multos admittit sensus, summatim tamen dicendo nulla est, quæ sensu simplici & literali destituatur: ac licèt prophetæ locuti sint per figuram, hæc ad modum certum redigenda est & ordinem, ipsis scripturis convenientem.

52. Deniqve R. Josua A. Sueb sensu duplici non contentus, tertium addit, in qvæstionibus super legem, Paraschâ וארא atqve exempli locô adfert caput XXX. Proverb. v. 4. 5. *Quis ascendit in cælum, & descendit? Qvis collegit ventum in pugillis suis? Qvis ligavit aqvas in vestimento? Qvis statuit omnes fines terræ? Qvod nomen ejus est, & nomen filii ejus, num nôsti?* Sic autem commentatur: יש בפסוק הזה שלשה פנים 'פשט הכתוב ופנימי ומדרש *In versu hoc tres sunt modi explicandi*, simplex: ipsius scripti, internus, & mysticus. Illum refert ad elementa qvatuor; istum ad animam vel animum hominis; hunc ad Mosen, qvi ad Deum adscendisse dicatur, Exod. XIX. 3. ac more Judaicô verba ultima non ad Messiam Dei filium refert, sed ad eum, qvi arcana hæc indicare jubeatur: מה שמו ומה שם בנו כלומר מי הוא שם אותו חכם או שם בנו שיַעכל זה: *Qvod est nomen ejus, & qvod est nomen filii ejus*, qvasi dicat, qvod est nomen istius sapientis, aut nomen filii ejus, qvi scit omnia ista? Sed de hisce detorsionibus Numine juvante, ad Lipmannum disputabitur.

53. Ceterùm hisce ita præmissis, cùm alii Judæi ad duo capita rem totam revocent, ad חיצון *chizon*, & פנימי *phenimi, externum* & *internum*, observes non defuisse è Christianis, qvi librum Ezech. II. 9. 10. memoratum & scriptum פנים ואחור *antè & retro*, itidem exposuerint, qvòd intus scriptus sit codex

codex biblicus per allegoriam & ſpiritualem intellectum, foris per ſenſum literæ & hiſtoriam: intus inviſibilia docens & cæleſtia promittens; foris viſibilia & terrena, qvatenus ſint vel expetenda, vel fugienda, præcipiens. Rectè tamen monet Sixtus Senenſis, lib. 11. Bibliothecæ Sanctæ, hanc ipſam expoſitionem eſſe myſticam: myſtica autem ejuſmodi citra expoſitionem in N. T. monſtratam curioſulum amant lectorem, certi nil pariunt. Germanus autem interpres, & cui certitudo curæ cordíqve eſt, miſſâ curioſitate, & ſecluſâ ſenſuum multiplicitate, literali, qvoad ejus fieri poteſt, unicè inſiſtit.

54. Hoc peccat curioſitas: at nec minora deſignat perfunctoria textus inſpectio atqve contractio. Præcipiunt Judæi, ut qvem præ manibus habes, qvàm accuratiſſimè inſpicias textum, ſingulâſqve circumſtantias probè expendas, necubi titubes: qvin etiam longiùs hæc cura ſe porrigit, & ad alios revelationis divinæ libros diffundit. Unde egregiè ſcribunt: שני כתובים המכחישין זה את זה עד שיבוא כתוב השלישי ויכריע ביניהם: *Qvando duo verſus inter ſe pugnant, veniat tertius & conciliet eos.* Item, דבר זה כתוב בתורה שנוי בנביאים ומשולש בכתובים: *Res hæc ſcripta exſtat in Moſe, repetita in prophetis, & tertiò inculcata in Hagiographis.* Hâc curâ ſacra tractanda veniunt, qvam qvi neglectim ducit, ſegnitiei auferet præmium longè certiſſimum.

55. Invenias enim, qvos ita occupavit & invaſit ſegnities, ut certiſſima cognitiſſimâqve habeant, qvæ ab aliis, ſatis interdum frigidè & tumultuariè tradita, qvin plerúmqve fontibus

ne qvidem inspectis consimilibus ingeniis obtrusa: re tamen verâ, si, ut par est, expendas, tantum abest ut oracula judicari qveant, ut potiùs portæ sint absurditatis, occasiones schismatum & pulvinar supinæ ignorantiæ. Eò, proh dolor, deventum est, vix ut de expositione dubitare liceat, si qvisqvam tuæ sectæ eam semel adfirmârit, qvâcúnqve tandem fini. Aufer hinc affectus, † & si interpres audire gestis, aliam qvære certitudinem, qvàm qvæ te alienæ libidinis dicam, an absurditatis, facit mancipium. Oculos ipse aperi, nec in utramvis aurem obdormisce.

56. Facere profectò non possum, qvin de certitudinis ejusmodi affectatæ, non minùs qvàm imperitæ amatoribus idem sentiam cum Cll. qvibusdam viris, qvorum verba notatu dignissima sub-

† At qvotusqvisqve est, hos qvi deponat? & qvem mihi dabis, his qvi non succumbat? Multi novas qværunt expositiones & sententias non qvòd adeò veræ, sed utiles ipsis adpareant & gradum ad famam eruditionis struant, contemptúmqve ceteris Academiis, Professoribus, qvin & ipsis Collegis adferant. Has nonnulli cupidè probant ac defendunt, à talibus qvippe viris profectas, à qvibus juvari & promoveri qveant, cùm non rarò sint potentes, & multum in aulis valeant. Plurimi non rarò mutant Sionem Domini in turrim Babelis. Ipse Cl. Dn. Hackspanius annon interdum adfectibus abstractus fuerit D. Georgii Calixti sententiis nimium velificatus, hìc multis exponere nihil attinet. Tu vide qvæ adtuli in Præfatione hujus Thesauri è pretioso nostro Calovio, saniorum sermonum tenacissimo Theologo.

ſubjungo: *Datur certitudo* impropriè *dicta, ex parte tantùm cognoſcentis: ſive ea oriatur ex eo, qvòd is, qvi eam habet, præ imbecillitate atqve infirmitate judicii aciem mentis ulteriùs & penitiùs ad indagandum & perſpiciendum mediorum, licet alioqvin certiſſimorum, vim atqve efficaciam intendere neqveat; ſive qvòd affectuum intercurrentium vitiô faſcinatus eam perſpicere non velit, & qvidem vel nolitione directâ, vel* INTERPRETATIVA, *qvatenus ſcil. non curat eam, qvam facilè aut mediocri adhibitâ diligentiâ conſeqvi poterat, ſolidam, firmam & immobilem certitudinem acqvirere. Et hujuſmodi certitudo ferè paſſim in* vulgo *obtinet, hominúmqve* promiſcua illa turba, *qvi ſibi ipſis ſuóqve* proprio *judicio nimium impensè vel* hærent, *vel diffidunt, aut qvi cetera, licèt curioſiſſimi, in religionis ſolius negotio negligentiſſimi ſunt & incurioſiſſimi, malúntqve de nulla prorſus re* dubitare, *qvàm cum aliqva moleſtia &* cura *in ejus indagine verſari & occupari, digniſſimi qvi æternâ inſcitiâ laborent, &* CAECI *moriantur.*

57. Solidam itaqve ſectaturus certitudinem, qvidqvid ad textus minutias indagandas facit, ſcrutare, veritus ne idem tibi uſu eveniat, qvod aliis, qvi imprudentes ſententiis alienis ſubſcripſêre. Qvòd ſi exemplum deſideras; hoc accipe. B. Lutherus in diſputatione de digamia ſacerdotum haſce ponit theſes, num. 62. ſeqq. *Datô & nondum conceſſô, inter gentes pro crimine & ſcandalo cenſeri, pluralitatem uxorum Moſaicâ lege ſtatutam, ut inter gentes liberas à lege Moſi, propter ſcandalum apud eas, Epiſcopus unius uxoris vir eſſe cogatur: tamen inter Judæos hôc inſtitutô Epiſcopum li-*

ligari, non poteſt certò demonſtrari. Siqvidem nota ſunt jura Moſaica de fratris defuncti uxore, qva cogunt plurium eſſe uxorum virum. Hæc Lutherus.

58. Locus ad qvem alludit, exſtat Deuter. xxv. 5. כי ישבו אחים יחדו. *Si habitaverint fratres* SIMUL, *& mortuus fuerit unus ex eis, nec tamen filius fuerit ei; uxor ejus non nubet viro extraneo, ſed levir ejus ingredietur ad eam, & capiet ſibi in uxorem. Et primogenitus, qvem pariet, ſtabit nomine fratris ſui defuncti, ne deleatur nomen ejus ex Iſraël.* Menaſſe Ben Iſraël in Conciliatore, qvæſt. 50. in Exodum Chriſtianis ob ſeclufas traditiones ægrè facturus, in viginti qvæſtionibus, qvæ niſi è traditione diſceptari neqveant, hanc numerat decimam, qvid ſcil. l. c. ſit habitare יחדו *ſimul* vel *unà*: accipiendúmne ſit de habitantibus in domo aut vicinia eâdem; an amicitiâ junctis; vel deniqve eandem terram incolentibus: qvas expoſitiones facilè dictet intellectus.

59. Beza in Tract. de Polygamia p. 13. diſputans, levirum debere eſſe cœlibem, phraſin faciſimè ſe expediviſſe arbitratur: ait, per ſe ſatis intelligi, qvòd cœlebs eſſe debuerit; qvia non ſit probabile, Dominum voluiſſe, ut qviſpiam ſuum ipſius ſemen atqve adeò uxorem ſuam negligens, alienum ſemen excitaret, ſed voluiſſe tantùm fratrem in demortui locum ſubſtitui. Id verò manifeſtè indicare verba legis, SI SIMUL HABITAVERINT FRATRES: his enim eos excipi, qvi uxorem, ac proinde familias ſeorſim diſtinctas habebant. Et in Tractat. de Repudiis & Divortiis, p. 56. *Statuerat Dominus, ut ſi primogenitus eò uſqve vixiſſet, ut ductâ uxore caput familiæ eſſet,*

&

& habitantibus ſimul fratribus, *id eſt*, (*ut ego interpretor*) adhuc expertibus conjugii, *abſqve maſcula ſobole decederet*, *tùm frater ab eo proximus*, *ut in primogenituram*, *ſic etiam in fratris demortui uxorem hæres eſſet*. Bezam alii ſecuti iiſdem verbis pateſcere judicant, qvòd non in genere & indeterminatè de qvibusvis fratribus, ſed in ſpecie ac determinatè de fratribus unà, in ædibus ſcilicet paternis, adhuc habitantibus, lex ſit accipienda. Filios autem matrimonium contrahentes, ac patres familias factos non ampliùs habitare in ædibus paternis, ſed propria qværere domicilia Gen. 11. 24. Itáqve levirum intelligi cælibem: & argumentô qvidem novô, qvia dictum qvoque ſit, ולקחה לו לאשה & *accipiet eam ſibi in uxorem*. Ergo uxorem non habere ſupponitur.

60. Utraqve cælibatus ratio infirma eſt. Poſterior qvidem, qvia etſi verba, *ducere uxorem* vel *accipere*, ut Hebræi loqvi amant, Latinis videantur id ſonare, eum nunc mancipari conjugiô, qvi hactenus ab eodem liber extitit, reverà tamen uſus Scripturæ longè aliud exhibet, ubi præſcindit à matrimonii repetitione, & indifferenter ſe habet ad primas, ſecundas &c. nuptias, ipſámqve adeò polygamiam ſimultaneam. Opponuntur enim phraſes, נתנה לו לאשה *dedit eam illi in uxorem*; & לקחה לו לאשה *accepit eam ſibi in uxorem*. De prima uxore dicitur Gen. XXIV. 3. *De filiabus Cananæorum non accipies uxorem filio meo Iſaaco*: & c. XXV. 20. Iſaac qvadragenarius *accepit* Rebeccam ſibi in uxorem. Hæc primas ſpectare nuptias, vix qviſqvam diffitebitur. Contra autem qvi cœlibes non erant, uxores duxiſſe, & oblatas accepiſſe

cepisse leguntur. Gen. XVI. 3. Sara uxor Abrahæ marito suo *dedit* ancillam in uxorem. Rachel *dedit* Bilham ancillam marito suo Jacobo in uxorem, & Lea Zilpam c. XXX. 4. 9. Esau *accepit* sibi in uxorem Machalath filiam Ismaëlis, sed על נשיו *super uxores suas*, qvas jam duxerat, c. XXVIII. 9. David jam polygamus 2. Sam. III. 3. seqq. Bathsebam sibi *accepit* in uxorem cap. XI. 27. & XII. 9. Ipsa itáqve phrasis ad cœlibem & conjugiô qvôdam jam devinctum indifferens argumenti infirmitatem loqvitur.

61. Prior autem probatio seipsam evertit, ut de reliquis Bezæ erroribus jam solicitus non sim. Nam שבת יחדו *habitare simul* vel *unà*, dictum de fratribus, intelligitur vel de paternis ædibus patre etiamnum vivô, vel defunctô. Si illud, sanè ex argumento illo Gen. II. 24. nullus infertur cælibatus, nisi utrumqve fratrum asseras cælibem, cùm habitent simul in ædibus patris viventis; id qvod est contra hypothesin: sin autem hoc, etsi nec patris fiat mentio, tamen *habitare simul* non fuerit idem, ac esse cælibem. Cùm enim respectum sermo ille inferat inter fratres cohabitantes, nil eqvidem caussæ est, cur unum maritum, alterum cælibem facias. Si itáqve locutioni insistere instituas, utrumqve cælibem fatearis necesse est, qvod idem textui disertè adversatur.

62. Dicis, sic accipiendum esse, qvod de cohabitatoribus ejusmodi dicatur: Si unus fratrum habitet in ædibus alterius, qvi jam duxit uxorem, hôc defunctô illum cogi per legem vel ad levirationem, vel ad ignominiam de sputo & calceo extrahendo. Unde verò tandem fidem facies, alte-

alterum esse cœlibem: non recurrere licet ad phrasin קחת לאשה, *accipere in uxorem*, ut modò dictum. Pergis, illius uxor refertur, hujus reticetur. At qvid hinc efficies, cùm silentium extra fidei capita argumenti vicem non suppleat? Instas, in Synagoga verò Judaica c. xxx. urgeri cœlibatum leviri. Age itaqve, eam qvoqve rem dispiciamus.

63. Polygamiam simultaneam, dúmne excedatur numerus, lubentes in genere fatentur Judæi, qvorum hoc consultum est apud Maimon. Hilcot אישות c. xiv. §. 4. ציוו חכמים שלא ישא אדם יותר על ארבע: נשים אף על פי שיש לו ממון הרבה כדי שתגיע לחן עונה פעם אחת בחדש: *Sapientes præcepêre, ne qvis, etsi ditissimus, plures ducat uxores qvàm* qvatuor, *qvò singulis mensibus cuivis illarum præstet* עונה; qvam vocem per תשמיש *taschmisch, coitum*, Judæi Exodi xxi. 10. explicant, & Apostolus vocat ὀφειλομένην εὔνοιαν 1. Cor. vii. 3. Communis enim sententia ex est eodem Mosis loco, maritum obligari ad hæc tria, שאר כסות ועונה, *victum, amictum & conjugale debitum*: qvanqvàm, respicientes ad eadem verba pudicæ mulieres, & castè circumscribentes tertium Esai. iv. 1. ajunt: (*Apprehendent in die illa* septem *mulieres virum unum, dicendo*) panem nostrum comedemus, & vestimentis nostris induemur, *tantùm vocemur de nomine tuo, aufer opprobrium nostrum.*

64. In specie autem & sigillatim de jure levirationis an cælibatum supponant Judæi, & non potiùs admittant polygamiam, docetur in Schülchan Aruch, parte tertiâ, Hilcoth יחום his verbis: מי לו ארבעה אחים ומתו ונפלו כשותיהם לפניו אם הוא עשיר ויכול

ויכול לזונן אם ירצה ליבם את כלם מיבם׳ ואם לאו חולץ
למי שירצה מהן ומיבם למי שירצה מהן : *Si cui* qvatuor *fuerint fratres*, & *moriantur*, *adeóqve ad eum spectent uxores eorum*, *si item dives fuerit eásqve alere qveat*, *potest si velit*, *omnes illas ducere ex jure fratriandi*: *sin antem visum ei non sit*, *jungit sibi matrimoniô*, *qvam vult*, & *propter reliqvas ritum discalceandi subire cogitur*. Ex hoc casu satis liqvet, juxta sententiam Judæorum, nec polygamiam excludi à jure leviratıonis, nec reqviri ut Levir sit cælebs. Procul dubio enim dum secundam, tertiam, qvartam ducere jubetur, prima jam uxor ejus est. Nam sermo est de polygamia simultanea, qvam facultates atqve opes cujusvis non ferunt; minimè autem de successiva, ubi vel inopi suppetit, unde pluribus victum subministret.

65. Ex mente igitur Judæorum, uti levir nullâ lege postulante, & sine ratione נשוי *conjugio devinctus*, ita nec פנוי *cælebs* esse cogitur, sed præscindit jus levirationis ab utroqve statu. Dixi, *sine ratione*: finis enim legis illius erat, excitare defuncto semen; id qvod locum habere poterat, si maximè levir jam esset maritus, imò polygamus, ceu docent ipsa Maimonidis verba paullò antè adducta. Objicit qvidem Beza, exceptionem de cælibatu per se satis intelligi; cùm non sit probabile, voluisse Deum ut qvispiam suum ipsius semen, adeóqve uxorem suam negligens, alienum semen excitaret. Sed qvis in veterum polygamia fuerit neglectus, exempla Abrahami, Jacobi, Davidis loqvuntur. Etsi maximè cælebs duxisset levir fratriam, poterat, ex sententia Judæo-

dæorum, aliam superinducere salvô fine illô de excitando semine fratri defuncto, modò ne in alias leges peccaret.

66. Nec mirum est Bezæ cum Judæis hîc litem intercedere de cælibe, qvi nec in reliqvis cum iisdem facit. Censet, masculam tantùm sobolem intelligi, qvam nisi frater defunctus reliqverit, tum demum legi suam vim constare. At in Schülchan Aruch loc. citat. statuitur: אע שנאמר בתורה ובן אין לו אחד הבן ואחד הבת או צרע הבת: *Cùm dictum est in lege Deuter. XXV. 5.* (si non habuerit בן,) accipiendum id est non restrictè, sed indistinctè qvà sexum, *sive filius sit, sive filia, aut hujus etiam partus qvicumqve.* Ergò liberos intelligunt, sive mares sint, sive femellæ, sine discrimine. Ait idem Beza, fratrem proximum non minùs primogenituræ, qvàm uxoris fuisse hæredem, eâ lege, ut liberi fratris illius mortui nomine censerentur, qvò tegi posset incestuosæ alioqvi conjunctionis ignominia. Sed Judæi tam rigidi audire nolunt, ut natu major primogeniturâ excidat, qvi fratriam ducere renuit.

67. Dicis; qvid igitur innuit vox יחדו, qvam Moses temere non adjecit? R. Ea pro ratione verbi, cum qvo cohæret, variè accipitur, v. c. Esaj. XLVIII. 13. *Manus mea fundavit terras; & dextera mea dimensa est cælos; voco eos,* יעמדו יחדו stabunt simul: è qvo loco Menasse in Concil. qvæst. 1. in Gen. § 5. secutus R. Simeonem filium Jochai, confirmare nititur contra Schammai & Hillelis domos, nec cælum priùs conditum esse qvàm terram, nec contra; sed utrumqve eodem creatum momentô. Invenies etiam hasce phra-

 ses,

ses, התקבץ יחדו *congregari simul* Jos. IX. 2. יחנו יחדו *castrametati sunt simul*, c. XI. 5. צאת יחדו *egredi simul* Zach. X. 4. לכת יחדו *ire simul* Gen. XXII. 19.

68. Sic *habitare simul* tribus prætereà in locis offendes, ubi de fratribus, sive strictè, sive generaliùs nonnihil dictis, sermo est. Gen. XIV. 14. 16. Lot Abrahami frater nuncupatur; & c. XIII. 5. 6. ait Moses: *Etiam Loto, ambulanti cum Abram erant pecudes, boves & tabernacula: & non ferebat eos terra* לשבת יחדו ut habitarent simul; *quia erat substantia illorum multa, ut non possent* לשבת יחדו habitare simul. c. XXXVI. 6. 7. *Accepit Esau uxores suas, filios item & filias, omnia animalia & substantiam, qvam acqvisiverat in terra Canaan, & ivit ad terram aliam à facie Jacob fratris sui: quia erat substantia eorum multa* משבת יחדו *ut non possent* habitare simul; *nec poterat terra eos ferre propter pecudes eorum.* Psal. CXXXIII. 1. *Ecce qvàm bonum, & qvàm jucundum, fratres* שבת גם יחד habitare *etiam* simul *vel pariter.*

69. Patet inde nullam haberi rationem cælibatus; cùm Abraham & Lot, Esau & Jacob suas habuerint singuli uxores, de qvibus tamen phrasis hæc usurpatur: & caussa qvidem, cur simul habitare porrò non potuerint, non erat posita in matrimonio utrinqve contracto, sed in copia facultatum & pecudum; nedum qvòd in paternis ædibus adhuc vitam exegerint. Atqve huc extra controversiam respexit Aben-Ezra, שבת יחדו 'גו tribus modis explicans; qvòd scilicet fratres sint aut במדינה אחת *in una provincia*, aut בחצר אחד *in eodem conclavi vel atrio*, aut deniqve שהיו אוהבים זה

את

תו את *qvod alter alterum diligat*. Sed præſtat ex ipſo Moſe hanc phraſin expoſuiſſe, qvam è Pſalmis: qvidqvid etiam ſit de Judæorum traditionibus ſuperiùs adductis, qvas in præſenti nec tueri decrevi, nec impugnare. Sed qvid porro interpres interdum de induſtria voléńſqve peccet, dicendum ſuperat.

73. Nil interpretem magìs agit præcipitem & ad veritatem indagandam minus fert auxilii, qvàm animus vel opinione præconceptâ imbutus, vel planè obduratus. Non licet nobis pro arbitratu atqve ex theſi, qvam forſan imprudentes parúmqve cauti tuemur, ſacras interpretari revelationes: aliàs ſuòpte nutu qvilibet abſurdis deditus in caſtra ſua Moſen, prophetas, Apoſtolos reluctantes traxerit: qvô qvidem peccatô nil freqventius, nil in diſceptandis controverſiis æqvè noxium. Intellectus aliàs liber non eſt, ſed perſpectâ veritate, excuſsíſqve argumentis probéqve ponderatis diſſentit, vel aſſentitur: & in re ambigua aſſenſum detrectat, eò qvòd aſſeqvi non valeat, qvorſum propendeat, qvod propius à vero abeſt. Aſt voluntas noſtra ad qvævis adſtruenda vel neganda prona atqve facilis intellectui etiam convicto faceſſit negotium, ne qvod diffiteri neſcit, prodat, Deóqve det gloriam, cujus hìc agitur revelatio.

71. At qvis, inqvies, ut nunc ſunt tempora, immunis eſſe poteſt à culpa illa, dum in alia omnia diſceditur, & hæreticus tantùm non ſalutaris, niſi pedibus in eorum diſcedas ſententias, à qvorum confeſſione nomen ſortiris. Hinc nimirum illæ lacrymæ! ac ſi ſoli eò gaviſi privi-

 legiò

legiô homines esse desierimus, qvi nusqvàm impingere possimus, id conjunctis suffragiis Romano denegantes Pontifici. Libera itáqve intellectum tuum, nec ad sacrarum literarum interpretationem affer animum cæcum, h e. opinione pridem conceptâ fascinatum. Id effectum ubi dederis, non deerit qvi errabundo semitam ostendat, omnium salutem avidissimè sitiens, spiritus.

72. Qvidam eò audaciæ progressi sunt, ut nec recepta textus distinctio, neqve freqvens & consentiens interpretatio eruditorum, qvi uspiam floruêre, eos moveat. Qvos inter primæ partes sunt Photinianorum, qvi facti videntur vel enati, ut turbent interpretem. Prodiit illorum operâ, obstetricante Martinô Ruarô, ut ab aliis accepimus †, Novi fæderis versio, expressa ex ipsis Socini, Ostorodi atqve Smalcii disputationibus: ea si ex præconcepta opinione formata non est, formabitur qvidem hâc ætate nulla.

73. Nolo fidem mihi adhibeas, nisi exempla manifesta afferenti. Sic itaqve versio illa Græca transtulit. Luc. XII. 15. *Niemandes leben bestehet in dem, dass er überfluss hat auss seiner habe.* Joh. I. 1. *Die rede war ein Gott*, Deus qvidam, nempe non ille summus, sed modô inferiore ut Joh. X. 33. 36. dictum credunt, & glossa habet in margine posita: Ibid. v. 3. *Alle ding geschahen durch die rede*, non verò omnia per verbum creata sunt. v. 9. *Die rede war das warhafftige Liecht, welches erleuchtet alle Menschen, da es in die Welt kam.*

vers.

† Rectè! Vide ipsam Ruari Epistolam part. V. Animadversion. nostrar. c. & §. ult. p. m. 258.

verſ.14. *Die rede war fleiſch*, minimè verò, verbum caro factum eſt: verſ. 29. *Sihe das Lamb Gottes, das wegnimbt die Sünde der Welt*; aufert, non fert & expiat. c. III. 13. *Niemand iſt bienauff in den Himmel gefahren, den nur der aus dem Himmel herunter gefahren iſt, der Sohn deſs menſchen, der in den Himmel war*. c. VIII. 56. 58. *Abraham ewer Vatter hette gefrolocket, das er meinen Tag sehen möchte, und ſo er ihn geſehen hette, ſo hette er ſich gefrewet. Amen Amen ich ſage euch ehe den Abraham wird, ich bin*. Actor. III. 21. *Welchen der Himmel einnemen muſs, biſs zu den zeiten der gentzlichen darſtellung aller dinge*. Rom. I. 20. *Seine unſichtbare dinge werden von der Welt Schöpffung her geſehen*. 1. Joh. IV. 3. *Ein jeglicher geiſt, der da nicht bekennet JEſum, der im fleiſche kommen iſt, daſs er Chriſtus ſey, der iſt nicht aus GOtt*. c V. ult. *Wir erkennen den warhafftigen, und ſind in den warhafftigen, durch ſeinen Sohn JEſum Chriſtum. Diſs iſt der warhafftige GOtt, und das ewige Leben*. Hebr. II. 16. *Er nimbt ſich ja nirgendt der Engel an, ſondern des Samens Abrahams nimbt er ſich an*. Sed qvis omnia recenſeret.

74. Id verò maximè operam dedit auctor, ut interpunctionem mutaret, ceu Smalcius ac Socinus imperârant. v. c. Luc. XXIII. 42. 43. *HErr gedencke meiner wenn du kommen wirſt in deinem Reich. Amen ich ſage dir heute: du wirſt mit mir in dem Paradeiſs ſeyn*. Rom. III. 25. *Welchen Gott vorgeſtellet hat alſs einen gnadendeckel, durch den glauben*, (NB. comma, & confer Socinum part. IV. de Servat. c. X.) *in ſeinem blute*. Epheſ. II. 16. *Das er verſöhne die beyde in einem einigen Leibe*,

(NB. comma,) *Gotte, durch das Creutz*, c. v. 2. *Wandelt in liebe, gleich wie auch Christus uns geliebet hatt, unnd sich selbst dahin gegeben*, (NB. comma) *ein opffer und Schlachtopffer Gotte.* Sic divellitur textus, ut evertatur animæ immortalitas cum ecclesia triumphante; item Christi meritum, & reconciliatio nostri cum Deo offenso atqve irato: & aliter transfertur, qvò excludatur incarnatio filii Dei, ejusdémqve præexistentia ante Abrahamum, &c. qvæ primâ fronte lectorem parum cautum fallere possunt; sed qvi hospes in scriptis eorum non fuerit, qvid velint facilè odorabitur.

75. Est tamen ubi versio illa non facit cum Smalzio v. c. disputat adversus D. Franzium, p. 419. de verbis Apostoli Rom. II. 14. hunc in modum: *Paullum affirmare, gentes, qvæ ante Christum natum exstitêre, & qvæ legem non habent, naturâ qvæ legis sunt fecisse (utcúmqve non perfectè) fœtidum est Franzii commentum. Nec gentes fecisse naturâ, qvæ legis sunt, asserit Paullus. Cùm hæc sit planè insolens locutio*, naturâ facere qvæ legis sunt: *sed gentes, qvæ* legem non habebant naturâ, *hoc est, qvæ cum lege natæ non erant, ut Judæi (qvô sensu etiam alibi Paullus se & Petrum* Judæos naturâ *& gentes* ex natura præputium *appellat Gal. II. 15. Rom. II. 27.) ait, ea qvæ legis sunt facere potuisse.* Confer H. Grotium, lib. 1. de Jur. Bell. & Pac. c. 1. §. 16.

76. Multò verò aliter dicta versio: *Wen die heyden, die kein gesetz haben, von natur thun was dess gesetzes ist, so sind diese, die kein gesetz haben, ihnen selbst ein gesetze.* Nec dubito, hanc interpun-

punctionem, tot retrò seculis receptam, esse ex mente ipsius Spiritus sancti. Opponuntur enim Judæi, qvibus solenniter promulgatus fuit decalogus instar legis cujusdam positivæ, illis qvibus citra ejusmodi promulgationem aliunde constabat de qvibusdam vitandis, & aliis peragendis; nempe ductu naturæ, cujus qvoqve moderamine in exterioribus qvædam exseqvebantur. Opponuntur & hæc: *Gentiles qvidam sine lege peccârunt*, vers. 12. & *Gentiles qvidam, qvæ legis sunt, fecerunt*. Objicitur: qvomodo fecerunt, qvæ legis sunt, si legem non habuerunt? ℟. ductu naturæ, qvam qvia ceteri insuper habuêre, vapulabunt vel eô nomine; cùm qvod in corde scriptum esset, eos latére non posset.

77. Sed insolens, ait, locutio est, *naturâ facere qvæ legis sunt*. Tuis qvidem, credo, auribus & hypothesibus, qvi ne id qvidem largiris naturâ homini constare, qvòd Deus sit, adeóqve colendus. Qvasi verò modo loqvendi pervulgato, vel etiam sacro conveniat hæc locutio, *habet legem naturâ*, qvæ tamen solenniter est promulgata. Et cur insolentem vocas locutionem, cui similis occurrit apud eundem Apostolum, 1. Cor. xi. 13. 14. *Vos ipsi judicate: decétne mulierem non velatam orare Deum? Nec ipsa* natura *docet vos qvòd vir, si comam nutriat, ignominia est illi; mulieri verò gloria, qvoniam capilli pro velamine illi dati sunt?* Habes jam phrasin similem, qvòd instinctu naturæ qvædam moderari soleamus & peragere: etsi fatendum, nonnulla dici de natura ut tantùm opponitur revelationi; alia ut consvetudini contradistingvitur, adeóqve nunc propiùs

ad naturalis juris principia & conclusiones immediatas acceditur, nunc longiùs receditur. Hôc observatô evanescit illa Smalzii dispunctio, & rectissimè dicuntur qvi sibi ipsis sunt lex, & opus legis scriptum habent in cordibus, fecisse qvæ legis sunt, & qvidem *naturâ*, h. e. ita eos docente ipsâ natura.

78. Condemnant qvoqve Pontificii protestantes, qvod Soph pasuc, distinctionem hebraicam, prorsus attendere detrectent Gen. XIV. 18. Transtulerat enim vulgata: *Melchisedec rex Salem, proferens panem & vinum (erat* enim *sacerdos Dei altissimi) benedixit ei scil.* Abrahamo: atqve lectori suggerit particula caussalis prolationem panis & vini mysterium qvoddam spectare, eò qvòd tanqvàm sacerdos illa protulerit, vel obtulerit. Qvòd si in vitio esset qvaliscúnqve distinctionis neglectus, auctor vulgatæ eôdem laboraret, qvi sine puncto duos connectit ibidem versus. Nôrit itáqve interpres necesse est, qvæ sit vis accentuum hebræorum, ubi & qvomodo distingvant.

79. Dicitur hebræis accentur טעם, eúmqve ad ipsum úsqve Mosen nonnulli referunt; alii seculis seqvioribus accessisse persvasum habent. Id nunc non disputamus: sed cùm magnum esse usum illorum non simus nescii, monendum qvosdam seorsim distinctivos dici, non qvòd semper æqvaliter vim suam exserant: sed qvò rectius ab aliis distingvantur, qvi huic negotio vel nihil admodùm, vel parum & raro conducunt. Néqve id Pontificius iverit inficias, modò hæc lóca sedulò in fontibus & vulgata inter se contendat, Levit.

XI. 21. 22. Numer. XXXII. 11. 12. Deuter. I. 35. 36. Ruth. I. 12. 13. I. Reg. XI. I. 2. & Pſalm. xcv. 8. collat. cum c. III. 8. Epiſtolæ ad Hebræos.

80. Sed num hîc סוף פסוק diſtingvat, ut qvæ in fine verſ. 18. poſita, haberi debeant ratio præcedentium. id qværitur? Negant Proteſtantes, atqve hanc ſubſtituunt verſionem: *Melchiſedec rex Salem protulit panem & vinum, cúmqve eſſet ſacerdos Dei altiſſimi, benedixit ei, ſcil. Abrahamo.* Sic innuitur qvidem cauſſa, verùm ſeqventis actus, minimè antecedentis; adeóqve regium erat Abrahamo victori obviam ire, defeſſúmqve militem pane & vinô reficere: ſacerdotale benedicere. Excute, qvæſo, illud Miſſæ præjudicium, & fac nunqvàm de ea litem motam, verum me dixiſſe fateberis: tam aptè omnia cadunt & ſingula prædicata ſingulis officiis Melchiſedeci reſpondent: nec Hieronymus in Epiſtola ad Evagrium veritus eſt præfixum *vav* transferre per AUTEM.

81. Qvod verò accentus illius tam exacta haberi non poſſit ratio, id aliunde qvoqve dependet. Nam apud Hebræos *vav* iteratum, aut verò ſæpius repetitum, ubi aliqvot actiones vel paſſiones recenſentur, ob periodi brevitatem divinam, vim accentus imminuit, v. c. Geneſ. XVI. 2. 3. : וישמע אברם לקול שרי : ותק שרי את הגר ותתן אותה לאברם : Vulgata reddit: *Cúmqve Abraham acqvieſceret deprecanti, tulit Sara Agar, & dedit eam* Abrahamo *viro ſuo uxorem.* Qvid hîc impediebat ſoph paſuc? Adde exemplum aliud qvàm maximè inſigne 1. Reg. VIII. 46. 47. 48. 49.

 50.

50. ubi omnia indivulsô nexu cohærent, salvô accentu eôdem. Nesciunt enim hebræi periodum ita constringere, ut Græci & Latini. Nil itáqve in accentu ibi latet præsidii: confer etiam qvæ dicta sunt supra, num. 46.

82. Porro ut non parum emolumenti adfert genuina textus distinctio, ita nonnunqvàm interpres vacillat, incertus qvid maximè intentioni Spiritus sancti conveniat, ídque de caussis non unis. Prophetæ Habac. II. 4. verba sunt, צדיק באמונתו יחיה *Justus per fidem suam vivet.* Qvorsum pertineat illud באמונתו viri graves inter se digladiantur. Nam referri potest vel ad subjectum, nec erit nisi materialis determinatio: vel ad prædicatum, & formaliter qvasi sumi dixeris, ut reddatur ratio vitæ conseqvendæ; vel si qvibus terminis uti voles aliis.

83. De sensu priori nonnulla invenies apud Corvinum contra Anatom. Molinæi c. XXXIII. §. 35. illíqve distinctioni subscribit Franciscus Junius lib. II. Parall. I. Verba hæc sunt: Justus ex fide vivit. *Sed mutatio fortè, qvâ utimur in modo interpretationis, nonnullos traductura est in admirationem; qvia altera in vulgus recepta est interpretatio, in hunc modum,* Justus vivet ex fide, *id est, in fide & per fidem vitam obtinebit. Sed etsi hoc verum est, justum, dum hîc vivit, ex fide vivere: duo tamen sunt, qvæ me pertrahunt in alteram illam interpretationem.* Unum *est, ipsa argumenti ratio, qvæ certè facilior longè atqve illustrior est, si hôc modô, qvàm illo acceperis.* Alterum *est, hebrai contextus distinctio, qvam ego qvidem parvi facere non possum. Eam autem si seqvimur, omnino ita legendum est, ὁ δίκαιος ἐκ πίςεως,*

ζήσεται

ζήσεται: non autem ut vulgò legitur, ὁ δίκαιος, ἐκ πίστεως ζήσεται. Hæc Junius. Photinianus itidem transtulit: *Der gerechte aus dem glauben wird leben.*

84. Sunt qvi putent, Spiritum sanctum hanc determinationem in medio enunciationis propterea posuisse, qvò ad utrumqve membrum enunciationis vox fidei accommodari possit. Pro Junii enim sententia adferunt I. cohærentiam textus prophetici; qvia incredulus fideli opponatur, h. e. justo ex fide. II. Loca Parallela Rom. I. 17. Hebr. x. ult. III. Analogiam fidei Rom. v. 1. Pro altera autem vel adversa I. Immediatum justitiæ coram DEO & vitæ nexum Johan. III. 3. 36. 1. Johan. v. 12. II. Scopum Apostoli, dictum hoc Rom. I. 17. allegantis; & Galat. III. 11. 12. ab effectu ad caussam arguentis.

85. Ego à me impetrare non possum, ut credam esse ex intentione Spiritus S. utrumqve in uno eodémqve prophetæ loco: ac ridere soleo, qvum in Conciliatore Menassis, qvæst. XLIX. in Genesin lego, verba רב יעבד צעיר, qvæ leguntur Gen. XXV. 23. ex mente auctoris esse ambigua, ut verti possint duobus modis: *Major serviet minori, & majori serviet minor.*

86. Hunc lusum interpres minimè probabit; sed rationes potiùs adducet, cur determinatio spectet non subjectum, sed prædicatum: & qvidem partim ex ipso propheta, partim ex Novi Testamenti allegatione. Opponit inter se propheta eos qvi exspectare nolunt promissum Dei, sed mendacii insumulant, atqve alios, qvi patienter exspectant, donec, qvod pollicitus est Dominus, præ-

præſtet reipſâ: atqve illorum prædicitur interitus, horum verò vita æternùm duratura. Sicut itáqve impatientes moræ ob diffidentiam pereunt: ita ex adverſo patienter exſpectantes non pereunt, ſed vivere dicuntur באמונתו ob ipſam illam fidem patientiæ junctam, vel ut loqvitur auctor Epiſtolæ ad Hebræos, διὰ πίστεως καὶ μακροθυμίας c. VI. 12. adeóqve ex natura oppoſitionis innuitur cauſſa vitæ, ut ibi interitus, & pertinet, ut aliæ limitationes, ad prædicatum; minimè verò ad ſubjectum. Deinde S. Paulus allegans hæc verba, eadem ſenſu noſtrô accepit Galat. III. 11. ut patet ex argumento, qvô utitur; Sic enim inqvit: *Qvòd per legem nemo juſtificatur apud DEUM, manifeſtum eſt, qvia juſtus ex fide vivet.* At lex non eſt ex fide. Argumentum eſt tale: Qvi vivit ex fide, is non juſtificatur per legem apud Deum. Juſtus vivit ex fide. E. Hic manifeſtiſſimum eſt in minore τὸ ἐκ πίστεως pertinere ad prædicatum. Unde Piſcator Herbornenſis, cetera Junio addictus, in Scholiis ad c. 1. 17. Ep. ad Romanos, eum deſeruit. Sanè friget aliàs ſententia, ſi ad ſubjectum potiùs referre velis, qvàm ad prædicatum.

86. Neqve hæc expoſitio Paullo adverſatur, ſed favet potiùs huic inſtituto. Qvia enim juſtus non tantùm per fidem juſtus eſt, ſed etiam vivit, haudqvaqvàm verò per legem, ideò Paullus Rom. 1. hoc dictum prophetæ adhibuit: ceu paſſim in eadem ſe explicat Epiſtola, dum fidem oppoſitè ad legem inculcat, negans ſalvari lege ſive Judæum, ſive ethnicum. Accentum autem qvod ſpectat. I. Exemplaria non conſentiunt, uti exhibet

bet codicum collatio: id qvod Junius non obſervavit, adeòqve tam confidenter accentuationem urget. 2. Ordinariè tamen ſoph paſuk cum ſilluk habet ante ſe proximè miniſtrum Mercha, & gaudet vicinô principe Tiphcha: potior itáqve, veróqve ſimilior eſſet accentuatio hæc qvàm illa Junii. 3. Qvòd ſi maximè Junii accentuatio ſervetur, tamen cùm accentus Tiphcha regius non ſit, tanta ejus vis non eſt, ut conjuncta divellat. Sic in eodem propheta Habacuc c. 1. 4. legimus יצא משפט מעקל egredietur judicium perverſum ubi משפט מעקל minimè debet ſejungi. c. 11. 6. מכביר עליו עבטיט: *aggravans ſuper ſe lutum.* Ubi non poteſt accentus unam ſolùm partem propoſitionis notare, & diſtingvere, c. 111. 7. ירגזון יריעות ארץ מדין moverunt ſe cortinæ terræ Midian. Hìc ſtatus conſtructus non admittit, ut divellantur voces. Addatur verſ. 11. Aliàs & limitatio nunc finem occupat in hoc propheta ut verſ. 14. nunc medium. Accedat huc conſenſus R. Davidis Kimchi. Qvinetiam, ſi maximè limitatio talis accentu diſtinctivô ſecluſa videatur, tamen eò ſpectat, ut Dan. 1x. 17. האר פניך על מקדשך השמם למען אדני׃ *Illuſtra faciem tuam ſuper ſanctuarium tuum deſolatum, propter dominum.*

87. Ceterùm non ſola textus diſtinctio hìc conſideranda, ſed vel maximè phraſes integræ, ubi qvaſi de induſtria erratur. Videamus itáqve rurſus exemplum, petitum ex Pſalm. LXVIII. 19. & Epheſ. IV. 8. Nam qvod à Pſalte dictum eſt עלית למרום שבית שבי *aſcendiſti in altum, captivam duxiſti captivitatem*, id Bellarminus, lib. 1. de Beatitud. ſanctor. c. 111. explicat de patribus captivis, è limbo

limbo ereptis, adeóqve in cælos ad conspectum divinæ faciei elevatis. Sic enim ibi ait: *Hoc in loco per vocem* CÆLUM, *non potest intelligi, nisi summum cælum. Etsi enim qvidam intelligunt crucem, tamen Paulus Ephes.* IV. 10. *se exponit paullò infra, cùm ait: Qvi descendit, ipse est, qvi ascendit supra omnes cælos. Porrò nomine captivitatis, qvam* secum duxit *in cælum, qvid potest intelligi nisi multitudo sanctorum animarum, qvas ex limbo ad cælum evexit, ut Ambrosius exponit.* Eadem mens est Galatini, lib. VIII. de A. C. V. c. XXXIII.

88. Porrò sanctus Augustinus multò antè tom. VIII. in h. l. sic scripserat: *Qvid est*, captivâsti captivitatem? *Utrum qvia vicit mortem, qva captivos tenebat, in qvibus regnabat? an ipsos homines appellavit captivitatem, qvi captivi sub Diabolo tenebantur? Ipsos homines, qvi captivi tenebantur, appellavit captivitatem, sicut militia cùm dicitur, intelliguntur qvi militant. Eamdem captivitatem à Christo captivatam dicit; cur enim non sit captivitas felix, si & ad bonum homines possunt capi? Unde Petro dictum est,* Luc. V. 10. Ex hoc jam homines eris capiens. *Captivati ergò qvia capti, & capti, qvia subjugati, sub lene illud jugum missi, liberati à peccato, cujus servi erant: & justitiæ servi facti, cujus liberi erant.* Hoc prorsus respexit Genebrardus in com. h. l.

89. Verùm longè aliter idem Augustinus, lib. XV. de Trin. c. XIX. *Captivitatem captivavit, qvi diabolum vicit. Et ne illa, qvæ futura erant, sancti capitis membra in æternum supplicium secum traheret, eum justitiæ priùs, deinde potentiæ vinculis alligavit. Ipse itaqve diabolus est appellatus captivi-*

tas,

tas, qvem captivavit, qvi aſcendit in altum, & dedit dona hominibus. Multò etiam aliter librò de eſſentia divinitatis, Tom. IV. p. 971. *Aſcendere Deus dicitur, cùm filius Dei carnem de nobis aſſumtam in cælum, velut CAPTIVAM, duxit, ſicut eſt illud in Pſalmo*: Aſcendit in altum, captivam duxit captivitatem: *qvia naturam humani generis, qvæ à Diabolo captiva in mundo retinebatur, aſſumens, ſecum in cælum, ubi nunqvàm anteà fuerat, tanqvàm captivam deportavit.* Et rurſum aliter, Tom. X. ſerm. XLIII. in Johannem; *Qvid eſt* captivavit captivitatem? *Vicit mortem.* Qvid eſt captivavit captivitatem? *Mortem procuravit Diabolus, & ipſe Diabolus de morte Chriſti eſt captivatus.*

90. Ut verò phraſin rectè percipiamus, & difficultatem hanc minuamus, notetur, qvæ ſit oppoſitio harum locutionum, שְׁבִי, שִׁבְיָה, & שְׁבוּת vel שִׁבְיַת הַשְּׁבִי שְׁבִי Itáqve שְׁבִי vocantur hoſtes, † homines captivi, *poſitò abſtractò pro concreto*, & diſtingvendo prædam, qvam hoſtis in bello nanciſcitur, uti liqvet ex Num. XXXI. 12. *Adduxerunt* אֶת־הַשְּׁבִי וְאֶת הַמַּלְקוֹחַ וְאֶת הַשָּׁלָל *& captivitatem* (homines captivos,) *& capturam* ſive *prædam ex jumentis*, *& ſpolium de mobilibus*. E qva conſideratione hoc pateſcit, nomine *captivatis* hic intelligi hoſtes captos. Qvicunq; igitur non ſunt hoſtes Chriſti, eos non duxit captivos: at qvos Pontificii volunt limbo fuiſſe incluſos, & homo Chriſtus, qvem Auguſtinus intelligit, non ſunt hoſtes

† Vide omninò pretioſum D. noſtrum Juſtum Fewrbornium, Tomò VII. Diſpp. Giſſenſ. n. XXIII. §. 7. 8. ſ. p. m. 577. ſ. edit. Giſſenſ. M. DC. XX. in 8r. Item hunc ipſum noſtrum Hackſpan. II. Miſcellan. c. VI. p. m. 251. ſ. & part. II. Notar. in Varia Script. loca; p. m. 232. ſ.

hostes Dei, sed amici atqve filii E. De illis dici neqvit, qvòd Christus eos duxerit captivos.

91. Invenias qvóqve inter hebraicè doctos, qvi phrasin duobus modis accipi posse contendunt: vel passivè duxit captivam captivitatem, h. e. captivorum turbam; vel activè, duxit captivam, h. e. ipsos captivantes, sive eos, qvi anteà captivos detinebant. At formalis significatio harum vocum sic conjunctarum priorem tantùm acceptionem infert: atqve prorsus accidit, captivum duci captivantem, h. e. eum, qvi alios jam captivos detinet. Ex accidentali igitur hoc respectu phrasis æstimanda non est, qvæ nec exemplis probatis nititur. Nam captivare captivantes Esai. XIV. 2. est שבה לשבים, non שבה שבי.

92. Exempla verò prioris acceptionis probata hæc accipite. Num. XXI. 1. *Rex Cananæus Harad pugnavit cum Israëlitis* וישב ממנו שבי & *cepit qvosdam ex iis captivos.* 2. Paralip. XXVIII. 17. *Venerunt Edomæi, & percusserunt Judæos* וישבו שבי & *captivam duxerunt captivitatem*; qvod v. 5. dictum erat, וישבו שביה גדולה *ceperunt multos captivos.* Ex opposito autem, השיב שבות vel שב; est solvere captivitatem, captivos in libertatem asserere, v. g. Jerem. XXIX. 14. *Inveniar vobis*, dixit dominus ושבתי את שבותכם & *reducam captivitatem vestram, & congregabo vos de universis gentibus, ad qvas transmigrare feci vos.* c. XXXIII. 11. אשיב את שבות *reducam captivitatem terræ, sicut in principio, dicit dominus*, h. e. libertatem & lætitiam illis priorem restituam. Psal. XIV. & LIII. 7. בשוב אלהים שבות Ps. CXXVI. 1. בשוב יהוה אתשיבת ציון *tunc repletum est risu os nostrum.* Deut. XXX. 3. Sophan. III. 20. &c.

93. Ex hac oppoſitione manifeſtum evadit, שבה שבי eſſe *abducere aliqvem in captivitatem*; non autem *liberare ab una captivitate*, uti placuit Bellarmino, aut *alteri ſimul mancipare*, ceu Auguſtino viſum eſt. Nam à captivitate liberare dicitur השיב את שבות h. e. reducere aliqvem, qvi erat captivus, & cui ſolvitur captivitas. Unde ſecundum emergit argumentum contra Pontificios: Qvos Chriſtus in captivitatem non abduxit, illi per captivitatem intelligi non poſſunt. Atqve patres, ex illorum commento in limbo exiſtentes, in captivitatem Chriſtus non adduxit, ut patet: Ideóqve nullum hic latet fundamentum pro limbo patrum.

94. Errat itáqve ſciens volens, qvi hiſce conſideratis, & hac oppoſitione perſpectâ patres in Veteri Teſtamento cælô arcet. Dæmon per captivitatem illam intelligitur; hic captivus abductus eſt, Coloſſ. II, 15. ac doctè Cornelius à Lapide ſcribit ad c. IV. Epiſt. ad Epheſios: Capere captivitatem *Hebræis non eſt aliud, qvàm capere, captivos facere, vinctos ducere, ſive hi captivi anteà ab aliqvo capti fuerint, ſive non. Unde in libris Regum David & alii dicuntur capere, vel abducere captivitatem, cùm hoſtes ſuos liberos, qvibuſcum conflixerant, à ſe devictos primò captivos ſibi faciunt.* Valedicat itáqve Cornelius argumento, qvod pro limbo ex phraſi illa nectitur.

95. Unicum adhuc ſubjungam exemplum de polygamia Salomonis ex I. Reg. XI. I. ſeqq. ubi ſic legimus: *Rex Salomon amavit uxores alienigenas multas, filiam qvoqve Pharaonis, & Moabitidas, & Ammonitidas, Idumæas, & Sidonias, &*

Cethæas, de gentibus, super qvibus dixit Dominus filiis Israël, Non ingrediemini ad eas, neqve de illis ingredientur ad vos; certissimè enim avertent corda vestra, ut seqvamini Deos earum. *His copulatus est Salomo ardentissimô amore, fuerúntqve ei uxores principes* septingentæ, *& concubinæ* trecentæ. De hoc Salomonis facto alii aliter judicant.

96. Lipmannus num. 190. ex Talmud ita censet: כל האומר שלמה חטא אינו אלא טועה *Planè errat, qvi Salomonem peccâsse adseverat.* Contra potiùs errare dicatur, qvi Polygamum tam celebrem peccâsse pernegat; cùm ipse contextus legem unam monstret, adversus qvam deliqvit, nempe Exod. XXXIV. 16. qvam nec solam transgressus est, sed plures. Nam inter leges regni judaici fundamentales, qvas vocant, Regem spectantes, hæc occurrit Deut XVII. 16. 17. *Nimiam auri argentiqve copiam non coacervabit: nec eqvos alet plurimos, nedum multitudinem uxorum, ne recedat cor ejus à Domino.* Nihil horum Solomon senex observavit: ingentem argenti aurique molem, longè maximum eqvorum numerum, effrenem deniqve uxorum copiam possedit, coëgit, fovit.

97. Ceterùm uti reliqva ferè donô ipsi data: ita caterva uxorum, contra qvàm decuit Regem, eâ divinitus præditum sapientiâ, foris etiam adscita. Rectiùs itáqve alii Salomonem bis peccâsse suâ illâ polygamiâ persvasum habent: semel שהר בה נשים אפילו מישראל *qvòd plurimas duxit uxores etiamsi fuissent Israëliticæ;* nam octodecim Regi fuisse concessas arbitrantur: iterum, שהיו נכריות שהטו לבבו אחרי אלוהים אחרים *qvòd gentiles sibi junxit,* in-

inclinantes cor ejus ad cultum Deorum aliorum. Unde elegans est fictio, qvæ legitur in Jalkut ad locum nostrum, *Salomonem sua confisum sapientia dixisse: multiplicabo eqvos, nec tamen reducam populum in Ægyptum, multiplicabo uxores, nec tamen recedet cor meum à Deo: cúmqve Deuteronomium ea de re apud Sanctum benedictum conqvereretur, ipsum respondisse, se indignissimè ferre, néqve commissurum, ut vel unica esset litera à lege, id potiùs futurum, ut Salomon aliiqve centum ipsi similes funditus pereant.* Verba ipsa habes in Lipmanno, p. 426.

98. Uti verò nec desunt inter Hebræos, qvi Salomonem gentiles duxisse uxores inficiantur, dicentes: שלמה גייר נשים *Salomo duxit uxores alienigenas, cùm jam ad fidem Judaicam essent conversæ:* ita inter Christianos, sunt qvi negent eumdem tantà uxorum laborâsse copiâ. Rationes si poscis, has afferunt in medium. Auctoritatem B. Lutheri, * qvi c. XXXVI. convivialium sermonum scripserit, hæc non de conjugio esse accipienda, ac si tot Salomo habuerit uxores: sed tantùm femellas esse consignatas, qvas in Gynecæo qvot-diebus aluit, cum aliàs qvoqve masculorum ingentem numerum sustentârit. Item textus accuratam inspectionem: distingvendum enim esse mulierum amorem à possessione Gynecæi: mille femellas eum habuisse qvidem, sed juxta filiam Pharaonis adamâsse non multas Moabiticas, Ammoniticas, verùm Moabiticam, Ammoniticam, Idomæam, Sidoniam, & Chittæam. Nec esse qvòd qvemqvam offendant voces נשים & פלגשים: illam enim pro virgine qvoqve usurpari Num. XXXI. 18. & pro

* Vide nostrum Hackspan. 1. Miscell. c. VI. p. 106.

& pro vidua 2. Reg. IV. 1. hanc promiscuè qvascúnqve notare mulieres aut femellas, ipsásqve adeò virgines, Ester. II. 9. 12. Hæc illorum sententia est, qvæ mihi non probatur: etsi acriter instituta sit reprehensio Grammaticæ & Lexicorum, de qvibus aliàs ex occasione.

99. Manichæorum ista vox erat, patriarchas eorúmqve matrimonia insectantium, neminem polygamum ex illis, qvod æqvum erat, peregisse: Abrahamum insanâ flagrantem cupidine, & Deo semen de Sara promittenti, minimè credentem cum pellice volutatum cum conscientia uxoris, ne qvid inhonesti matrimonium cum ancilla habere videretur: Jacobum qvatuor uxorum maritum instar hirci erravisse, ut esset qvotidie inter qvatuor *scorta* certamen, qvænam eum venientem de agro prior ad concubitum raperet. Et de Salomone seorsim, eum trecentas uxores, & septingentas concubinas habuisse, Regúmqve filias sine numero, iidem tradebant, auctore Augustinô, lib. XXII. contr. Faust. Manich. c. V. Illis responsum suppeditatum c. XLVII. de Jacobo: *Jacobo pro ingenti crimine qvatuor objiciuntur uxores. Qvando mos erat, crimen non erat: & nunc propterea crimen est, qvia mos non est. Alia enim sunt peccata contra* naturam, *alia contra* mores, *alia contra* præcepta. *Qvæ cùm ita sint, qvid tandem criminis est, qvod de pluribus simul habitis uxoribus objicitur sancto viro Jacob. Si* naturam *consulas, non lasciviendi, sed gignendi caussâ illis mulieribus utebatur. Si* morem, *illô tempore atqve in illis terris hoc factitabatur. Si* præceptum, *nullâ lege prohibebatur.* Qvod itáqve Augustino placuit, ut ex occasione patres tue-

tueretur in caussâ matrimonii, ubi licet, id non improbo: sed ut à Salomone idem factum sit, qvod patribus scriptura tribuit; qvis nostrum credet? Judæi de polygamia ejusdem dicere amant: שלמה היה מלמד יצרו להתאוות שהיו לו אלף נשים *Salomo de industria instruxit appetitum suum ut concupisceret, qvia mille uxores habuit.* Et mihi sanè longè alia ejus videtur fuisse ratio, qvà multitudinem uxorum, qvàm Jacobi & aliorum, qvos excusat Augustinus.

100. Nec aliud probatur in scriptis indubitatis Luthero: scribit enim Tom. IV. Jenensi in XXV. Geneseos: *Da die Schrifft sagt vom König Salomon, das er habe gehabt siebenhundert Königin, und dreyhundert kebsweiber, ist auch also geredet* (ut scil. Gen. 25.) *Dass die Koningin sind die rechten frawen* (NB. *nicht das frawenzimmer ohne ehe*) *die andern sind diesen unterthan. Das ist der Schrifft brauch und weise.* Valeant itaqve colloqvia illa, qvæ Lutheri nomine, nescio qvis, edidit, & germana ejus sententia hauriatur ex illis libris, qvos nemo revocat in dubium.

101. Sed qvid auctoritate ducimur; rationes præsto sunt, qvibus effrenis illa polygamia confirmatur. Qvid enim mirum, si contra interdictum divinum tantam uxorum habuerit colluviem, qvi eôdem insuper habitô uxores duxit alienigenas. Qvòd si enim Judaicæ religioni faventes sibi junxisset, ab iis fidei minus utiqve fuisset periculi: ille verò ita exarserat amore erga qvascúnqve, ut à cultu vero alienis vel templa exædificaret, & adversus mandatum Dei idola si minùs coleret, saltem in favorem uxorum ita promove-

ret, ut eô nomine à Deo recessisse diceretur. Numqvid arbitrabimur minus esse piaculi, publicè cultum idololatricum fovere, qvàm in aula plurimas alere uxores? Et si illud verissimum, cur hoc vocaretur in dubium, cum utrúmqve sit eôdem locô traditum? Et qvod de Gynecæo affertur, id procul dubio numerum illum excedebat, si singulis uxoribus primariis singulas tantùm ancillas assignes: & amplum alere Gynecæum, ceteris paribus, in vitio non est.

102. Deinde qvid sit habere נשים רבות, docent loca inter se collata. Gideon habuit septuaginta filios, qvi egressi sunt de femore ejus, *eò qvod multas haberet uxores*, Judic. VIII. 30. & septuagesimus primus natus erat de concubina; exceptis filiabus. Rehabeam, filius Salomonis, uxores habuit octodecim, & sexaginta filias, 2. Paralip. XI. 21. nempe Judaicas habebat uxores, qvibus Salomon plures Moabiticas, Idumæas, Ammoniticas &c. addidit. Filii & nepotes Hazzi non ita longô temporis intervallô ad triginta sex millia fortissimorum virorum excreverunt, כי הרבו נשים *qvia multas duxêre uxores*, 1. Paralip. VII. 3. 4. Cur itáqve Gynecæum solum vellemus intellectum per ך נשים multudinem, maximè cùm de Davide átqve aliis, qvi uxores non minùs qvàm concubinas habuerunt, de matrimonii actu nullum cuiqvam suboriatur dubium.

103. Nec illud reticendum, scripturam hâc recensione spectare & ad legem Deuter. XVII. ut paullò ante dictum, & ad exempla omnium retrò mortalium, qvorum nullus nec tot uxores, nedum tot alienigenas duxerit. Vatabli

* nota

* nota eſt ad cap. XI. 1. libr. Regum, licuiſſe Regi uxores ducere, Hebræorum ſententiâ, uſqve ad ſeptenarium, eò qvod David ſex uxorum maritus fuerit. Druſius autem confirmat, octo ipſi fuiſſe uxores, præter concubinas; nec id uſpiam ſcriptura reprehendit, qvin Rabbini octodecim Regi conceſſas aſſerunt: at Salomo patrem ſuperaturus exemplò prorſus inauditô & alienigenas & longè plurimas coëgit, qvarum tandem amore victus à ſincero Dei cultu deſcivit. Uſqve adeò amor eum egit præcipitem, ut Siracides qvoqve Davidem, cetera polygamum, laudans, ſcripſerit c. XLVII. 21. de eo ſeorſim non ſine gravi exprobratione, qvòd divinâ gratiâ omnibus hoſtibus ſuperior ſolis ceſſerit uxoribus alienigenis, qvæ copiis domeſticis maritum ſuperârint: & catè auctor libri חסידים ait, num. 619. שמשון גבור שבגבורים ודוד חסיד שבחסידים ושלמה חכם שבחכמים נכשלו שמשון על ידי אשה. דוד על ידי יפת תואר וחכם כל החכמים נכשל בנשים: *Simſon fortitudine, David pietate, Salomo ſapientiâ inſignes, impegerunt ſinguli*: ille *per uxorem*, iſte *per pulchritudinem uxoris Uriæ*, hic *omnium ſapientiſſimus per* UXORES, plurimas ſcilicet illas, & alienigenas.

104. Dicis, obſtant voces נשים & פילגשים qvæ indifferenter de uxoribus & virginibus uſurpantur. Ergò numerum illum uxorum hinc non effici, ſed hoc ſolùm, qvod Gynecæum femellis mille conſtiterit, ℞. id non negari, qvod alicubi נשים promiſcuè ſumatur; vel etiam ſolùm de virginibus,

 ut

* In meo Vatablo Bibliis Hebraicis, Græcis & Latinis, ex officina Commeliniana CIↃ. IↃ. XCIX. in fol. evulgatis ſubjuncto nihil tale invenio.

ut videri possit Num. xxxi. 18. 34. Judic. xxi. 12. 14. Job. xlı. 19. sed dum mariti exstat mentio, idem plures uxores diversissimarum gentium habuisse fertur, seorsim numeratis etiam concubinis, an verisimile sit solum intelligi Gynecæum, præcisâ conjugii ratione? Invenies absolutè נשים de uxoribus Gen. iv. 19. 1. Sam. 1. 2. sine mentione concubinarum & porro cum addito נשים אן ילדים ובנים, 1. Paral. vii. 4. 2. Paral. xiii. 20. 21. c. xxiv. 3. Jerem. ix. 20. Genes. xxxiii. 5. item נשים זונות 1. Reg. iii. 6. נשים פילגשים 2. Sam. xv. 16. c. xx. 3. Conjungi autem uxores & concubinas seclusô matrimoniô necdum probatum est, nedum פלגשים virginum nomine uspiam venire. Domus ? פלגשים æqvè infantes & femellas nubiles complecti potest, ita à potiori dicta neqve unicus locus ambiguus totam seriem analogiæ Hebraicæ turbabit: & qvod de radice ignota, plus qvàm satis est, urgetur, huc ne facit qvidem; cùm plures obviæ sint dictiones compositæ, qvæ unicam radicem ne qvidem agnoscere possunt.

F I N I S.

PAR-

PARTITIONES CODICIS HEBRÆI,

IN QVIBVS

Per qvatuor Sectiones, qvibus Biblia Hebræa doctoribus divisa, omnia abstrusiora textibus sacris adjecta explicantur. Marginalia & finalia ἐπισάγματα varia enodantur, Chronologia, nomina librorum, & virorum secundum Hebræos, & summæ singulorum librorum diligenter tractantur, Prophetarum vita, tempus officii; & qvot annos ante Christum qvilibet vixerit, brevissimè monstrantur.

Liber, Biblia sacra Lecturis in qvavis Lingva, maximè in Hebræa, utilissimus, cui similis labor in hoc genere nunqvàm anteà visus, à juvenibus & viris doctis sæpe descriptus:

NUNC

Operâ & studiô

M. LAURENTI FABRICI DANTISCANI,

Professoris Hebr. Ling. in Acad. Wittebergensi, publici juris factus.

Cum Indice accuratiore omnium qvæstionum in hoc libro tractatarum.

Qvi nescit viam apertam ad Hebræum Oceanum, is hunc comitem viæ sibi assumat.

SEPTEM

REGNI SVECIÆ EPISCOPIS, VIRIS *Reverendissimis, ac Doctissimis, Dominis & amicis suis in Christo venerandis ac colendis:*

DN. M. PETRO KENITIO Archiepiscopo Ubsaliensi.

DN. M. JONÆ KYLANDRO Episcopo Lincopensi.

DN. M. LAURENTIO PAULINO Episcopo Strengnensi. †

DN. M. SVENONI SVEN. Episcopo Scarensi.

DN. M. OLAO Episcopo Arosiensi.

DN. M. PETRO JONÆ Episcopo Wexionensi.

DN. M. ERICO Episcopo Aboënsi in Finlandia.

ET

Duobus Reverendis, piis ac doctis Superintendentibus

DN. M. PETRO MELARTOPOEO, Superintendenti Mariæstadensi.

DN. M. JOHANNI UNGIO, Superintendenti Calmariensi.

† Ita enim adscripsit qvidam meo codici pro voce *Scarensi*, qvæ in vulgatis est, & versu statim seqvente pro N N. *Episcopo Shengnensi* scripsit *Svenoni Svenonis Episcopo Scarensi.*

PRÆFATIO.



EPTENTRIONEM Tempore veteris Testamenti, Reverendissimi, & doctissimi viri Episcopi Ecclesiarum totius regni Sveciæ, verè infamem fuisse, lectitanti Divinas Scripturas ignotum esse non potest. Subinde enim Deus minatur, se ex septentrione mala, afflictiones gravissimas ac magnam turbam hominum noxiam, Ecclesiæ immissurum, qvæ eam multùm adfligeret & vehementer concuteret. Hoc ita esse, Ecclesia Dei multâ experientiâ edocta, haut unqvàm dubitavit, ut antiqvus populus etiam hôc proverbiô notaverit: BABEL & BORSIPPEN duo Ecclesia mala. Qvantum enim Ecclesia Dei à Syris, Babyloniis & Persis, perpessa sit, id divina Scriptura fusissimè testatur. Nec hostem illum Septentrionis solùm de Babyloniis & vicinis intelligendum esse puto: Sed etiam de Gog & Magog, Turcis & Scytis, qvi è Septentrione effusi Ecclesiæ longô tempore exitium parare moliti sunt. Tempora verò Novi fœderis nos lætiora de Septentrione sperare jubent, Gentes enim Assur, Hamath, & Elam ad vexillum Christi accursuras, & Messiæ sua nomina daturas, divini vates prædixerunt. Septentrio enim jam magnâ parte Ecclesiæ factus Amicus, immò ipsi Ecclesiæ insertus, ea, qvæ Christi sunt, fidelissimè facit, & custodit. Exemplo nobis est Assyria in qva florentissimæ Ecclesiæ fuerunt, post Ascensionem Christi, & nunc ibidem

dem sunt, sub Tyrannide Turcica, per totum orientem diffusæ. Testis est Græcia, qvæ Palæstinæ Septentrionalior est. Sed ut proximiora exempla assumamus, Amplissima regna Daniæ & Sveciæ, qvæ Jesu Christi Euangelium receperunt, Filium Jehovæ osculantur, hostes Ecclеæ Dei esse desiêrunt. Magnam etiam spem concepimus de Moscoviæ regno, fore, ut illud tandem excussô omni gentilismô Christo suas supplices porrigat manus. In Poloniæ regno fulget qvidem lux Euangelii, sed homines Papæ auctoritate excæcati, tenebras magis qvàm lucem amant, una obstat illis Tyrannis Papalis, ne plenô jubare Euangelii doctrina in eo fulgeat.

Svecici regni Ecclesiæ cum primis gratulamur, qvæ nacta puritatem Euangelii in ea constantissimè perseverat, nec ullis periculis, persecutionibus, aut minis ab ea se avelli patitur. Amplexa est ea Ecclesia, sincerâ fide symbolum Lutheranæ Ecclesiæ, Augustanam Confessionem, huic adhæret, hâc nititur, & omnem peregrinam doctrinam fugit, sinceri & constantissimi sunt Episcopi, ad clavum Ecclesiæ regendæ, constituti: qvi hoc unicè dant operam, ne ulla doctrina cum Augustana Confessione pugnans, in Ecclesiam Svecicam invehatur. Qvô nomine multa odia, persecutiones, exilia nonnulli boni viri passi. Notum nobis est, qvid procellarum illi experti, cùm in lucem ederetur, infamis illa, & prorsus infausta *Liturgia, liber compilatus ex Lutherana, & Pontificia doctrina*, Germanico *Interim* prorsus simillimus, qvem nostris Ecclesiis superioribus temporibus Pontificii voluerunt obtrudere. Hôc in-

infelici Liturgicô partu editô, qvantum mali Ecclesiæ Svecicæ, ejúsqve fidissimis Episcopis creatum sit, non ignoramus, ob qvem nonnulli constantissimi Episcopi in exilium decennale pulsi, alii in terram conjecti, à potentiore pedibus, ut intestina rupta exirent, concultati sunt. Sed nihil hâc persecutione, illi Dei testes moti, nec à veritate, vel ad latum ungvem discesserunt. Missus ille fuit Liturgicus Antichristi liber, ad qvædam Germaniæ loca, cum munere butyri tonnis conditi, & Mardium preciosarum fasciculo. His muneribus censor captus & excæcatus, potentiori librum mittenti nefariè blanditus fuit. Cùm enim is librum hunc approbâsset, magistratum regni summum vehementiùs improbâ suâ censurâ inflammavit. Sed Episcoporum constantiam non fregit, qvi nubeculam illam subitò transituram non tanti fecerunt, ut veritatem Euangelii desererent. Eorum aliqvi jam in Domino qviescunt, nonnulli adhuc Ecclesiam fidelissimè regunt. Hi *Viri* cum omnibus suis collegis, qvia magni faciunt Ecclesias Germaniæ ejúsqve Academias, præcipuè nostram Wittebergensem, digni profectò sunt, qvorum nomina æneæ tabulæ inscripta, honoris caussâ publicè exponantur & memoriæ æternæ commendentur, ut nostris & aliis multis horum virorum constantia & pietas innotescat. Ac qvod nostram Academiam maximè suspiciant, argumento est, qvòd nobiscum Augustanam Confessionem profitentur, & in ejus veritate perseverare constituerint. Hanc enim per spaciosissimum & latissimum Sveciæ regnum & per Finlandiam, disseminant, & totam religionem ad ejus teno-

tenorem conformant. Sciunt enim hanc confessionem talem esse, qvæ per omnia cum divinis Scripturis conveniat, de qva etiam Pontificii publicè fassi: Non posse illam Confessionem ullâ sacrâ Scripturâ confutari. Nec qvisqvam apertorum hostium, aut clandestinorum inventus, qvi eam in totum ausus fuerit convellere. Stabit ea donec hic sol lucebit, immò cum hoc mundo non desinet, stabit hæc confessio cum verbo Domini in æternum, qvia genita est ex verbo immortali. Eam autem Confessionem Augustanam intelligo, qvæ magno Imperatori, Carolo Qvinto annô 1530. Augustæ fuit exhibita, in comitiis publicè lecta, coram omnibus ordinibus, præsentibus etiam Hispanis & Italis, qvi ad ista comitia venerant; Non eam Confessionem Augustanam voco, qvam qvispiam è nostris majoribus privatô ausu, contra ordinum voluntatem, tanqvàm proprium librum interpolare & mutilare, decem annis post primam illam exhibitam & publicatam, fuit aggressus. In hac nova si qvid additum primæ repugnans aut detractum in thesi aut Antithesi, illud rejicimus, & veteris illius veritatem vindicamus & asserimus. Deinde non exiguum propensi & benevoli animi indicium est illorum virorum erga nostram Academiam, qvòd studiosis, qvos in puritate doctrinæ, bonis artibus, & lingvis Ecclesiæ Dei admodùm necessariis informatos cupiunt, ut se in Wittebergensem conferant, auctores & svasores sint seduli. Neqve ipsos opinio hæc unqvàm fefellit. Tales enim juvenes reduces à nobis accipiunt, qvales magnoperè optârunt, qvi sanâ Theologiâ imbuti, artibus honestis exculti, lin-

lingvarum Græcæ ac Hebrææ, tum aliarum Orientalium cognitione perpoliti, magno cum honore & commodo patriæ inservire possunt. Nullus annus abit, qvin aliqvis è doctioribus Svecis in patriam revocetur, & muneri honesto præficiatur. Est apud vos, Reverendi & Dignissimi Episcopi, GABRIEL Melartopæus Kimitinsulanus Austrofinno (ut alios plurimos taceam, qvos probè novi) qvi etiam meâ operâ in nostra Academia usus fuit, Vir magnæ & profundæ eruditionis, qvem non puduit ad qvorumcúnqve suorum præceptorum pedes apud nos sedere, & optima qvæqve ex ipsorum ore, tanqvàm ex uberibus lac dulcissimum doctrinæ haurire, qvâ ingenium suum aleret & pingvefaceret. Abiit ille à nobis, & feliciter rediit ad Vos, cognitione omnium articulorum verâ imbutus, lingvis, præter vulgares, abstrusioribus, qvibus secretiùs res sacræ continentur, Hebræâ, Chaldæâ, & Syrâ, probè perpolitus, qvi Spartam Theologicam jam sibi commissam miris modis ornabit, neqve unqvàm cessabit hortari vestrates juvenes, ut ad idem eruditionis culmen aspirent. Si enim articuli fidei rectè apud vos in scholis, & Academia docebuntur, ac studiosis inculcabuntur, si lingvæ, in qvarum cunis veritas fidei involuta jacet, in qvibus etiam ipse Christus tanqvàm infans fasciis involutus cubat, docebuntur, ac longiùs propagabuntur, non facilè corruptionem Euangelii timebitis, qvomodocúnqve res se habeant mundanæ, & facies imperii varietur. Puritas enim in corde, constantia in confessione, & promtitudo in veritatis defensione, facilè omnes hostes franget & mitigabit.

Ego,

Ego, Viri Reverendi & Episcopi dignissimi, vestri nominis & dignitatis amantissimus, hâc Epistolâ vos omnes compellare volui, & vestro nomini inscribere librum hunc sub titulo: Partitiones Codicis Hebræi &c. in qvo qvalis & qvantus labor sit exantlatus, vos dexteriùs judicabitis. Ideò persvasum habeo, hunc librum fore juvenibus perutilem, qvi scientiam gnarorum augebit & roborabit, ignaros verò in multis docebit, & ad Hebræum studium acriùs urgendum, ac Biblia sacra studiosiùs legenda inflammabit. Nam multa in hoc libro in conspectum produxi, qvæ latuerant, obscura declaravi, diffusa limitibus comprehendi, certa temporum intervalla (qvæ magnum lumen afferunt etiam Hebræa ignorantibus) constitui, ne deinceps animi dubii sint circa Chronologiam sacram: qvippe hæc seqventia membra legentibus Biblia, tædium ac obscuritatem communiter afferre solent: 1. Ignoratio summæ in qvolibet libro sacro, de qva materia ibi agatur. 2. Qvô tempore singula acta, scripta, & qvando librorum illorum autores vixerint, qvæqve sint varia intervalla temporum in sacris literis. 3. Si sermo Hebræus prorsus ignoretur, & solis interpretibus fidendum est, qvi pro modulo suæ scientiæ, non autem meliùs, interpretati sunt, ea verò qvæ non sunt assecuti, neglexerunt & siccô pede præteriêrunt. 4. Si legenti Codicem Hebræum non constet, qvid adjectis notis textibus sacris, Doctores Hebræi innuere voluerint. His omnibus remedium aliqvod parare studui. Summam cujúsqve libri paucissimis sum complexus: Chronologiam temporis, qvô qvælibet gesta, & qvô sin-

singuli Auctores θεόπνευστοι vixerint, annotavi. Viam hic facillimè perveniendi ad lectionem, & meditationem ipsius textus Hebræi docere non potui, reqviritur enim ad id Grammatica institutio, lexicographiæ cognitio, & radicum investigatio, qvæ alibi fidelissimè pertractantur. Deniqve legenti jam textum Hebræum absqve interprete, omnia episagmata indicavi, adjectiones & annotationes Hebræorum Doctorum, ad distinctiones capitum, qvæ sacris libris annexæ fuerunt. Sunt ea hujusmodi, qvæ apud paucos Autores Christianos, & qvidem rarissimè inveniuntur, nunqvàm verò apud ullos interpretes conspiciuntur, qvæ omnia qvantô labore, investigatione, collatione cum viris Hebræè doctis: vel oretenus vel per literas factâ, constiterint, candidi ac æqvi lectores facilè judicabunt. Multa fuerunt, qvæ per aliqvot annorum decurias investigare non potui. Præter eos, qvos novi, & ipsémet in diversis Academiis Germaniæ audivi, nullus ferè fuit in Germania, qvi aliàs claret ob Hebræam cognitionem, qvi à me per literas non fuerit, de hoc vel illo Episagmate marginali, consultus. Sunt enim qvædam in sacro Bibliorum libro, qvæ nunqvàm versa, nec ex professo tractata, nec satis perspicuè ab ullo indicata fuerunt. Sit exemplo לוח * *luach* indiculus ille Bibliis Hebræis annexus, & סכומים *secomim*, summariæ comprehensiones versuum, & distinctiones sidrarum. Sæpe inter-

* Hunc Indiculum Sectionum legis, Hebræis *Parschajoth* dictarum, secundum Ordinem Alphabeti dispositarum omnium optimè habes in fine Bibliorum

terrogatus qvid triplicatum פ aut ס in textibus Moysis innuerent: Qvid sibi ק aut literæ ע"כ marginibus sæpius adjectæ, vellent. Ipsemet soleo marginali illo episagmate, * Gen. XIV. 2. Judæos vagantes, aut qvi se in Hebræis multa scire turgidè gloriantur, tentare, qvid velint istæ voces, כ"ח פסו פסוק'. &c.

Hunc laborem meum vobis literatis & piè eruditis dedicare volui, Episcopi reverendissimi & dignissimi, ut vobis sit perpetuus monitor & hortator, ne vobis qvidqvam dulcius aut preciosius esse sinatis, qvàm ut plures ingeniorum selectiorum juvenes, in Academias Lutheranas mittantur, ad discendam sanctam Theologiam, & imbibendum pleniùs cognitionem lingvarum Ecclesiæ Dei summe necessariarum, sine qvibus veritas cælestis néqve erui, neqve eruta asservari, neqve possessa adversùs hostium insultus & irruptiones defendi potest. Exemplo sit vobis Divinus ille Theologus Doctor LUTHERUS, fortissimus ille Antichristicida, qvi non aliis armis, Antichristum Romanum debellavit, superstitiones fugavit, sordes interpretum à sacris Bibliis, & impuritatem ab Articulis fidei abstersit, qvàm lingvæ sanctæ cognitione. *Ego* (inqvit ille super psalmum XLV.) *quantulamcúnqve hanc cognitionem Hebrææ lingvæ, cum infinitis aureorum millibus non permutarem. Scio enim*

Hebraicor. edit. Francof. ad Mæn. M. DC. XCII. in 8t. Sicuti & statim Indicem Sectionum Prophetarum, Hebræis *Haphtharoth* dictarum, prout illæ per universum annum in Synagogis Judaicis præleguntur.

* Vide infrà c. III.

enim quantum mihi contra hostes meos profuerit. Quare vos, qvi aliqvando docebitis religionem, hanc lingvam discatis, si non Pecora campi & indoctum vulgus *haberi vultis, qvod editis libellis Germanicis adjutum utcunqve Evangelia Dominicalia, & Catechismum docet.* Opus est Ducibus *qvibusdam doctrinæ, & oportet habere* Pugnatores, qvi stant in Acie *contra aliarum nationum & lingvarum homines, qviqve sint* Doctores, Judices, & Magistri in hac lingva. Hactenus Magnus ille *Lutherus.* Certè Deus svavissimê Septentrionalibus arridet, ad qvos cum puritate Euangelii simul lingvarum cognitionem mittit, vestrísqve Adolescentibus ardorem † vehe-

† Idem in Dominis Svecis studium suô tempore agnovit Jo. Henr. Höttingerus, his usus verbis, lib. I. Smegmatis Oriental. c. 1. p. m. 2. *Nobis satis est, unum subinde, atqve alterum ex Schola nostra prodire, qvi sit gaudium & Corona nostra,* Phil. IV. I: *Corona de qva glorier, gloria nostra & gaudium,* 1 Thess. II. 19. 20. *Qviqve in earum etiam Lingvarum studium, qvibus in Ministerio Sacro vix faciliùs caremus, qvàm miles armis, Faber Instrumentis, tantâ incumbunt solertiâ, ut suô, meritò, exemplô alios etiam ad idem audendum provocare qveant. Ex qvorum qvidem numero hac occasione sistimus Virum ornatissimum,* D. Jordanum Edenium, *Svecum, qvi cùm superiori annô ex Italia reversus pedem ad tempus Tiguri fixisset, literísqve Orientalibus haud infelicem operam, ad discessum usqve meum in Palatinatum, impendisset, cetera, qva & ipse, & alii ad ocyorem capessendum cursum desiderabant, Epistolâ eruditâ*

 com-

hementiorem, (qvi in multis Germaniæ juvenibus

complexus est, spe firmâ fretus, fore, ut cum tempore & otio, scrupulis illis tollendis pro virili invigilarem. Non poteram doctissimi viri deesse desideriis, præsertim cùm viderem, Clarissimo D. D. Odhelio, *domestico itidem antehac meo, opellam meam adeò non displicuisse, ut etiam Excellentissimus Vir*, D. Joh. Elai Terserus, *Theol. D. & Professor in Regia Upsaliensi humanissimis nuper literis eô me nomine compellârit.* Hæc Höttingerus, qvi in p. f. 3. ipsam Dn. Edenii epistolam & postulata adjunxit. Cl. Dn. Daniel Lundius Svecus Massechet Taanith, i. e. Codicem Talmudis Babylonici de Jejunio ex Hebræo in Latinum vertit, doctis commentariis inlustravit ac Trajecti ad Rhenum edidit annô CIↃ. IↃC. XCIV. in 8t. Codex Talmudicus Eracin de Æstimationibus seu Taxis Legalibus hominum aliarúmqve rerum votô æstimationis ad reparationem Templi consecratis *&c.* qvà Mischnam & Gemaram, unà cum Commentario Raschi, nec non observationibus דר Rabbenu Jischack & Rabbenu Tam *&c.* Tosephot vulgò vocatis, imo etiam Decisionibus inde erutis Piske Tosephot dictis, Speciminis locô verti, inlustraríqve cœptus est à viro bis in studiis eruditissimo Magno Rönnow Sveco, prodiítqve Trajecti CIↃ. IↃC. XC. in fol. Cl. Dn. Laurentii Ingewaldi, Elingii in Regia Upsal. Academ. Professoris qvondam Ordinarii νῦν ἐν ἁγίοις eruditam Lingvæ Græcæ Historiam curavit Lipsiæ Dn. D. Adamus Rechenbergius Professor Lipsiensis Celeberrimus annô M. DC. XCI. in 8t. Præfationéqve ornavit, in qva & Laurentium Molinum Svecum, juvenem eruditione ac morum probitate laudat insignem. Dedicavit verò Dn. Jo. Bilbergio Theologo Regio Upsaliensi, qvi ibi insigni

bus tepeſcit †) indit eas cognoſcendi. Hunc favorem Dei non ſomniculoſè notabitis, neqve ſine ſingulari obſervatione prætervolare patiemini. Valete omnes in Chriſto Jeſu, Epiſcopi & Superintendentes Reverendi, religionis purioris aſſertores in regno Sveciæ conſtantiſſimi, ac ita Euangelii curam habete, ut ſciatis vobis ſtandum eſſe aliqvando ad Tribunal judicis omnium viventium, & mortuorum, Chriſti, qvi à vobis integritatem ſuæ doctrinæ reqviret, & animarum vobis commiſſarum rationes ſcrupulosè poſcet. Felix ille erit qvi audiet vocem ſui Archiepiſcopi Chriſti: *Euge Serve Fidelis, in parvis fuiſti fidelis, ingredere regnum Patris mei.* Scripſit hæc Wittenbergæ Annô 1610.

M. LAURENTIUS FABRICIUS,
Hebrææ Ling. Profeſſor.

gni Græcâ eruditione & amore has in litteras commendatur. Celeberrimum Guſtavum Peringerum in Orientalibus verſatiſſimum eſſe fugit neminem. Excell. Dn. Normannum vidit non ita pridem Lugdunum noſtrum & miratum eſt.

† In præſentia verò viget & floret, ut teſtantur plurimæ illæ Diſputationes Philologicæ in Academiis German. hôc ſeculô publicatæ.

IN PARTITIONES BIBLICAS
V. Cl.
M. LAURENTI FABRICI,
Prof. P. tres Anagrammatismi.

I.

M. LAURENTIUS FABRITIUS.

מלפנא לאורנתי בבריתי

ἀναγεγραμματισθείς:

נתן לי אורים בברית פלא:

ELABORATIO.

אם אותיות בשמות הפוכות
אמנם וכש-מך איש המורות:
רבי הגיז—נך לי גרולם
נתן אורים ספרים קרושים:
בברית פלא ואתה אמונה
פלא אף נפ—שך יש ברוכה:

Μετάφρασις:

MAgna tuum nomen spirat præsagia, si quod
Grammasi transpostis omen inesse solet.
Quidquid inest sacris libris velamine tectum,
Fontibus ex primis nomine reque doces.
Hinc quia Rabboni, pandis mirabile pactum.
Vir sacer & mirus jure vocandus eris.

M. Christophorus Crinesius Schlacco-waldo, Bohemus, Facultatis Philosophicæ Adjunctus.

II. M.

II.

M. LAURENTIUS FABRITIUS

Dantiſcanus, ſacræ Lingvæ Profeſſor publicus in celeberrima Wittebergenſi Academia,

Ἀναγραμματιζόμενος.

En doctè pubi Sanctorum oracula vatum,
Clare vir, enarras, illis adverſa refutans:
Sic benè. Spes ibi ſe, ſubitis, vir magne, fugabis.

ELABORATIO.

TE qvoqve jam multos fruitur Witeberga per annos
CLARE VIR, *inſignem doctrinam ſemper, opéſqve*
Ingenii mirata tui, cùm Hebraica Svada
Te beet, & ſanctæ victrix opulentia Lingvæ.
Leucoris alma tuis favitrix conatibus, alma
Leucoris, attingens ſublimi vertice cælum.
Obſtupuit verſô Pubes ad pulpita vultu,
Dum ſacros aperis fontes, tenebriſqve remotis
Fundamenta piæ doctrinæ induſtrius urges,
Et qvêis conetur ſe pars adverſa tueri,
Fontibus ex ipſis ut ſtulta & inepta refutas.
Hinc Lingvæ Sacræ Atlas cebebraris ad Albida noſtrum.
Atqve eqvidem meritò, cùm non tectoria lingva
Sed ſolidum crepitas: téqve hinc Academica pubes
Suſpicit & meritis ad cælum laudibus effert.
Fallor an & livor nunc illaudatus acumen

Miretur, palmámque Tibi jam deferat ultrò?
En doctè pubi sanctorum oracula vatum,
Clare vir, ennarras. illis adversa refutans.
Sic benè: Spes ibi se, subitis vir magne, fugabis
Viribus errorum tenebras & nubila falsi,
Ostendit, verúmque in clara luce repones.
Quanta, quot inde tuæ veniunt præconia laudis!
Græcia miretur tergô qui sustulit orbem,
FABRICII *Albiacis est gloria nata palæstris.*
Ingenii FABRICI *face prælucente juventus*
Recta videt, rectum & rerum momenta tueri
Ritè potest sacræ callens discrimina linguæ,
Hinc oculis adbibens sacræ collyria chartæ
Aurea cognitio veri quæsita refulget.
Verùm non nostris, majoribus apta Camœnis
Res ea, Tu claræ vive ô vir maxime sospes
Leucoridi, nostræque diu servito cathedræ.

Observantiæ
ergo fac.

M. HENNINGUS ZIEGEMEJERUS
è Saxonibus Goslariensis.

III.

III.

Virum Clariss.

DN. M. LAURENTIUM FABRICIUM

Prof. Publ. Præcept. ſuum honorandum aureas PARTITIONES Biblicas iterum edentem hôc honorat ſchediaſmate,

M. JOHANNES BOHEMUS

Friberg. Miſnicus, Poëta Cæſareus.

LAURENTIUS FABRICIUS

Senior & Hebræus Profeſſor eximius.

ἀναγραμμ.

ALTER ERIS ERPENIUS, EXTABIS MUSIS
CEU ROBOR, FAVUS, SERO FINI.

ἐξήγημα.


ERPENIANÔ Leida *triſte* FUNERE
Diſpendium perpeſſa, Muſarum gravem
Lethes notam perſentit illatabilis,
Totus beato námqve in illo funere,
Ah, dura fata! funeratus orbis eſt,
Qva literatus, qvàque Muſis deditus;
His debitis qvis poſſet indelebilem
Hanc conqveri ſubinde cladem lacrumis.
At inſto: felices plagas deprædicant
Germanidos, *qvibus videre contigit*
Erpenium *nunc* alterum *veriſſimè,*
Sed explicatiùs loqvar, videlicet
Noſtrum FABRICIUM, *lumen orbis aureum.*

O plaude felix nostra jam Germania
Erpenius *vivit tuus, non interis*
Erpeniô *vivente, literæ tuæ*
Nec occidunt, hæ nempe, quas Oriens *dedit.*
Salve vir Excellens, *eris gratus mihi,*
Acceptus omnibus sirempse gratiâ,
Tibi vaporabit piis in posterum
Altare victimis, tibi celsissima
Honoris erogabitúrqve gloria,
Tu námqve nobis derelictis incluta
Exstas columna Fabrici, *mœstissimis*
Erpenius Musis *Eris videlicet*
Alter, *Sabæus ipse quas* Oriens *alit,*
Iisqve Ceu *sublime* Robor & Favus
Extabis, *ut rari* favus *divalior*
Tui ingenI sat evidenter adserit
Hîc publicè; serâqve sed coronide
Serôqve Fini, *sic beabis talibus*
In posterum favis *diu* Germaniam,
Plures libros, pluresqve lucubrans tomos.
Ventura prædicam: Benignô Numine
Inservies nobis diu feliciter,
Deinde sospes servies & *E*xteris!

Ca-

CAPUT I.

De nomine Bibliorum apud DD. Hebræos.



ODICEM Hebræum Græci ſcriptores Eccleſiaſtici vocârunt τὰ βιϐλία, α. libros plures ſanctos in unum Volumen digeſtos. Hanc appellationem Latini & Germani retinuerunt, propriâ appellatione ferè deſtituti, hunc DEI librum vocantes BIBLIA. Scriptores autem Græci ad hoc ſacrum Volumen libros referunt 22. qvi totidémqve eſſe ſtatuunt, qvot Hebræis ſunt γράμματα, ſeu literæ conſonæ. β. Ideò dicunt: ἐνδιαθήκους δύο καὶ εἴκοσι, libros Teſtamentarios duos &

α. *Biblia, æ, Barbarè. ſeu Biblia, orum*, ſcribit Petr. Palladius in Iſagoge ad Libros Propheticos & Apoſtolicos, p. m. 9. edit. opt. Roſtoch. M. DC. XXX. in 8t. *quamqvàm in genere librum ſeu libellum ſignificat: tamen ſpecialiter dicuntur SACRA BIBLIA libri Veteris & Novi Teſtamenti; SACRA quidem propter ſacram Theologiam ſeu literas ſacras, & doctrinam divinam, a ſapientia mundi ſeparatam, & è cælo delatam; BIBLIA, qvia in eis multi libelli continentur, qvorum primus eſt Geneſis, ultimus vero Apocalypſis.*

β. Euſebius Pamphili προπαρασκ. lib. x. ἔστι δὲ τὰ πάντα παρ' Ἑβραίοις στοιχεῖα δύο καὶ εἴκοσιν. *Sunt apud Ebræos elementa* 22. juxta numerum librorum V. T. Origenes apud Suidam, οὐκ ἀγνοητέον δὲ ὡς εἶναι τὰς ἐνδιαθήκους βίβλους, ὡς ἑβραῖοι παραδιδόασι, δύο καὶ εἴκοσι.

ὅσα

& viginti esse. Athan. in Syn. Epiph. hær. VIII. de qvibus pluribus Wittaker. de sacra Scriptura, qvæst. I. c. VI. Sed numerus hic est angustior re numerandâ, nec enim necesse est, tot tantùm esse sacros libros, qvot sunt literæ in Alphabeto Hebræo. Difficilius qvoqve omnes sacri libri in hunc numerum compingi possunt. Hauserunt hanc opinionem ex Josepho, qvi libiô contra Appionem, crassiore enumeratione totidem libros sacros recenset. Fabulosiùs CCIV. libri sacri ab Esdra scripti memorantur, 4. Esdr. XIV. 44. Doctores autem Thalmudici acqviescunt in numero 24. lib. sacrorum dicentes, ספרים עשרים וערבעה *Sepharim eserim vearbaah* Codicis biblici libri sunt 24. Omnium horum compagem scriptura vocat vel ספר התורה *sepher hathorah*, *librum legis*, Jos. I. 8. vel שפר יהוה *sepher Jehovah*, *librum Jehovæ*, Esa. XXXIV. 16. vel מקרא *mikkra* Nehem. VIII. 8. *Lectionem*, qvòd legi pensitarísqve ad nostram salutem perpetuò debeat, à Radice קרא *kara* legit. Ad excludendum libros ἀγράφους & παραδόσεως dogmata, aliqvando vocant Doctores Hebræi Systema librorum sacrorum כתובה *ketubah*, *Scripturam Dei* à primis temporibus ad hæc usqve nostra tempora beneficiô literarum consecratam. Sic omnes libri Biblici vocantur in N. T. Scriptura Gal. IV. 30. Rom. XVI. 26. Joh. V. 39.

Act.

ἴσος ἀριθμὸς τῶν παρ' αὐτοῖς στοιχείων ἐστί. Isidorus Orig. I. 3. *Ebrai 22. utuntur Elementis secundum V. T. libros.* Nota, numerum literarum neqvaqvàm pro regula Canonis habuisse Ebræos, ut vult Campianus. sed ad hunc numerum à Patribus fuisse adlusum & memoriæ causâ literarum numerô libros æstimâsse.

Act. xxvi. 27. Vocant etiam eamdem librorum congeriem מקדש *mikdaſch Sanctuarium* ſeu בית מקדש *beth mikdaſch domum Sanctuarii* à rebus tum contentis, tum qvalitate earum: Sic Venetiana Biblia hunc titulum præfixum habent; qvòd res verè ſanctæ, in hac domo depoſitæ ſunt à Deo.

Partes igitur hujus ſanctuarii ſeu libri ſunt 24. illíqve Canonici, ἐνδιάθηκοι γνήσιοι καὶ θεόπνευστοι, nec plures V. T. neqve pauciores agnoſcuntur. Numerus hic inductione iſtâ expletur: v. Moſis; v. appendicis, hoc eſt, Cantic. Ruth. Threnor. Eccleſiaſtæ, Eſter, Hi x. ſunt ſub nomine *Thorah*; Joſua, Judicum, Samuelis, Regum, Eſaias, Jeremias, Ezech. duodecim Minores, pro uno libro habentur. Pſalter. Proverb. 11. ſic jam ſunt xx. His addantur ultimæ lectionis reliqvi qvatuor Job, Eſdr. Nehem. Chron. Hi omnes ſunt Canonici, certi, probatæ fidei, doctrinæ & auctoritatis indubiæ, ut qvæ illis continentur vel jubentia; vel prohibentia, ea prorſus immotæ ſint veritatis, vel ad credendum, vel ad vivendum viam monſtrantia. Reqviritur autem ut habeantur pro Canonicis, ut ſint θεόπνευστοι, à Deo dictati & divinô inſtinctu ſcripti, eô fine, ut ſint norma fidei, & morum. Ideò lingvâ Hebrææ Eccleſiæ conſcripti à viris θεοπνεύστοις divinum teſtimonium habentibus, ſunt pleni, perſpicui, in ſe ſufficientes nobis ad ſalutem. Qvicumqve autem libri Vet. T. agglutinati illas proprietates non habent; ut nec Deum autorem habeant, teſtimoniô Chriſti non ſuffulciantur, ad legendum non præcepti, ad audiendum non juſſi, illi ſunt dubiæ fidei, occultæ & incertæ. De Canonicis Chri-

Chriſtus Luc. XVI. 29. & c. XXIV. 44. Apocryphi qvos Iſraëlitica Eccleſia non approbavit, non ſcripti à Prophetis, non θεόπνευστοι, non Judaicâ lingvâ, qvæ etiam alicubi contineant qvædam canoni ſacro contraria; qvales ſunt 3. & 4. Eſdræ, Tobias, Judith, Sapientia, Eccleſiaſticus, Baruch & tres Maccab. In horum Apocryphorum librorum numero, tres ſunt qvi à Rabinis ſunt ſcripti. Eccleſiaſticus à Syrach, Sapientia à Philone, Maccab. à Joſepho, vel ab alio Judæo Palæſtino vel Ægyptienſi, ut 2. Maccab. II. 24. habetur: ideo hi autores ſtylum orationis aut interpretationem ſuam excuſant. Eccleſiaſt. præf. v. 5. Sic 2. Maccab. XV. 38. qvâ excuſatione libri Canonici opus non habent. Apocryphorum etiam nullus eſt uſus ad probationem fidei; ſed duntaxat ad morum inſtructionem. Et qvidem ibi, ubi conveniunt cum Canonicis. Qvòd autem nonnulli libri ſacri non exſtent; ſed injuriâ temporum perierint, factum id eſt, non cum jactura Veritatis; vel ſalutis humanæ; ſed qvia ab Eccleſia prima in Canonem non fuerunt relati, vel qvòd eadem aliis libris, qvæ in illis comprehenſa fuerant, exponantur.

CAPUT II.

De librorum ſacrorum, ſeu textuum Hebræorum ςοιχείοις eſſentialibus. †

LIbri Canonici, hebræâ lingvâ ſcripti, ſuis abſolvuntur ςοιχείοις tam אותיות *othijot* qvàm תנועות *thenuot* ſignis & motionibus, ſeu ut communiter dicitur, Conſonis & Vocalibus.

Utrumqve Elementum eſt eſſentiale ſacræ Scripturæ ejuſdem dignitatis & antiqvitatis. Diverſos olim ab iis, qvi hodie exſtant Characteres Hebræis fuiſſe, aſſerenti Hieronymo in prologo Galeato non credimus, qvod ſine ulla ratione firma aſſerat, nempe veteri Characterum formâ perditâ ab Eſdra novam inventam. Si tale qvid Eſdras vel Nehemias (qvorum * hic ſuarum laudum diligens eſt buccinator, & ob hoc à nonnullis putatur fuiſſe Sadducæis addictus) inveniſſet: neuter id in ſua hiſtoria reticuiſſet. Conſtat autem ex utroqve, neqve ſacrum codicem prorſus amiſſum fuiſſe: neqve à lectione ſacra populum ceſſâſſe, atqve ideo veterem Scripturam integram remanſiſſe, etiam in captivitate Babylonica, in qva ſuas ſynagogas habuerunt, & duas inſignes ſcholas, qvarum altera erat סולא *ſola*, alte-

† Vide Templ. Ezech. Hafenreff. p. 234. & Geſn. in Pſ. LVII. 7. p. 606.

* Refellit hunc noſtrum Henr. Kipping. Exercit. XIII. de Scriptur. §. 2. p. 76. 81. ſ. qvam inſeruimus Analectis noſtris n. VIII. p. 329. ſ. At tu vide vel D. noſtrum Luth. tom. VIII. Jen. Germ. fol. 135. B.

altera בומזרוקא *Bomſarika* & qvælibet ſuum ראש ישיבה *Roſch jeſchibbah*; Rectorem Academiæ habebat, ut legere eſt in libro שבת יהודה i. e. *Schebbet Jehuda*, citato à Johan. Buxtorf. in Theſau. Grammat. fol. 603. (al. 652. al. 661.)

Proinde ſtatuimus omnino, eoſdem olim exſtitiſſe Hebræos characteres, qvi hodie exſtant, nec Hebræos ſuas literas vel à Chaldæis vel à Syris mutuatos, vel à Cananæis fuiſſe, tanqvàm à minùs nobilioribus, & myſteriorum Dei ignaris: nec Deum ſuam ita deſeruiſſe Eccleſiam, ut ſua in univerſum teſtimonia perderet.

Ceterùm antiqvitas ipſis תנועות *thenuot* vocalibus eadem eſt cum Conſonantibus, qvæ unà ab initio cum conſonantibus exſtiterint. Ipſa id Scripturæ perfectio reqvirit. Etenim plus eſt naturalem vocis cujúſqve Hebrææ ſonum exſtitiſſe, qvàm ejus externam notam. Si enim officium ſignandi, ſeu, qvod idem eſt, conſonandi non potuit notari ſine Conſonorum ſignis, multò minus ſonorum naturalium diſcretio eſſe potuit ſine Vocalium notis per ſe: niſi forſan ex arbitrio hominis alicubi vocales propter præcognita, minuendi laboris cauſſâ, & ut oculis parceretur, fuerint omiſſæ. Fabuloſam narrationem de repertis Hebæorum Vocalibus annis 470. poſt nativitatem CHRISTI, ceu periculoſam & pernicioſam ſcripturis, qvæ ſenſum ſcripturæ verum evertat, Veritati vim inferat, literas ſacras incertas efficiat, ut ἀκυρωθῶσι & arbitrio hominum illæ ſubjiciantur, prorſus rejicimus. (Videatur Neander in Grammaticis.) Si enim notæ aliæ ſonorum naturalium à Judæis hoſtibus textibus ſacris additæ

ditæ fuerunt; qvam primus ferebat ſonus, nos notatis illis ſonis non tenemur; ſed aliam vocum φώνησιν & textuum alium ſenſum fuiſſe facilè ſuſpicamur. Atqvi aliæ notæ non ſunt qvàm naturalis cujúſqve vocis ſonus reqvirit. Ideo non à novitiis Judæis Vocales adinventæ; ſed cum prima Scriptura extiterunt. Mendax igitur Jeſuitarum Bell. p. 92. de verbo DEI enunciatum eſt, poſſe dictiones Hebræas aliis atqve aliis ſonis Vocalium affici, ſtantibus iiſdem conſonis, & ſenſu manente. Si ita eſt, incertæ ſunt Vocum ſignificationes, & pendebunt iſtæ ab auctore afficiente conſonas vocalibus. Eſſentialis enim vocis cujuſqve φώνησις ſeu ſcriptio per vocales, vocis unius ſignificatum ab alîus vocis ſignificato veriſſimè diſtingvit, ut dentur hæ literæ conſonæ דבר, iſtæ variis vocalibus affectæ, varias ſignificationes exhibebunt. Ita enim punctatæ דבר *dabar* vel דבר *dibber* actum loqvendi ſignificabunt. At hôc modô, דבר *dabar*, Verbum aut rem notabunt, ſi hôc modô, דבר *deber* peſtem deſignabunt, ſi verò hâc ratione, דביר *debir* adytum ſecretius indicabunt: Idem judicium eſto de aliis. Ideo conſonarum poſitus dubiæ & incertæ ſignificationis eſſe poteſt: at Vocalium diſcreta conſtitutio ſignificata accuratiſſimè diſtingvit. Si abſqve his eſſet, vocum ſignificata ſciri non poſſent, ideo non malè à qvodam Hebræo Doctore (Lutherus dicit id eſſe Aben-*Ezræ*. in Gen. c. XLVII.) pronunciatum fuit: Sine ſuprà & infrà Scriptura intelligi non poteſt. Inferiorem & ſuperiorem locum in ductu conſonantium Vocales

& accentus obtinent. Si Vocales tollantur, vocum significata ignorantur: ignoratis autem significationibus vocum singularum, sententiarum significata ignorari necesse est. Si accentus distinctivi removeantur, sententiarum sensus confunduntur. Hisce rationibus seqventes addantur: confirmandæ hujus propositionis caussâ, vocales unà † cum consonis in Scriptura Hebræa exstitisse. 1. Nulla dictio integra constitui potest absqve

† Hoc argumentum tam clarè Buxtorfius expedivit in præfat. Tiberiad. p. m. 12. s. & in libro ipsô, c. VII. extr. p. 31. s. c. IX. p. 46. s. & in Tractatu de Punctorum Vocalium Origine, Antiqvitate & Auctoritate, edito Basil. M. DC. XLVIII. in 4to; & in Anticritic. p. m. 5. 6. s. ut nihil vel ad specilegium sit relictum. Adde tamen & B. Calovium in Critico sacro, p. m. 326. s. §. 55. s. laudantem Nostri hujus Fabricii rationem secundam; item Tomô. 1. System. Q. XXIX. p. m. 728. s. Et in Comment. in Genes. p. m. 22. B. Glass. lib. 1. Philolog. Tract. 1. part. 1. n. II. Argum. 1. §. 3. p. m. 14. part. II. Sect. 1. Artic. 1. n. II. p. 28. Artic. II. n. III. p. 43. 102. 192. B. Gerhardum in Exegesi Loci de Scriptura, c. XV. toto, §. 334. s. p. m. 130. b. ubi obiter emenda male à Typographo §. 334. additam esse vocem *præf.* Thesauro Gramm. Buxtorf. locum enim infra paulo, p. 245. citabimus; in extr. ejusd. col. p. 131. pro *Kupelliu* lege Rupellis. Agit & hac de Punctor. origine idem D. Gerhard. in Genes. p. m. 326. ut & Joh. Henr. Höttinger. lib. 1. Thesauri, c. III. Sect. IV. p. m. 400. s. *De vocalium & accentuum antiqvitate*, scribit Anton. Rodolphus Cevallerius Viriensis, Immanuelis Tremellii gener, in Tract. 1. extr. Rudimentor. Hebraicæ Lingvæ, p. m. 16.

qve Vocalibus: ideò vocales sunt essentiales. 2. Si vocales arbitratu hominum, vocibus feriùs sunt additæ, per 4000. annnorum Scripturæ essentia non fuit integra. 3. Si Vocalium notatio non exstitit, vocum significata & sententiarum verus sensus fuerunt ignorata. 4. Si vocalium notæ nuper inventæ, aut cum naturali vocum sono ubiqve conveniunt, aut discrepant. Si conveniunt, vocales exstiterunt: si discrepant, nos illâ

m. 16. 17. edit. opt. Henr. Stephan. M. D. LXVII. in 4to, *eorum sententiæ subscribo, qvi lingvam Hebræam tamqvàm omnium aliarum ἀρχέτυπον absolutissimum, plenè ab initio scriptam fuisse confirmant: quandoqvidem qvi contra sentiunt, non modò autoritatem sacræ Scripturæ dubiam efficiunt, sed radicitus (meô qvidem judiciô) convellunt, qvòd absqve vocalibus & distinctionum notis, nihil certi, firmíqve habeat. Quanqvàm longiore disputatione non est opus: constat enim inter omnes sanos, Biblia notulis & punctis distincta fuisse ante Christi adventum, (qvemadmodùm hodiernô die legimus) & tamen ad minimum usqve apicem, sacrô illius ore fuisse comprobata.* Miror verò Sixtinum Amamam in Commentariolo de recta Lectione Lingvæ sanctæ, c. III. p. m. 213 edit. Franeker. M. DC. XXIII. in 8t. scribere: *De punctis anceps qvæstio & controversia est inter Criticos qvam Theologi qvoqve fecêre suam. At status controversiæ à plerisqve non bene formatur. Qværunt enim an vocales sint coævæ consonis, qvasi ullus adeò unqvàm ineptiêrit, ut negaverit vocales, sine qveis consonæ moveri non possunt, unde rectè animæ consonantium vocantur, ab initio fuisse. De figuris itaqve vocalium, non ipsis sonis qvæstio est. Sed & hic peccant multi, dum ita qværunt, an figuræ istæ semper fuerint adscriptæ? Ipse enim Junius & Po-*

illâ punctatione non tenemur. 5. Si à Judæis hominibus vocales inventæ, significata vocum παρῳδίσει hominum adscribentur. 6. Si dictiones possunt aliis atqve aliis vocalibus affici, incerta erit vocum significatio. 7. Græcorum interpretatio ferè

Polanus, strenui aliàs antiqvitatis eorum Patroni, agnoscunt in communi Scriptura & Bibliis vulgatibus non fuisse adscripta puncta ob rei difficultatem, sed servata fuisse semper exemplaria qvædam authentica & publica, eáqve punctata fuisse. Huc ergo redibit qvæstio, An exstiterit ante Hieronymi tempora tale aliqvod exemplar, vel potiùs, an unqvàm puncta fuerint consonis adscripta ante Hierón. qvem constat nusqvam ullius puncti meminisse? Negant Zuinglius, præfat. in complan. Esaiæ. *Calvinus*, in Zachar. XI. 7. *Mercerus* in minores Prophetas p. 285. & 292. *Petr. Martinius* in Technol. c. I. Scaliger, *Drusius*, passim in libris suis. *Piscator* ad Gen. XV. 2. & alibi. *Rainoldus in Cens. lect.* XXXII. *p.* 278. *& alii. Affirmant Theologi pleriqve. Mihi non est ea fiducia, ut interponam me hic Palæmona.* Hæc Amama. Qvoniam verò nullum Scaligeri locum Sixtinus produxit, nos adferemus seqventem ex Epist. LXII. extr. lib. I. p. m. 197. in qva ita Casaubono scribit: *Qvando tuum opus de Critica prodibit? Laudo consilium de Critica Masoritica; nam nullam aliam habent Judæi, & posterior est editione Talmudis.* (at tu hìc vide Joh. Buxtorf. c. III. Tiberiad. p. m. 7. f. & c. VIII. p. 33.) *Delirant, qvi puncta vocalia simul cum lingva nata esse putant; qvos ratio, vetustas καὶ ὀφθαλμοφάνεια ipsa insanire vincit. Nihil de ea Critica reliqvum hodie est, præter Magnam Masoram, qvæ cum libris sive Bibliis sacris edita est. Eam rectè exponit Elias, unicus, hujus ævi Criticus, & Aristarchus Hebraismi.* Hæc Scaliger.

ferè ubiqve convenit cum hodierna punctatione: ideo eadem puncta fuerunt, nec dictiones aliis vocalibus debent affici. 8. Si non rectè consonæ suis vocalibus fuerunt notatæ, perpetuò incerta manebit vocum significatio. Fatentur hodie Judæi, non posse primam institutionem in hoc sermone fieri sine punctis. Ergo essentialia sunt Sermonis puncta. 10. Multi antiqvissimi auctores Hebræi antiqvitatem vocalium asseruerunt, vide Münsterum de vocalibus. 11. Novitia est opinio ab Elia Levita Judæo in Germania nato prolata, vocales esse post secundum templum destructum inventas. Contra hanc novam & perniciosam opinionem vide magnam congeriem argumentorum, in medium allatorum à Johanne Buxtorfio, in Thesauro Grammatico à fol. 55. ad folium 69. *

* Lib. 1., Thesauri Gramm. c. v. p. m. 55. edit. Basil. cIↄ. Iↄc. IX. in 8t. Recentioribus enim in editionibus omissa hæc sunt; in qvarta sanè qvæ itidem prodiit Basil. M. DC. XXIX. in 8t. qvâqve præter superiorem utor, non offendi.

CAPUT III.

De Hebræorum † תקון *seu correctione textuum σφαλματωδῶν in Codice sacro.*

תקון סופרים vocârunt sapientum in populo Hebræo virorum, in textus σφαλματώδεις Codicis sacri

† Vide Josephum de Voisin Burdegalensem, Sacerdo-

ſacri inſtitutas correctiones. De qvibus notandum 1. Qvi fuerint illi Correctores. 2. Qvando vixerint. 3. Qvid fecerint. 4. Qvô fine correxerint, textus. Primò illi סופרים תקון *Sophrim Tikkun*, ſcribæ correctionis fuerunt Viri magni conſilii אנשי כנסת הגדולה *anſche keneſet hagdolah*, poſt Babylonicam captivitatem congregati, utpote *Daniel*, *Zachar. Malach. Hananias*, *Eſdras*, *Nehemias*, *Zerubabel* & *Mardochæus*, qvi Scripturæ Vet. Teſtamenti carenti (ut aliqvi tantùm Hebræi volunt) vocalibus & accentibus diſtinctivis addiderint vocales & accentus. Moſen enim Scripturam abſqve vocalibus & accentibus à Deo in Sinai accepiſſe dicunt. Contrà multi Doctores Hebræi aſſerunt, ſcripturam plenam à Deo traditam, nec qvidqvam in ejus perfectione deſideratum fuiſſe, ut vocales non hominum: ſed Dei inventum habeantur. Poſterior ſententia eſt veritati magis conſentanea. Deum nempe totam Scripturam homini oſtendiſſe: Si enim vocalium artificium hominum eſt inventum, ſenſus ſcripturarum pendebit ab incerta παραδόσει hominum, qvi pro affectu ſuo vario varium ſenſum affingere Scripturæ potuerunt, pii qvidem verum, impii alienum ſenſum. Vero autem omnino congruum eſt, eum eſſe vocalium inventorem, qvi totius lingvæ. Atqvi Deus eſt auctor & inventor Hebrææ lingvæ, ideo & partium. Qvòd ſi ex abundante concedatur, vocales hominum eſſe inven-

dotem in libro de Lege divina c. XXXI. p. m. 403. ſ. c. XL. p. 541. edit. Pariſ. M. DC. L. in 8t. Item Facem noſtum II. n. III. p. 156. ſ.

inventum, tutiùs fuerit jam veritatis auctores vocales invenisse, non verò auctores observationis observationum בעלי מסורת המסורת *baale masoreth hammasoreth* auctores traditionis. Tiberitas post publicatum Talmud à cond. Mundo 3989. seu post templum secundum destructum 436. annô, annô Christi 470. vocales demum invenisse à veritate alienum est. Videatur opus consummatum Grammat. Munsteri f. 15. & seq. Neander in Gramm. de inventione punctorum. Tum constabit, viros magnæ Synagogæ 500. annos ante natum Christum, post solutam captivitatem Babylonic. in Judæa correctionem hanc adornâsse. Ita primi auctores á posterioribus mille annis distabunt. Priorem sententiam etiam Elias Levita, in præfatione Masoreth hammasoreth, approbat, & argumentis firmis corroborat, & posterior sententia magìs fabulâ qvàm historicâ narratione nititur. Cùm enim textus sacri ab initio mundi ad solutam usqve captivitatem variè descripti fuerint, per ruditatem & incuriam Amanuensium multa σφάλματα orthographica irrepserunt, non in sententiis; sed in aliqvibus Elementis, in qvibus vel consonæ, vel vocales alteratæ fuerunt; ideo tam consonas qvàm vocales ex iisdem dictionibus alibi integrè repertis restituisse dicuntur. Non enim ausi qvicqvam in textu mutare. Ideo vocem σφαλματώδη, qvæ passa esset orthographicam depravationem, circellô, o, Signô orthographicæ depravationis, notârunt, in textu divino, & eamdem in margine correctam pleniùs scripserunt, additâ literâ ראשי תיבות *Rasche Theboth*, id est, initiali, ק Signô correctæ illius &

emendatæ in margine, qvæ dictionis plenioris est prima קרי keri, hæc significat, legitur. à קרא kara Hebræo, qvod Chaldaicè formatur קרי keri. Vitiosam autem in textu dictionem vocant כתיב ketif scriptam, qvod aliqvando in margine lite. à simili initiali כ Rasche assignant, ut Gen. x. 19. textualis vox habet צבים zebojim in hac aliqvid deesse suspicati sunt, ideo eamdem in margine plenius ita scribunt צבוים adjectô ו, qvod capite decimô qvartô Geneseos y. 2. repetitum videmus.

Varia πάθη vitiatarum dictionum videantur in posteriori editione Grammat. Schindl. de Masoreth hammasoreth. Et Catalogus omnium כתיבים ketifim & קרים keriim in apparatu Bibliorum regiorum, Antverpiæ impressorum, Ariæ Montani in fine. * Varietas illorum παθῶν satis multa loca correcta exhibuit, ut ab auctoribus notentur 848. voces ad marginem correctæ. Vide concentum Scripturæ Hugonis Brougthonii in præfat. ad lectorem & in ipso opere, fol. 80. ubi negat, marginales lectiones corruptionum factarum esse indices (diversum etiam Doctoribus Hebr. sentientibus) sed utramqve lectionem seu scriptionem, tàm textualem; qvàm marginalem, niti firmissimis rationibus, etiam ex sententia Doctoris Kimhi. Hæc de omnibus correctionibus affirmari non possunt: in qvibusdam enim vocibus textualibus satis perspicuum est Amanuensis σφάλμα, qvod per correctionem marginalem tollitur,

* Habes & Lectiones variantes in calce Biblior. Hebraic. Francof. editorum annô M. DC. XCII. in 8t.

litur, nec ſimul utramqve Scriptionem marginalem & textualem firmis rationibus poſſe niti, & ne qvidem ſtare, ſalvô textus ſenſu, ut Prov. IV. 16. textualis כתיב *ketif* habet יכשולו *jachſchiolu impegerunt*. Correctio autem marginalis יכשילו *jachſchilu* juxta Conjugationem formationis Hiphil conformata. Eſt enim Verbum in hac formatione uſurpatum hîc - qvod docet ſub litera Ethan. Unde neceſſariò poſt ſecundam radicalem ſeqvitur, ratione conjugationis, Chireck magnum vel Tſere; nunqvam Vau. Ideo utraqve ſcriptio non poteſt niti firmis argumentis, ut vult Brougthonius. Marginalis igitur correctio hîc eſt analoga lingvæ ſacræ & ejus flexionibus, textualis autem ſcriptio laborat σφάλματι. Sic de aliis multis judicandum. Interdum verò correctio facta videtur ſine cauſsa, & contra nativam Vocis & Senſus indolem, ut correctio marginalis magis corrumpat textus ſententiam. Exemplum eſt Prov. IV. 3. ubi כתיב *ketif*, textualis habet לפני *liphne*, coram mea matre. Lectio autem habet לבני *libne*, inter filios. Hæc קרי *keri* ſenſum textus non reſtituit, ſed corrumpit; Salomon enim non fuit dilectiſſimus filius inter multos fratres, reſpectu ſcilicet matris ſuæ Bethſebæ: ſed unicus fuit poſt infantem illum die ſeptimô extinctum. Vocula igitur marginalis לבני *libne* prorſus alium ſenſum gignit, & genuinum in textu corrumpit. Sic Cant. I. 17. כתיב *ketif* textualis habet רחיטנו *rachitenu* in marginali קריאה *kerijah* audacter ח in ה fuit mutatum, nulla de neceſſitate. Ea de cauſsâ ipſi Judæi aliqvando correctorum ſuorum caſtigationes nolunt recipi-

re, in margine fic fcribentes כתיב ולא קרי *ketif velo keri*, valeat textualis fcriptura, non marginalis correctura 2. Sam. xv. ad v. 21. Contra valere ajunt קרי *keri*, & non כתיב *ketif*, ut 2. Sam. xvi. ad verfum ultimum איש קרי ולא כתיב *Ifch keri velo ketif*, valeat correctio per איש *Ifch* non fcriptio per ישאל *jifchal.* Ita dubii funt in fuis caftigationibus ut illis tutò credi non poffit, qvod videre eft locô allegatô, ubi ישאל *jifchal* veriffimum eft, falfum איש *Ifch.* Tum enim tam magnifactum fuiffe ab omnibus confilium Achitophelis, ac fi aliqvis interrogâffet (ישאל) ipfum Dei verbum. Qvotiefcúmqve כתיב *ketif*, additum eft fuum קרי *keri*, toties diligens examen inftituatur ipfius קרי *keri*, qvod nobis fufpectum fit, nifi neceffaria lingvæ proprietas id poftulet. Dominetur autem כתיב *ketif* tam diu, donec σφάλμα fuerit deprehenfum. Dúmqve hanc fuam audaciam Judæi produnt, ingenti hypocrifi pietatem fimulant, non audentes in textu qvidqvam mutare: adeò ut fi juftô minor occurrerit literæ qvantitas, eam extendere nec audeant nec velint. Hinc illæ voces marginales זעיר רפתי *Seir* & *Raphati.* Qvarum illa indicat confonam juftô minorem in textum irrepfiffe: parem itaqve adjiciendam effe, vel faltem animô concipiendam. Hæc verò (*Raphati*) literam in dictionem aliqvam juftô majorem † veniffe, ideo ceteris adæqvandam. Exempla permulta occurrunt Genef. xxx. 42. פ eft Raphati in textu. Gen. ultim. 23. ם excedit.

† Vide hæc latiùs per exempla deducentem Joh. Bu-

cedit. Sic ibidem & Exod. xxxiv. 7. excedit נ. Ibidem ר justò majus est. Sic ג. Levit. xiii. 33. Sic Num. xiii. 30. ס Sed Deut. vi. 4. ר & ע: & Deut. xxxii. 6. ה. Deut. xviii. * 22. צ ה majusculis figuris efformantur. Contrà זעיר *seir* vel זעירה *Sairah* est, cùm litera in dictione aliqva est minor ceteris & inæqvalis qvantitatis, ut Gen. ii. 1. in voce בהבראם *bebibbaram* ה minus est ceteris. Sic ק litera minor est ceteris, in voce קצתי *katzti*, Gen. xxvii. 47.

Qvid ergò voces hæ in margine usurpatæ זעיר & זעירא & רפתי sint, hactenus definitionibus & exemplis fuit ostensum.

His seqvens notatio non absimilis est, cùm aliqvam vocem imperfectè & cùm defectu, aut cum abundantia, sive excessu literæ scriptam notant. Defectum designant voce חסר *Chaser* excessum autem vocula יתיר *jatir* יתירא *jetira*. Chaser ergo est defectus, qvô textualis dictio nonnihil imperfectè scripta indicatur, ut Deut. xi. 12. in מרשום est Chaser א pro מראשית. Sic Num. xii. † in voce לחטה deest similiter א pro לחטאת. Sic Esther. ult. 1. in voce אחשרש deest bis litera ו pro אחשורוש. Contrà יתיר *jatir* seu וקיר est abundantia literæ in aliqva voce ut in voce צירה abundat

Buxtorf. c. xiv. Comment. Masoreth. p. m. 135. & in Anticriticæ part. ii. c. xii. p. m. 818. s. Cl. Joh. Leusden. Philolog. Hebr. Dissertat. x. p. m. 108. s. edit. Ultraject. 1672. in 4to.

* Fortè c. xxviii. 68. vide Buxtorf. Tiberiad. c. xiv. p. m. 145.

† Locus in mendo jacet.

dat ה Gen. XXVII. 3. Sic abundat Vau in voce הפרוזים Esth. IX. 19. Sic litera Jod abundat in voce ותבואינה Esth. IV. 4. Et in eodem c. 7. in voce ביהודיים secundum Jod superfluum est. Ergo qvid sit חסר & יתיר literæ, ex hisce apparuit. Ideo ad hanc classem referimus qvoqve marginales notationes Doctorum, qvæ vel de defectu pluribus vocis, vel de abundantia monent. De defectu agit illa Gen. IV. 8. Ubi post vocem אחיו signô variæ lectionis notatam hæ dictiones occurrunt כ"ח כסו פסקי במציעו פסוק qvæ hisce * vocalibus affectæ כ"ח כסו פסוקי במציעו פסוק *Passu Phesukke bemitzo pasuk*, hunc exhibent sensum: *viginti octo* (nam duæ priores literæ numerales sunt) *desunt Versus in medio hujus versus*, qvi non videtur absolutus, ideò notatur per Athnach. Ajunt enim Doctores Hebræi hîc desiderari colloqvium Caini cum Abele, qvod constitisse 28. versibus ajunt, qvi in Targum adducuntur, sed in textu Hebræo nullus versus desideratur. Nam verbum ויאמר *vaijomer* & dixit, non tantùm sermonem

texere:

* Hîc B. Auctor noster non solùm in punctatione verborum Masorethicorum, sed & in interpretatione eorum fallitur. In Masora voces non exstant integrè, sed per siglas scriptæ, qvas ille minus benè habuit pro integris. Verba Masoræ sunt hæc: כ"ח פסו' פסקי' במציעו' פסוק: qvæ sic punctanda, legenda & interpretanda: כ"ח פסוקים פסקין במציעות פסוק; i. e. *Viginti octo versus desinunt in medio versus*. Masora tamen eadem Genes. XXXV. 22. tantùm כ"ה i. e. 25. versus occurrere majore probabilitate asserit. Qvàm facilè enim ה cum ח confundi possit, nemini ignotum esse reor. Confer. Buxtorf. in Cla-

ve

texere: ſed etiam amicè & blandè loqvi & converſari ſignificat. Cain enim diſſimulabat rancorem & blandè loqvebatur aliàs cum Abele, ut is neqviverit ſentire ullam iracundiam: aliàs conſpectum Caini fugiſſet, ut Jacob Eſavi fratris. Similem defectum verſus notáſſe videntur in c. 11. Deut. 8. ubi marginales voces hæ exhibentur פסקא במצעו פסו *Peſika bemizo paſſu. Verſus in medio deficiunt.* Sic ad marginem c. XXXVII. Gen. 11. marginalis notatio cum punctis hanc ſententiam reddit חד מן נקודות ט״ו בתורה *chid min nekudoth* ט״ו *bethorah* id eſt, *punctationum hac prima eſt ſuper voce* (את) *de qvindecim in lege in qva ſuper voce* את *bis eſt Rebia*, qvalis punctorum poſitio in lege qvinqvies & decies reperitur, ut Magiſtri Maſoreth notârunt. Notetur חד *chad* dici pro אחד *echad* per *ἀφαίρεσιν.* Ejuſdem farinæ ſunt voces Maſoreticæ, margini Exod. XXXIX. 4.

ad-

ve Maſoræ, c. XI. p. m. 265. Cl. Dn. M. Joh. Henr. Hänerum in Miſcellan. Philologico -- Criticis, §. XV. qvi tamen ſi evolviſſet B. Borrichii Cogitationes de Variis Latinæ Lingvæ ætatib. p. m. 87. ſ. noſtrum Fabricium, ac ſi vocabulum *dictionis* minùs Latinè pro *vocis* uſurpâſſet, non accuſâſſet fortè; ſcio qvidem qvid exceperit Cl. Dn. Cellarius in Curis Poſteriorib. p. 400. ſed & non ignoro, eumdem Borrichium reſpondiſſe Cellario in Analectis, p. m. 11. §. XI. Confer & Jo. Vorſtium, Häneri *magnum*, ut ipſe vocat, *amicum*, ſuſpectantem uſum vocis *dictionis* pro verbo, ſeu vocabulo, in de Latinit. meritò ſuſpecta, c. XIV. p. m. 147. præeuntem pro more habentem Scioppium, qvem nullibi non ſeqvi ſolet, uti & hìc Voſſium, 1. de Vitiis Sermon. c. XXXI. p. m. 132. Qvomodo verò ipſe Hänerus defendere velit, *nemini non ignotum eſſe reor*, qvod locô dictô uſurpat pro *nemini non notum eſſe*, ipſe viderit.

additæ, qvæ hôc modô punctis afficiantur חד מן י״ג מלין כתובין תרין וון *chad min* י״ג *melin cetubin terin Vavin*, id est, *unum seu primum de tredecim abundanter, sive plenè scriptis per duo Vau in voce* קצוותו, Lev. xi. hæ literæ ad marginem conspiciuntur, qvæ sic punctatæ, hanc sententiam reddunt אל יקרה לו ט״ו כתובים *qvindecies in codice sacro reperitur scriptum* לא. *cum* א *in forma Adverbii negandi;* legitur autem לו in forma pronominis, ei.

Caput IV.

De ראשי Rasche & סוף תיבות suph thebhoth *vocum Hebræarum.*

DOctores Hebræi voce artificiali תיבה *thebah* dictionem appellàrunt. Ideo thebhoth sunt voces Hebræi sermonis. Scribuntur autem voces Hebrææ aut integrè aut abbreviatè. Statuimus omnes dictiones in textibus sacris integrè seu מלא *male* plenè scriptas esse, suis essentialibus literis, qvibus vox qvæqve absolvitur. Qvanqvàm Cabalistæ etiam in textibus dictiones per Rasche scriptas dicant inveniri, ut אבן *eben* lapis, qvem ædificantes rejecerunt Ps. cxviii. 22. putant integrarum dictionum initia esse nempe אב *Af* pater בן *ben*, filius, qvòd Judæi tàm patrem qvàm filium suâ incredulitate rejecerint. Sed conjecturis Cabalistarum, qvi sæpe singulis literis in voce singulas dictiones notari docent, neqvaqvàm locum demus. Sic enim vox una plurimas differentes haberet significationes: nec unqvàm de certo vocis significatu constaret. Extra textus sacros

cros in Commentariis Doctorum voces Hebrææ etiam corruptæ חסר *Chaser*, cum defectu vel initialium vel finalium literarum scribuntur. Litera igitur ראשי sive capitum aut initiorum est prima dictionis litera, interdum cum secunda dictionis litera juncta, ut vocis קרי *keri* initialis est ק. Sic vocis כתיב *ketif* ראש *Resch* initialis litera prima est כ. Ex aspectu enim unius literæ colligenda est tota vox. Notatur autem ita abbreviata vox initiali literæ supernè virgulâ unâ vel duabus impositis ק׳ק״כ׳כ״: vel etiam punctis impositis hôc modô ק̇. כ̇: Abbreviatio hæc usurpatur in vocibus, qvæ sæpius occurrunt, sive γνωμικῶς sive συμβολικῶς adhibitæ fuerunt, ut dicturi σὺν Θεῷ, sive auxiliô divinô, scribunt בג״ה, qvod est בגבורה השם *bigburah haschem* i. e. *cum fortitudine nominis*, nempe Jehovæ. Vel idem enunciaturi scribunt has literas ב״סיד qvæ Chaldaicam gnomen notant בסיעדא דשמיא *besaada dischmaja*, i. e. *per auxilium cælorum*, i. e. divinâ ope. Sic sanctissimum nomen Jehovæ expressuri, circumscribunt illud literis ראשי Rasche הקבה qvæ sunt initiales harum vocum הקדוש ברוך הוא, *hakkadosch beruch hu*, id est, *Sanctus benedictus ille*. Vide Reuchl. de arte Cabalistica, lib. III. Sic dicunt clausuri librum & Deo in conficiendo labore pro ope præstita gratias acturi בנ״לך, hoc est, * ברוך נותן ליעף כח *baruch nothen lajaph coach*; i. e. *benedictus qvi lasso robur dedit*. Jesa. XL. 29. † Benè precaturi

* Vide omnino Joh. Buxtorf. de Abbreviaturis Hebr. p. m. 54. B. Glass. II. Philol. part. I. Tract. II. Sect. III. p. m. 306.

† Adjiciunt interdum & alterum ejusdem versus mem-

turi נ"ע. qvæ sonant נוחו עדן *nucho eden, quies ejus paradisus* sit. α Vide talium gnomarum per literas Rasche notatarum fasciculum in libello Weigenmey. de Rasche theboth, & in Grammmatica Münsteri de Abbreviaturis Hebræorum. β Sic סופי תיבות *Sophe theboth* est litera abbreviatæ γ dictionis ultima: ut Jehovæ nomen notaturi, scribunt ejus literam ultimam ה׳ pro יהוה *Jehovah*. Hic posterior modus non est adeò usitatus, ut prior. Notant autem hunc posteriorem modum literis initialibus Doctores ס"ת sicut priorem ר"ת. Vide Reuchl. de arte Cabalistica, lib. III.

Huc pertinent omnes abbreviaturæ in margine Bibliorum usurpatæ, utpote hæ literæ ע"כ sæpe occurrunt (non in Mose: sed in Prophetis) qvæ integrarum particularum sunt initiales, עד כן *ad chan* huc usqve nempe legitur textus Propheticus in haphtara, applicatus ad suam sidram. Cúmqve Hebræum Alphabetum valdè accommodatum sit ad varias commutationes: ita occultissima qvæqve literis Alphabeti scribunt non solùm per סוף *sophe*, aut ראשי תיבות *Rasche theboth*, sed etiam

membrum, ולא"עי, id est, ולאין אונים עצמה ירבה, *& cui non sunt vires, ei robur multiplicat.*

α. Ita potiùs verto & emendo qvàm *paradisi*, qvod mendosè fortè, in nostro erat anteà. Dicunt & נשמתו אדן *nischmatho Eden, anima ejus sit in paradiso.*

β. Præ ceteris omnibus tu lege Buxtorfii librum de Abbreviaturis Hebraicis, edit. opt. Basil. M.DC.XL. in 8r.

γ. Legendus omnino B. Glass. lib. II. Philolog. part. I. Tract. II. Sect. III. p. m. 307. s.

etiam medietate posteriore Alphabeti hôc vel illo modô parti priori substratâ. Notati autem fuerunt à Doctoribus Hebræis duo † permutationis modi. In priori modo, medietati priori substernitur medietas naturali ordine observatô literarum, ut literæ א substernitur ל, literæ ב litera ת hôc modô:

א ב ג ד ה ו ז ח ט י כ
ל מ נ ס ע פ צ ק ר ש ת:

Scripturi enim occultiùs pro א sumunt ל, pro ב literam ת. Hic modus scribendi vocatur per אלבם *Albam* (à positu literarum.) טבאל *Thabeal*, Rex Esa. vii. 6. literis per Albam permutatis, qvæ in suum ordinem redactæ exhibent nomen רמלא *Ramla*, regnum Israëlis.

Alter permutationis modus est, cùm priori medietati Alphabeti substernitur altera medietas: sed ordine inversô literarum à fine Alphabeti inceptô:

א ב ג ד ה ו ז ח ט י כ
ת ש ר ק צ פ ע ס נ מ ל:

Hic commmutabuntur א cum ת & contrà: item ב cum ל: Vocatur hic modus scribendi אתבש *Athbasch* itidem à positu literarum permutato. Hujus exemplum extare putant Cabalistæ

† Vide rursus Glass. d. l. p. 310. Hackspan. de Cabbala Judaica, Sect. 1. §. xxi. p. m. 297.

ſtæ Jerem. LI. I. ubi ſcribitur לב קמים *lebb kami*, † *cor inſurgentium eorum*: hæ literæ in ſuum ordinem redactæ exhibent vocem כשדים *kaſdim*, *Chaldaos*. Sic Jerem. xxv. 26. & LI. 41. ſcribitur ששך *Seſach* Rex, literis, אתבש *Athbaſch*, in ſuum ordinem redactis fit בבל *Babel*. His exemplis Cabaliſtæ demonſtrant אתבש *Athbaſch* ſcribendi rationem. Sed fallax eſt utrumqve exemplum. Nam in priori exemplo Babylonii dicuntur Lebb Kamim animosè inſurgentes contra Judæos ut tranſmutatione nullâ opus ſit. Deſcriptio enim iſta Babyloniorum non eſt ſubjecti: ſed prædicati notatio, indicans qvid agant Babylonii. Poſterius exemplum ex ignorantia à Cabaliſtis allegatur. Nam ששך nomen proprium fuit Deæ cultæ à Babyloniis, cujus feſtum celebrant licenitosè, per qvinqve dies, qvi dicti ſunt σακκέαι ἡμέραι, qvibus capta fuit Babylon à Cyro, rege Babyloniorum, tum non Babylone: ſed Borſippis in munitiſſimo loco latitante, ubi Darius etiam captus à Cyro fuit. Vide Scalig. de emendatione temporum in fragmentis Beroſi, fol. 16.

† Ita enim in codicibus meis, qvos ſex habeo, lego, non *kamim* cum ם in fine.

CA-

Caput V.

De בתר *bether divisione Librorum Veteris Testamenti.* †

VEteris pacti ſcripturam doctores Talmudici in qvatuor ſectiones, qvæ hodie in Bibliis hebræis exſtant, diſtribuerunt. Prima ſectio ab illis vocatur תורה *thorah* lex; cui per appendicem annexi ſunt libri feſtivitatum: Canticum, Coheleth, Lamentationes, Ruth & Eſther. Secundâ & tertiâ ſectione continentur Prophetæ נביאים *Nebiim* & ſecundâ qvidem ſectione ראשונים *Riſchonim*, priores: tertiâ autem אחרונים *acharonim* poſteriores: Qvartâ parte comprehenſi, ſunt libri כתובים *cethubim* ſcripti ſive ἁγιόγραφοι. Sed hæc qvadripartita ſectio laborat ἀλληλεχίᾳ, cui dolus etiam admixtus eſſe videtur. Nam genus eſt poſitum pro ſpecie. Omnes enim ſacri libri canonici ſunt Cethubim, ſcripti ſive ἁγιόγραφοι tam à ſanctis amanuenſibus ſeu auctoribus ſcripti, qvàm

† Lege B. D. Glaſſ. χριστολογ. David. p. 204. edit. noſtræ Lugdun. Batav. CIↃ. IↃCC. Cl. Leuſden. Philolog. Hebr. Diſſert. II. Sect. I. §. IV. p. m. 15. ſ. B. D. Michaël. Walther. in Officin. Bibl. Repoſitor. prior. Thec. III. Arcul. V. §. 286. p. m. 233. ſ. Buxtorf. Comment. Maſoreth. c. XI. p. 99. Iſaaci Abarbinelis Hiſpani Diſſertationem de librorum Biblicorum diviſione habes in fine Diſſertationum Philologico-Theologicar. Joh. Buxtorfii, p. m. 496. ſ. edit. Baſil. 1662. in 4to.

qvàm ab ipso sanctissimo Deo dictati. Habent igitur omnes libri sacri hunc communem titulum qvòd divinâ auctoritate sint Cethubhim scripti & in literas redacti. Dolus cum imperitia hic subesse videtur: qvòd Danielem è numero Prophetarum exemerint & libros Chronicorum ab historicis separaverint. Si enim Josuæ & Judicum librum dignati sunt nomine Prophetarum (qvi sunt puri historici) non incommodè eò qvoqve דברי הימים *Dibre haijamim res temporum* seu Paralipomena referri potuissent, Psalteriô, Proverbiis & Jobô in partem Odarum relatis. Christus interdum διχοτομίαν librorum Veteris Testamenti agnoscit Matth. v. 12. c. xi. 13. & c. xxii. 40. aliqvando probat τειχοτομίαν Luc. xxiv. 44. Redibit autem τειχοτομία hæc, ad bimembrem sectionem, si Psalmi ad Prophetas referantur. Etenim omnes libri sacri sunt historici aut didactici, qvorum illi narrationes de rebus gestis contexunt: Hi præcepta docent. Lex enim Mosis agenda vel non-agenda notat. Libri Historici πρᾶξιν agendorum vel non-agendorum ostendunt, continent enim exempla virtutum & vitiorum. Ad Legem rectè omnia præcepta sive doctrinæ referuntur: Ideo libri nonnulli qvartæ sectionis pertinebunt vel ad legem: vel ad πρᾶξιν legis. Ad partem vaticinantem pertinent Psalmi: ad docentem autem referuntur Proverbia & Job. Ad πρᾶξιν legis pertinent Esdras, Nehemias, res temporum sive Chronica.

Caput VI.

De Legis Mosaicæ divisione.

PArti primæ תורה *thorah*, qvæ complectitur Ecclesiastica & politica statuta, Israëlitis à Deo præscripta, titulus præfigitur ejusmodi: חמשה חומשי תורה *Chamischah Chumsche thorah, qvinqve qvinqverniones legis* sive *qvinqve partita lex Mosis*, † qvæ libris qvinqve חומשים *chumschim* comprehensa est. Unâ voce tota lex Mosis dicitur חומש *chumasch, qvinqvernio.* Græcis vocatur πεντάτευχος qvintuplex Mosis volumen, à πέντε חמשה *chamischah*, τεῦχος volumen. Ideo illæ qvinqve partes constituunt חומש *chumasch*, volumen qvinqve partitum. Universa námqve lex Mosis distincta est in qvinqve ספרים *Sepharim*, libros, qvorum singuli nominantur à prima vel alia primi versus dictione. *

Proinde primus legis liber nominatur בראשית *bereschith*, à voce initiali.

Secundus dicitur à secunda initiali voce שמות *Schemoth*, nomina.

† De qvibus loqvi Apostolum 1. Cor. XIV. 19. docet S. Hieronymus, in ad Paulinum Epistola, ἀλλ' ἐν Ἐκκλησίᾳ θέλω πέντε λόγους διὰ τοῦ νοός μου λαλῆσαι· i. e. *sed in Ecclesia volo qvinqve verba sensu* meô loqvi *&c. Huc usqve Moyses, huc usqve Pentateuchus* ait S. Hieronymus, *qvibus qvinqve verbis loqvi se velle Apostolus in Ecclesia gloriatur.* Confer Joseph. Voisin de Lege div. c. XXV. p. 370. s. edit. Paris. M. DC. L. in 8t.

* Vide R. Mosen in Tract. de Libro Legis c. VIII. apud Joseph. de Voisin, loc. cit.

Tertius liber ויקרא, *Vajikra*, & vocavit à prima dictione.

Qvartus במדבר *Bamidbar*, in deserto, similiter à primâ dictione versus.

Qvintus deniqve legis liber à secunda primi versus dictione הדברים, *haddebarim*, Verba.

Omnes horum librorum appellationes in frontispicio cujusqve libri sine punctis scribuntur in codice Hebræo, additâ voce ספר *sepher*. E regione in altera pagella conspicitur nomen sidræ. Sicut autem appellationes librorum Hebræis à vocibus: sic Græcis à rebus petitæ sunt, ut appellatione suâ docerent Lectorem, de qva re in isto libro præcipuè agatur. Primus enim ortum mundi & familiarum generationem exponit, ideò γένεσις sive generatio vocatur. Secundus narrat populi Judaici ex Ægypto egressum, ideò appellatur ἔξοδος egressio. Tertius Leges & statuta sacerdotibus ac Levitis præscripta exponit, ideò dicitur Leviticus, qvòd propriè Levitarum ritus describat. Qvartus Israëlitarum egressorum ex Ægypto variam peregrinationem per 40. annos in deserto Arabiæ habitam mansiones & res gestas à Judæis præclarè numerat: Ideò ἀριθμοὶ hic liber Numerorum dicitur. Qvintus cùm συντομὴν & ἀνακεφαλαίωσιν qvamdam legum & decretorum Dei præcedentibus libris sparsim indicatorum compendiosè exhibeat, ideo vocatur δευτερονόμιον, hoc est, repetita lex, aut digesta juris Israëlitici.

CA-

Caput VII.

De Librorum Legis subdivisione per פרקים Perakim, *seu* סימנים Simanim.

LIbros Legis duplici ratione distinctos cernimus: capitibus & qvibusdam aliis distinctionibus. Rationem distingvendi per capita, † qvæ vo-

† De distinctione Bibliorum in capita & versus cum cura egerunt Henr. Stephani in Præfatione Novi Testam. Græci, editi annô M. D. LXXVI. in 12. B. Glassius, 1. Philolog. Tract. IV. Sect. 11. Obs. VII. p. m. 239. s. & in Mantissâ, p. m. 1484. s. B. Dorsch. in Differtat. de recta Studii Theologici conformatione, præfixa parti 1. Theolog. Zacharian. p. m. 25. qvi numerus à manu mea est. B. Walther. nostri Fabricii vestigia legens, in Officina Bibl. Reposit. priore, Arcul. II. Thecâ III. §. 291. p. m. 240. s. D. Brochmand. in Prolegom. in Epist. Jacobi Sect. III. p. m. 6. s. edit. Francof. M. DC. LVIII. in fol. B. Winstrup. in Prolegom. in Matth. p. m. 7. 8. edit. Londin. Scanor. M. DC. LXVI. in fol. B. Joh. Henr. Ursin. volum. II. Analect. sacror. lib. IV. c. X. p. m. 231. s. edit. Francof. M. DC. LXIX. in 8t. B. Calov. Tom. I. System. p. 516. ubi hunc nostrum Fabricium laudat. Joh. Crojus in Observation. in N. T. à c. I. -- usqve ad IX. Buxtorf. in Tiberiade, c. XI. p. m. 106. Joh. Henr. Hötting. in Thesaur. lib. I. c. II. Sect. III. §. V. p. 99. Sect. V. p. m. 221. s. Joseph. de Voisin de lege c. XXVI. p. 372. s. 382. 385. s. Joh. Leusden. Philolog. Hebr. Differt. III. p. m. 22. s. Alexand. Morus in Axiomatib. Theologic. notis ejus ad qvædam loca Novi Fœderis subjunctis, Axiom. II. p. m. 423. s. edit. opt. Salmuriens. M. DC. LXXVII. in 4to.

cantur Hebræis פרקי Pirke à Christianis Judæis adinventam fuisse, nonnulli arbitrantur, qvi conversi ad Christum imitatione Græcorum τμημάτων, sectionum seu distinctionum, etiam textibus V. T. similes adjecerunt. Qvi ita statuunt, hoc habent argumenti, qvòd neqve ab Apostolis ex Veteri Testamento in testimoniis citatis, ulla capitum facta mentio fuerit, neqve à Rabinis textum aliqvem allegantibus. Qvalis per capita distinctio neqve in N. T. ab initio exstitit. Ideo à doctoribus, qvi proximiores fuêre temporibus Apostolorum (Justino, Ignatio, Irenæo, Nazianzeno) allegantibus aliqvod ex N. T. testimonium, nullam capitis, sed solùm totius libri faciunt mentionem, ad Bernhardi usqve tempora. Nam distinctio textuum per capita primum evulsit circa annum 1220. ut annotavit Balæus, cent. III. c. LXXXVII. Centur. Magd. columnâ 687. & 1114.

Distinctio autem textuum Hebræorum per capita non est satis accurata: Videmus enim materias cohærentes, sæpe fuisse divulsas: non cohærentes autem conjunctas. Debent enim sectiones textuum fieri in medio diversarum materiarum, ut homogenea cogantur sub unam distinctionem: Heterogenea verò ad alias distinctiones referantur. Qvod animadvertens Lutherus alicubi non seqvitur capitum distinctionem; sed materias cohærentes conjungit: non cohærentes separat. Ideo ex c. LII. Esa. tres ultimos versiculos cum LIII. conjunxit, qvòd sermo de Christo patiente non LIII. c. sed in fine capitis præcedentis incipiat. Eadem per capita distinctio textibus N. T. addita sæpe materias confun-

fundit aut divellit. Potior igitur eſt ὁμογένεια aut ἑτερογένεια materiarum, qvàm ſectio per capita. Vocant autem Hebræi caput interdum פרק *Perek* interdum סימן *Siman*, ſignum, à verbo נסמן *niſman*, ſignatum aut determinatum eſt, qvo textus diſtingvuntur veluti notis ac columnis qvibuſdam. Vetuſtior autem apparet diſtinctio in capita in textibus Hebræis, qvàm in vulgata Hieronymi. Nam interpretum Vet. T. diſtinctio ab Hebræa diſtinctione rarò recedit: Hieronymi verò ſæpè variat; ut in Malachia tria tantùm ſunt capita juxta Hebræorum diſtinctionem: in vulgata autem ſunt qvatuor: poſterius enim caput Hebræum fuit diſcerptum in duo. Diſtinxerunt igitur Hebræi Chriſtiani libros ſacros certis ſectionibus ſeu capitibus, qvorum notas numerales literas Alphabeti ad marginem textus collocårunt, ut א primum libri caput. ב ſecundum, ג tertium. כ 20. כה 25. ל 30. deſignet. Rurſus ſingula capita diſtinxerunt certis חומשים *chumaſchim*, qvintariis ſeu qvinqve diſtinctis commatibus. Supervacaneum námqve eſſe duxerunt, ſingulos Peſukim ex textu notare & diſtingvere numerô: id enim in textu per Paſuk factum eſt. Ideo comprehenſos qvinqve verſus numerali literâ exhibent, ita ut ſub א qvinqve verſus, ſub ה totidem coëant. In notandis námqve qvintariis non omnes literæ Alphabeti adhibentur: ſed ſolùm א ה, י, ו, ט, כ, ה, כ, ל א. igitur notabit initium primi qvintarii ה ſecundi, י tertii ſeu verſum decimum, טו 15. כ 20 כה 25. ל 30. Veniunt ergo in unum qvintarium qvinqve פסוקים, *peſukim*, ſive Tmemata aut periodi. Nomen acceperunt à Chaldæo פסק *peſack* cellare

 qvod,

qvod ſententiam plenô Spiritu abſolutam, ſignificat. Hinc orta origo diſtingvendi per verſus, tot in capite aliqvo ſunt verſus, qvot Paſuk. Singulæ enim abſolutæ ſententiæ ſeu Paſuk notatæ fuerunt accentu diſtinctivô Silluk, cum Sophpaſuk. Hanc qvinqvertionis diſtinctionem, craſſiùs imitata fuit Latina verſio vulgata, qvæ ſuis veluti Paragraphis per literas Alphabeti capita diſtinxit A. B. C. D. E. F. G. qvæ in margine capitum aſſcriptæ cernuntur. Venerunt autem ſub hanc paragraphicam diſtinctionem ſæpè plures Peſukim, qvàm qvinqve. Sic caput Geneſ. Hebræum 1. conſtat verſibus 31. apud Latinos autem qvatuor diſtinctionibus Paragraphicis fuit comprehenſum A. B. C. D. qvippe decem verſus literæ A. ſeptem B novem C. qvinqve D. aſſignatos videmus. Hanc Paragraphicam diſtingvendi rationem in vulgata uſurpatam, Lutherus, † accuratiore ſtudiô longè ſuperavit, cûm initium capitis maximâ; partium autem homogenearum cohærentium magnis ab initio Paragraphicis literis notavit, qvod in Wittebergenſe editione accuratè obſervatum fuit: alibi autem impreſſa Bibliorum exemplaria hoc artificium certiſſimum non habent, impreſſoribus vel ex ignorantia vel ſupercilio illud negligentibus. Poſſunt enim iſtæ Lutheri Paragraphicæ diſtinctiones perpetuæ eſſe diſpoſitiones textuum cuivis lectori obviæ & concionatori alias diſpoſitiones textuum ad manus non habenti.

† Vide omnino B. Walther. in Officina Biblic. Repoſitor. prior. Thec. 111. Arculâ 11. §. 292. p. m. 243. ſ.

habenti. Capita enim ſingula Lutherus diviſit in Paragraphos majores & minores: ſic caput 1. Geneſ. in 7. c. II. in 5. c. III. in 7. c. IV. in 6. majores paragraphos diſtinxit, diversáſqve res à diverſis probè ſeparavit, materiâ homogeneâ in unam Paragraphicam diſtinctionem coactâ: Heterogeneâ in aliam ſectionem reſervatâ.

Caput VIII.

De Legis Moſaicæ diſtinctione per פרשה paraſchas.

LEx tota Moſis comprehenſa eſt 187. capitibus. Nam liber primus 50. ſecundus 40. tertius 27. qvartus 36. qvintus 34. complectitur capita. Ideò totius legis verſus ſunt 5840. in Prophetis autem ſunt 9294. In Hagiographicis 864. Et diviſa fuit in ſectiones ſeu partes 54. † qvarum ſingulæ ſunt ſingulorum ſabbatorum lectiones ordinariæ; cúmqve

† Qvia Maſorethæ nonniſi x. Paraſchas numerant in Deuteronomio, qvod etiam è Majemonide conſtat in fine Tractatus de Ordine precum totius anni, prætermittente Paraſcham nonam וילך *Vaijelech*, *& venit Moſes.* Deut. XXXI. 1. aliqvi nonniſi LIII. numerant Paraſchas, qvomodo & Elias numerat, viſus Joh. Buxtorfio in p. m. 282. libri de Abbreviaturis Hebraic. Sectionem ultimam libri Geneſeos excludere. Si verò pro ſeparata numeretur, ut communiter à Judæis fit, tunc ſunt LIV. & ita vulgò recenſent, ut è Commentariis Rabbinorum in Pentateuchum colligitur. Vide Cl. Dn. Joh. Leuſd. in Philol.

qve 187. cap. in partes 54. redacta fuerint: ideo sectio una Sabbathina plura complectitur capita. Tractatur enim Lex istis sectionibus, ut tota annuatim in synagogis absolvatur. Vocatur autem distinctio seu pars qvælibet sabbathica סדרא *Sidra* ordinaria lectio, à סדר *Seder* ordine: nonnunqvàm verò talis pars פרשה *Parscha* dicitur à פרש *paresch* distinctè interpretatus est, ut parscha sit idem, qvod explicatio distincta & ordinaria, cuilibet sabbatho assignata. Consveverunt enim singulas פרשות *Parschajoth* in initio notare triplicatô פ † vel ס hôc modô: פ פ פ, ס ס ס, qvæ literæ non solùm initium cujúsqve Parschæ seu sidræ denotant; sed simul ostendunt latius spatium inter ipsas *parschajoth*, ubi novæ incipiunt, relinqvendum esse. Ideo per פ etiam פתוחה *phetuchah* apertionem seu initium parschæ indicatum volunt: Literà verò ס סתומה *sethumah*, clausuram seu finem Parschæ. Videatur Weigenmeier in libro Rasche tebhoth. Hanc rationem distingvendi Christiani imitati jam antiqvitus certas περικοπὰς * seu textus Euangelistarum singulis diebus do-

lol. Hebr. Dissert IV. p. 32. s. B. D. Walther. in Officina Bibl. § 290. p. m. 736. s. 522. s. Croj. Observ. c. II. p. 6. 7. s. --15. Joseph de Voisin de Lege c. XXVI. p. m. 372. s. In fine Biblior. Hebræor. Francof. editor. annô CIↃ. IↃC. XCII. in 8t. habetur qvoqve Indiculus Sectionum Legis Hebræis *Parschajoth* dictarum, secundum Ordinem Alphabeti dispositarum.

† Vide rursus Joseph. de Voisin de lege c. XXVII. p. 378. s. & Leusden. cit. loc.

* Istæ qvod nostris in Ecclesiis retinendæ sint, do-

dominicis accommodârunt. Nam Hieronymus juſſu Damaſi Epiſcopi Romani, annô Chriſti 370. ſingulis diebus dominicis, ſingula attribuit Euangelia. Qvod imitatus Paulus Diaconus Aqvilejenſis, Deſiderii regis Longobardi Cancellarius, ubi venit in poteſtatem Caroli Magni, Euangeliis Epiſtolares textus ex Apoſtolorum Epiſtolis, annô Chriſti 770. addidit. Vide Beurhuſium in præfatione analyſeos Euangelicæ. Alii Epiſtolarum

docuerunt B. Frider. Balduinus in p. m. 14. Dedicat. in Hypomnemat. Homil. in Euangelia Dominical. edit. Witteb. 1613. in 8t. B. Balthaſ. Meiſner. in Dedication. Meditation. in Euangelia Dominical. p. m. 4. ſ. edit. Witteberg. 1620. in 8t. & in Collegio Adiaphoriſtic. Diſp. XI. §. LVI. p. m. 215. edit. opt. Witteb. M. DC. LXIII. in 4to. B. Gerhardus in Epiſtol. Dedicator. Explication. Ελεγχτικ. Euangel. Dominical. p. m. 6. ſ. & in initio ipſius libri, p. 1. & in Dedicat. part. 1. Homiliar. Sacrar. p. m. 13. ſ. & in libro ipſo, p. m. 19. ſ. edit. opt. Jenenſ. M. DC. LVI. in 4to; B. D. Daniel Cramerus in Methodo concionandi, ſubjuncta D. Petri Palladii Iſagogæ ad libros Propheticos & Apoſtolicos, p. m. 352. ſ. edit. opt. Roſtoch. M. DC. XXX. in 8t. B. Joh. Henr. Urſinus in p. m. 4. Qvinqvagen Feſtal. edit. Francof. M. DC. LXI. in 4to. D. Paul. Tarnov. de Miniſterio, lib. II. c. IV. p. m. 451. ſ. edit. Roſtoch. M. DC. XXIII. in 8t. Cujus verba uti & Abrah. Taureri repetivit B. Georg. Dedekennus, Volum. 1. Theſauri Conſilior. Theologicor. part. III. lib. 1. Membr. II. Sect. VI. Num. 3. 4. in Adpendic. p. m. 1140. ſ. edit opt. Jenenſ. M. DC. LXXI. in fol. Adde & B. Andr. Keſlerum in Theologia Caſuum Conſcient. laudantem noſtrum Fabricium, c. XIX. p. m.

rum & Euangeliorum Dominicalium ordinationem retulerunt ad Musæum, concionatorem in Marsilia, qvi tempore Leonis primi Papæ annô Christi 441. Euangelicos & Epistolares textus ex integris scriptis excerptos singulis hebdomadibus & festis assignavit, ut refert Gennadius, citante Nigrinô, fol. 167: Non igitur Euangeliorum & Epistolarum ordinatio est impiorum Paparum inventum: sed pientissimorum Episcoporum institutum ad captum auditorum se accommodantium. Ideo non sunt superciliosè & temerè, qvasi ex impio Papatu originem traxerint, abrogandi, cùm ejusmodi certi textus jam in V. T. ex Lege

p. m. 103. s. edit. Wittenb. 1651. in 4to; B. D. Mengeringium in Informatorio Conscientiæ Euangel. p. m. 4. s. edit. Altenb. M. DC. XLVIII. in 4to; B. Brochmand. Tom. II. Systemat. Artic. XVIII. c. X. Sect. V. Q. XV. p. m. 40. s. edit. opt. Ulmens. M. DC. LVIII. in fol. B. Joh. Andr. Qvenstedt in Diatribe Theologica de Sabbato, Sect. IV. Q. IX. Wittenb. habita & edita annô M. DC. LXXII. in 4to; B. Dannhawer. part. I. Lactis Catechet. p. 456. & in Christeid. Actu I. Theatr. I. Phænom. IV. p. m. 193. s. edit. Argentor. M. DC. XLVI. in 4to; & in part. I. Hodomoriæ Spiritus Calvin. Phantasm. VI. p. m. 1250. s. edit. Argentor. M. DC. LIV. in 8t. & Tom. I. Theologiæ Conscientiariæ, part. II. Sect. II. Dialog. III. artic. VII. Q. XV. p. m. 1015. s. edit. opt. Argentor. M. DC. LXXIX. in 4to; ubi addit: *Optanda tamen esset accuratior selectio. Sunt Euangelica nonnulla dulcissima omissa; e. g. Colloqvium Christi cum Samaritana Joh. IV.* (Ego addo Colloqvium cum Maria Magdalena Joh. XX.) *alia nimis freqventata, ea scil. qvæ de miraculis agunt.*

ge Sabbatis attributi fuerint, Ipsæ qvoqve Haphtaroth jam à temporibus Antiochi Sidris adjunctæ fuerunt ex Prophetis. Cùm igitur universa lex Mosis in 54. Sidras dispertita fuerit, factum est, ut unus liber Mosis plures interdum; nonnunqvàm alius pauciores complecteretur Sidras. Nam primus liber habet 12. secundus 11. tertius 10. qvartus similiter 10. Qvintus 11. Sidras. †

No-

† Sunt numerò 54. alii 52. (lege 53.) nempe tot, qvot septimanæ sunt anni, numerant, sed habent duas superfluas: scribit B. Auctor in margine. *Qværitur*, inqvit Cl. Dn. Leusdenius, Dissert. IV. Philologi Hebræi, §. XII. p. m. 36. *Cùm omnes sectiones Pentateuchi ternis literis majusculis* פפפ *vel* ססס *distingvantur: Qvare ultima sectio Geneseos, (qvæ c. XLII. 28. his verbis incipit* ויחי יעקב & vixit Jakob,) *tantùm unicâ minusculâ literâ* ס, *vel in aliis Bibliis tantùm per spatium vacuum sine ulla litera* ס *designetur?* Resp. *Rabbini varias rationes hujus differentiæ solent dare: sed communis opinio, qvæ etiam verisimillima videtur, hæc est: qvia in hac ultima Sectione, scil. in c. XLIX. Geneseos, agitur de tempore adventus Messiæ; qvod tempus ex Judæorum sententia est ignotum. Hinc unicam literam* ס *ante hanc maximam Sectionem posuerunt: qvia voluerunt indicare illud tempus esse ignotum. Nam* ס *est prima litera vocis* סתומה clausa, obsignata: *qvia putant tempus adventus Messiæ esse clausum & obsignatum. Non est verosimile qvòd Esras hujus differentiæ sit causa & primus author: sed procul dubio nasutus & curiosus qvidam Judæus hanc differentiam primus, ob causam dictam, excogitavit.* Hæc ille. Sive verò LIII. sive LIV. numeron-

Nomina verò singularum sidarum indicat ipsa Epigraphe singulorum legis Librorum, qvæ
לוח

rentur, oportet semper in aliqvot Sabbatis duas Paraschas legi; Ut ita anni spatiô universæ legis lectio absolvatur, incipiendo à primo Sabbato post festos Tabernaculorum dies; & desinendo in nonum diem festi Tabernaculorum, vigesimum nempe & tertium lunationis Septembris, qvem ideo vocant שמחת תורה id est, *Festum lætitiæ legis.*

הכנהג הפשוט בכל ישראל שמשלי מין את התורה בשנה אחת מהחילין בשבת שאחר הג הסוכות וקודין בסדר בראשית בשנייה אלה תולדות בשלישית ויאמר ה׳ אל אברם וקוראי׳ והולכין על הסדר הזה עד שגומרין את התור׳ בחג הסוכות ויש מי שמשלי׳ את התורה בשלש שנים ואינו כנהג פשוט

Ait R. Moses Majemonides in *Jad Chasakah*, tract. *De precibus & benedictione Sacerdotum*; c. *XIII.* id est, *Consvetudo est apud omnes Israëlitas communis, atque recepta, ut legem annô absolvant, incipientes à seqventi post festum Tabernaculorum Sabbato. Qvô die legunt sectionem primam Geneseos,* In principio creavit Deus, *&c. Secundò pòst Sabbatô legunt,* Hæ sunt generationes, *&c. Gen. VI. 9. Tertiò deinde;* & dixit Deus ad Abram, &c. *Genes. XII. 1. Hôc ordine deinceps procedunt in lectione legis, donec legem in festo Tabernaculorum absolverint. Sunt qvi legem tribus annis absolvant: Qvæ consvetudo non est communis.* Et paullo post:

לפיכ׳ יש שבתות שקירין שחרית שני סדרין כגון אשה כי תזריע וזאת תהיה תורת המצורע אם בחקותי עם בהר סיני וכיוצא בהן כדי שישלימו בשנה ויקראו אותן הסדרים בעונתן

id est, *Ideo qvibusdam diebus Sabbati duas sectiones mane*

לוח *luach* tabula ſeu index Sidrarum & Haphtharum fini librorum additus, exhibet. * Luach enim ſeu index ille non ſolùm qvot ſint legis ſidræ, & qvæ haphtaræ ſingulis ſidris conjunctæ: ſed & qvæ Haphtharæ feſtis celebrioribus competant, monſtrat. Nam ſingulorum librorum pagellâ dexterâ nomen libri conſpicitur, ut בראשית *bereſchith*: שמות, *ſchemoth*; in ſiniſtro autem folio apparet nomen ſidræ cum literis numeralibus foliorum, ut liber Bereſchith, foliô יח 18. exhibet in ſiniſtra pagella nomen Sidræ ויצא *vaijeze*. Sic fol. 49. exhibetur nomen ſidræ, in libro Schemoth, qvæ dicitur תרומה *therumah*, ſingulæ enim ſidræ

ne legunt, ver. gr. ſect. Levit. XII. 1. Mulier ſi ſuſceptô ſemine, &c. *& ſect. Lev. XIV. 1.* Iſta eſt lex leproſi, &c. *ſect. Levit. XXVI. 3.* Si in ſtatutis meis, &c. *cum ſect. Levit. XXV. 1.* In monte Sinai, &c. *ut annô lex abſolvatur, ſuiſqve temporibus eæ ſectiones legantur.* Atqve ejuſmodi diviſionis Pentateuchi uſum ſecundum Sabbatinas lectiones antiqviſſimum eſſe colligitur ex eo, qvod ſcriptum eſt in Actor. Apoſt. c. XV. 21. *Μωσῆς γὰρ ἐκ γενεῶν ἀρχαίων κατὰ πόλιν τοὺς κηρύσσοντας αὐτὸν ἔχει ἐν ταῖς συναγωγαῖς κατὰ πᾶν σάββατον ἀναγινωσκόμενος.* id eſt: *Moſes enim à temporibus antiqvis habet in ſingulis civitatibus, qui eum prædicent in Synagogis, ubi per omne Sabbatum legitur.*

* Luah Haphtharoth, ſive index Sectionum Prophetarum, Hebræis *Haphtharoth* dictarum, prout illæ per univerſum annum in Synagogis Judaicis prælẹguntur, exſtat in fine, ante Lectiones variantes, Bibliorum Hebraicor. Francof. editor. in 8r. annô M. DC. XCII.

S

ſidræ habent ſua nomina vel ex primo vel ex ſecundo verſu cujúſqve libri. In libro בראשית *bereſchith*, prima ſidra ſeu Parſcha vocatur *Bereſchith*, qvam legunt ſub initium novi anni, qvi incipit in Menſe Septembri. Ibi enim ordiuntur politicum, mundanum ſeu annorum (fortè *novum*) annum. Poſt feſtum igitur Læticiæ magnæ, ut vocant, primam ordiuntur Parſcham, id eſt, incipiunt legem de novo ſeqvente anno tractandam. Secunda Parſcha ſeu ſidra dicitur נח *Noach*, Gen. VI. 9. tertia לך לך *Lech lecha*, abi tibi, c. XII. 1. Qvarta וירא *vaijera*; Et viſus eſt Abrahamo, c. XVIII. 1. qvinta חיי שרה *chaije Sarah*, Vitæ Saræ, c. XXIII. 1. Sexta תולדות *Tholedoth Jitzchak*, Hæ ſunt generationes Iſaaci, c. XXV. 9. Septima ויצא *Vaijetze*, & *egreſſus Jacob*, c. XXVIII. 10. Octava וישלח, *Vajiſchlach*, & miſit, c. XXXII. 3. Nona וישב *Vaijeſchef* & habitavit, c. XXXVII. 1. Decima ויהי מקץ, *vaihi mikketz*, fuitqve in fine annorum c. XLI. 1. Undecima, ויגש *Vajigaſch* & acceſſit ad eum Juda, c. XLIV. 18. Duodecima ויחי, *Vaichi* & vixit Jacob, c. XLVII. 28. In hac Parſcharum diviſione non attenditur capitum diſtinctio, qvia eorum aliqvot continentur complexu unius Sidræ. †

Libri ſecundi שמות, *Schemoth* prima Parſcha dicitur *Veeleh Schemoth*. Exod. I. 1. nomen Parſchæ hic cum libri nomine convenit, ſicut in primo qvoqve libro. Secunda וארא *Vaera*. Et viſus ſum Abrahamo, c. VI. 1. tertia בוא *bo el Pharoh*, venit Mo-

† Similiter Maſorethæ numerant XII. *Paraſchioth* libri Geneſis.

Moses ad Pharoh, c. x. 1. Qvarta בשלח *beschalah*, cùm dimitteret Pharoh populum, c. xIII. 17. Qvinta יתרו Jithro, c. xvIII. 1. Sexta משפטים *Mischpathim*, Hæc sunt judicia, c. xxI. 1. * Septima תרומה *Terumah*, oblatio, c. xxv. 1. Octava תצוה *Tezaveh*, & præcepit, c. xxvII. 20. Nona תשא *Tisa*; & sumes, c. xxx. 11. Decima ויקהל *Vaijakhel*, Et congregavit, c. xxxv. 1. Undecima פקודי *pekude*, numerata tabernacula, c. xxxvIII. 21.

Liber ויקרא *Jikra* Leviticus parschas habet decem, prima, commune nomen habet cum suo libro & dicitur ויקרא *Vajikra*; c. I. 1. Secunda צו *Tsau*, præcipe, c. vI. 1. Tertia שמיני *Schemini*; c. IX. 1. Qvarta תזריע *tasriang*, seminabis, c. xII. 1. Qvinta, מצורע *Mezbrang*, Leprosus, c. xIv. 1. Sexta אחרי מות *acbare moth* postqvàm mortuus est, c. xvI. 1. Septima קדושים *Kedoschim*, Estote sancti; c. xIx. 1. Octava אמור *Emor*; dic ad † Sacerdotes; c. xxI. 1. Nona בהר *behar* in monte, c. xxv. 1. Decima בחקתי *bechukkotai*, in statutis meis ambulate. c. xxvI. 3.

Liber autem מדבר Midbhar Numerorum similiter decem habet Parsas: (1.) Cum libro suo idem habet nomen (2.) נשא *nalo*, accipe, c. Iv. 21. (3.) בהעלתך *behaanglotecha* c. vIII. 2. in elevando te. (4.) שלח *Schelach* mitte exploratores; c. xIII.

* In Philolog. Hebr. Cl. Leusdenii Dissert. Iv. §. xIv. p. m. 37. edit. Ultraj. 1672. vitiò typographicò legitur c. xxIII. 1. pro xxI. 1.

† Ita enim posuimus pro *ad filios Israël*, qvod mendosum erat in auctore nostro.

c. XIII. 3. (5.) קרח *Korach*, contra Mosen assurgens, c. XVI. 1. (6.) חקת *Chukkath*, statutum legis de vacca rufia, c. XIX. 1. (7.) בלק *Balak*, rex Moab, c. XXII. 2. (8.) פינחס *Phinchas* transverberans scortatores, c. XXV. 10. (9.) מטות *Matoth*, tribus, c. XXX. 2. (10.) מסעי *masee* professiones, c. XXXIII. 1.

Liber deniqve Haddebharim sidras habet undecim. (1) cum initio libri sui dicitur, c. I. 1. (2) ואתחנן *veetchanan*, rogavi Deum, c. III. 23. (3) עקב *Ekef* propterea, c. VII. 12. (4) ראה *Reeh*, vide, c. XI. 26. (5) שפטים *schophtim*, judices, c. XVI. 8. (6) תצא *tetze* egredieris, c. XXI. 10. (7) תבוא *Tabo*, venies, c. XXVI. 1. (8) נצבים *Nitzabim*, adstantes, c. XXIX. 10. (9) וילך *Vaijalech* & abiit, c. XXXI. 1. (10.) האזינו *Haasinu* audite cæli & terra, c. XXXII. 1. (11) הברכה *habrachah*, benedictio, c. XXXIII. 1. In hac Parsarum distinctione nulla habetur ratio vel librorum distinctorum Mosis, vel capitum etiam. Nam universa Lex, ac si esset nullis libris nullisqve capitibus distincta, in 54 Parsas seu Sidras distingvitur. Huc referatur לוח tabula seu index haphtararum & sidrarum, in qvo qvæ haphtaræ, qvibus sidris conveniant, in appendice Bibliorum docetur, in qvo ordine nominantur Parschæ & haphtaræ, tam sabbatorum, qvàm præcipuorum festorum, ideo index ille in tres columnas divisus est. Prima columna habet nomina Sidrarum. Secunda habet initia singularum haphtararum: tertia notat Locum Propheticum, & caput, ex qvo singulæ Haphtaræ sunt desumtæ. De hæc re vide infrà, c. XXIV. Distinctio Parscharum Legis est ubiqve

qve gentium apud Judæos eadem. In Haphtharis autem interdum variant secundum nationes. Nam uni Sidræ Hispani olim Judæi aliam Haphtharam, aliam eidem Sidræ Germani Judæi assignârunt.

Parscharum & Sidrarum distinctionem & lectionem perantiqvam esse, ex eo facilè colligitur: (1.) Ex V.T. qvòd Nehem. c. VIII. 9. jubeatur differri luctus in Scenopegiam, ad vigesimum qvartum, toto tempore Scenopegias lecta fuit lex diebus septem v. 18. Fletus dilatus ad 24. diem Mensis 7. ut vigesimus tertius dies, qvi fuit lætitiæ magnæ præteriret. (2) Ex novo Testamento, qvòd Christus & Apostoli dicant Mosen legi singulis sabbatis in Synagogis, Luc. XVI. 29. Actor. XV. 21. Qvæ verba duo suggerunt, I. singulis sabbatis Mosaicæ Legis certam partem, ut in illis tractaretur, deputatam fuisse. Fieri enim non potuit, ut totam Legem uno sabbatô legerent vel confusè hinc inde particulas certas inde decerptas in sabbatis explicarent; sed singula sabbata suas ordinarias & certas lectiones seu portiones Legis habuisse, qvas doctores Hebræi vocant Sidras & Parsas. II. Omnino vero consentaneum est, ejusmodi particularium lectionum certis sabbatis destinatarum jam tempore Christi usum fuisse. Qvod institutum seu qvando legis ordinata sit illa lectio, cognitum non habemus, qvia desunt nobis historiæ, illud tempus notantes, qvò ceperint Parschæ. Olim sine dubio in literas hoc institutum relatum fuit; sed variis mutationibus rerum gestarum libri Judæorum extra sacras literas periêrunt.

CAPUT IX.

De subdivisione Parscharum.

TOT ergo fuerunt Sidræ & Parschæ legales, in qvas universa lex Mosis fuerat secta. Subdividuntur autem singulæ Parschæ in aliqvot portiones, qvarum aliæ in plura, nonnullæ in pauciora membra secantur. In qvibusdam enim parschis notantur septem חלקים *chalakim* qvæ more Synagogæ Judaicæ à diversis personis leguntur. Notantur autem istæ minutiores integrarum Parscharum partes literâ uniformi פ vel ס mediis Parschis inserta, qvorum priore notare volunt פתוחה *petuchah* initium inter alias personas legentes. Per literam autem ס notatur vox סתומה *Setumah* clausula seu finis, ubi persona, qvæ anteà legebat, desinit. Sunt igitur hæ literæ פ & ס similiter initiales, seu Rasche. Primam enim partem cujusqve Sidræ legit sacerdos, qvem כהן *cohen* vocant, qvòd eum arbitrantur de tribu Aharon esse, post illum alius legit ex tribu Levi, post duos hosce legunt alii tirones in lege, non orti de sancta tribu. Literis etenim hisce Rasche פ & ס, hoc officium notatur seu qvalitas textus, nempe per פ Petucha, textum esse apertum & planum, qvi non egeat operosâ explicatione, à פתח *phatach* aperuit seu patens fuit: at litera סתומה *setumah* textum clausum, obscurum; qviqve mysticum in se complectatur sensum, notari. Cúmqve hæ literæ, singulis personis certas portiones legendas, demandent, factum est, ut

ex

ex accidente vim qvamdam diſtinctionis habere animadvertantur: Oportet enim ibi, ubi alia Perſona legere incipit partem Parſchæ, priorem ſententiam abſolvi, ut Deut. v. 20. litera ס inter nonum * & decimum præceptum poſita, alterum præceptum ab altero diſtingvit, ne præcepta illa de una re agere putentur.

CA-

* Utuntur & hoc argumento B. Dietericus in Catecheſi, p. 213. Scheræus in Itinerario in Pſalterium, n. 337. & B. D. Waltherus in Officin. p. m. 238. §. 290. At enim, qvod recte advertit, B. Dn. D. Joh. Adam Oſiander in Typo Legis Moralis, p. m. 223. §. ccxvi. ubi & noſtrum hunc Fabricium adducit, qvis nos certos faciet, notam ס referendam eſſe usqve ad tempora Moſis, & non potius additamentum eſſe Judæorum, qvo cavere voluerint, ne exemplaria aliter ſcriberentur, ſed uniformiter? certè Arias Montanus utrobiqve tàm in Exodo, qvàm in Deuteronomio, removit iſta Samech penitus, qvòd putârit, fuiſſe illa Judæorum propria. Secundò unde conſtat notam ס adhibitam fuiſſe, ut unum præceptum ab altero diſtingveretur, ne de una re agere putarentur? longè alium finem illi tribuunt Hebræorum filii, qvemadmodùm videre eſt, apud Schindlerum in Abbreviaturis, Lexico ſubjunctis, litterâ ס parag. 4. Buxtorf. etiam in Abbreviat. p. 143. & Schickardum de jure Regio, p. 45. Tertiò, ſi ratio hæc vera eſt, interpoſitam litteram ס diſtingvere unum præceptum ab altero, tunc præceptum nonum non erit diſtinctum à Decimo, qvia Exod. xx. 17. in nullo exemplari, ne in eo qvidem, cui Maſoreticæ notæ ſunt additæ, ס inter ix. & x. præceptum conſpicitur interpoſitum, qvod ſanè neqvaqvàm.

CAPUT X.

De Haphtaris † Propheticis, quæ singulis Sidris adjunctæ fuerunt.

UT Christiani textibus Euangelicis, qvos diebus Dominicis tractant, Epistolares lectiones ex Apostolorum Epistolis decerptas adjungunt, qvòd ferè eamdem materiam clariùs & pleniùs illæ exponant: Ita Judæi in Sabbatis suis non solùm Sidras legis legunt & explicant; sed per intervallum aliqvod horarum textum aliqvem Propheticum sidræ homogeneum adjungunt & interpretantur. Hunc ex Prophetis assumtum textum vocant הפטרה *haphtarah* cessationem seu dimissionem, à verbo פטר *patar* cessavit, qvòd hâc parte textus prophetici absolutâ, cœtui liceat domum redire. Ut Sidra Bereschith habet suam haphtaram ex Esa. XLII. 6. cujus initium est: sic Dixit Deus Jehova:' finis v. 10. c. XLIII. Initium haphtaræ hâc scriptione ad marginem in textibus Propheticis notatur הפטרת בר בראשית. Dum verò nomen habet haphtaræ jungitur suæ Sidræ, & semper ponitur in forma regiminis, qvâ transit ה in ת, ut dicatur הפטרת *haphtarath*. Usus * sidrarum mul-

qvàm, alicubi saltem, intermitti debuisset, si hæc litera tam necessariam efficeret Præceptorum distinctionem. Adde Cl. Joh. Leusden. Philolog. Hebr. Dissert. IV. §. VI. p. m. 34.

† Lege de his B. D. Walther. in Officin. Bibl. Reposit. prior. p. 239. & in Harmon. p. m. 927.

* Videndus omnino Cl. Dn. Joh. Leusden. in Philol. Hebr.

multò antiqvior est institutô Haphtararum. Qvamvis ipsæ Haphtaræ longè ante Nativitatem Christi cœperint. Ita enim Haphtararum ortus narratur. Cùm in Antiochi, Regis Græcorum, potestatem venissent Judæi, ille tyrannidem in populum sanctum exercens, edictô vetuit, ne legem Mosis publicè in Synagogis legerent sub pœna amittendæ vitæ. Ne igitur Judæi omnino carerent sacrâ lectione, legebant capitula qvædam deprompta ex Prophetis. Ita factum est, ut cessante Tyrannide Antiochi, & recuperatâ potestate legendi Mosen, manserit conjuncta lectio Haphtararum cum Sidris. Ad hunc modum narrat Elias Levita in Lexico, qvod inde transtulit Syro-Chaldaicum Lexicon in opere Magno Bibliorum Antverp. in radice פטר. Narrationi huic fidem facit liber primus Maccabæorum c. 1. 59. Ubi non solùm Lege Judæis interdictum: sed etiam, qvi illi favissent, aut apud qvos saltem liber Domini reperiebatur, ille morte multabatur. Et qvia feriæ Judæorum sunt duplices, Sabbathicæ & festorum: ideo utrisqve Haphtaræ sunt accommodatæ. Habent enim Sidræ Mosaicæ suas haphtaras: sic feriæ aliæ itidem suas. Festis enim Judæorum, nulla pars legis adjudicata fuit; nihil enim Legis Mosis Judæorum in festivitatibus legitur. Ideo festa habent lectiones ex solis Prophetis desumtas. Qvæ verò haphtaræ singulis festis conveniant, monstrat index seu לוח *Luach* Bibliis annexus, qvi primò ostendit, qvæ Haph-

Hebr. Differt. IV. p. 40. §. XXII. & in Præfat. qvam Bibliis Hebraic. annô clↄ. Iↄc. LXVII. præposuit.

taræ singulis Sidris competant. Deinde in altera parte, qvæ Haphtaræ singulis חגים *chaggim* festis applicatæ fuerint. Festa Judæorum, ut infrà pluribus dicetur, sunt partim רגלים *regalim* præcipua & insigniora tria: Pesach, Schebuoth, & Succhoth. Alia sunt מועדים *moadim* stata & fixa, tam in Lege Mosis præcepta, quàm bonâ intentione Judæorum introducta. Differunt autem Haphtaræ. Nam aliis Sidris in lege duæ sunt assignatæ Haphtaræ, secundùm diversum מנהג *mingah* ritum & consvetudinem Judæorum in diversis regionibus viventium. Variant enim interdum in Haphtaris applicandis Sidræ vel festivitatibus aliis Judæi הספרדים *Haspardim* Hispani, & Judæi degentes in Germania האשכנזים *Haaschkenasim* Germani: ut septimæ Parschæ Mosaicæ ויצא *vaijeze* secundum Hispanos attribuitur Haphtara, desumta ex בת״ע (integræ dictiones sunt בתרי עשר *betere Asar* duodecim Prophetæ) C. xi. Hoseæ. Judæi autem in Germania eidem Sidræ assignant Haphtaram ex c. xii. Hos. fugit à Jacob. Ut autem certiùs sciantur omnes festorum & Sabbatorum Haphtaræ, לוח *luach* seu index capitum (fini bibliorum annexus) consideretur. Divisus is apparet in 4. columnas, qvarum primâ nomina Sidrarum ponuntur. Et qvia qvælibet Sidra reqvirit suam Haphtaram, ideo in secunda columna initium Haphtaræ cujuslibet, qvomodò incipiant singulæ exponuntur. Ordine námqve decurrente principia Haphtararum in hac columna notantur. In tertia columna illorum librorum, ex qvibus Haphtaræ desumtæ sunt nomina auctorum & capita indicantur. In qvarta deniqve

qve variatio Hapht. indicatur secundum doctores Hispanos & Germanos Judæos. Finem cujusqve Haphtaræ notant in marginibus textuum sacrorum hisce literis Rasche כ״ע, qvæ sunt integrarum particularum initiales עד כן *ad cen*; hucusqve nempe legenda est haphtara, ut Sidræ Bereschith reperitur Haphtara in סימן c. Esa. XLII. ubi Haphtara inceperat, v. 5. ad marginem locatis hisce הפטרת בראשית id est, Haphtarath Bereschith, ad v. 21. hisce literis positis כ״ע hucúsqve porrigi hanc Haphtaram. Idem judicium de initio est & fine reliqvarum omnium Haphtararum; De his omnibus fusiùs dicetur infrà c. XXIV.

CAPUT XI.

De Ordine † Librorum V. Testamenti.

Singulos libros V. T. in specie consideraturis, opus est, scire in genere ordinem seu consecutionem librorum in V. T. Si enim ordo librorum sacrorum in Hebræo Codice cum Latini exemplaris ordine conferatur, aliqvando ingens discrepantia animadvertitur, qvæ ut dexteriùs judicetur, hic in Latina Pagnini versione librorum est ordo: Mosis libri: Josuæ Judic. Ruth, 2. Sam. 2. Reg. 2. Chron, 1. Esdr. 1. Neh. Psal. Prov. Eccles. Cant. Esa. Jer. cum Thren. Ezech. Dan. & XII. minores Prophetæ. Atqve hi tantùm sunt Ca-

† Lege Jo. Henr. Höttinger. II. Thesauri Philolog. Sect. 1. p. m. 454. s.

Canonici: reliqvi sparsim hinc inde inserti videlicet Esdræ tertius & qvartus, Tobias, Judith, Sapientia, Ecclesiasticus, Baruch & tres Maccabæorum sunt Apocryphi.

Ordo verò librorum Canonicorum in Hebræo codice hic est: In prima parte sunt qvinqve Mosis, cum appendice librorum festualium: Cantici, Ruth, Threnorum, Ecclesiastes, & volumen Esther. In secunda sectione sunt Josua, Judicum, duo Samuelis, & totidem Regum. In tertia sectione sunt majores & minores Prophetæ. Majores qvidem sic dicti, qvòd conciones & Prophetiæ eorum, pleniore volumine contineantur. Minores autem qvòd eorum scripta sint contractiora breviora, & ceteris minora. Sic sub titulum majorum Prophetarum veniunt: Esaias, Jeremias, Ezechiel. Sub minorum autem duodecim illi minores Prophetæ, qvorum primus est Hoseas, Joël, &c. Thalmudici Danielem numerô majorum Prophetarum * exemerunt. Qvartâ igitur sectione hi libri sacri exhibentur: Psalterium, Proverbia, Job, Daniel, Esdras, Nehemias & duo Chronicorum. In hac librorum sacrorum collocatione apparet discrepantia, & qvædam convenientia, si omnes intuemur versiones.

Primæ sectioni libelli festuales adhærebant. Nam Judæi Canticum Canticorum legunt in festo Pesach (14. Aprilis.) In festo autem Schebuoth seu hebdomadum, seu Pentecostes, in qvibus finita

* At tu vide B. nostrum D. Joh. Müllerum in Prolegomen. Judaism. c. 11. p. m. 19. f.

nita fuit messis, legitur libellus Ruth. Ecclesiastes autem legitur in festo Tabernaculorum. Reliqvi in aliis feriis, Threni Abh seu 9. Julii, qvô templum primum & secundum exustum fuit. Esther verò in diebus sortium פורים *Purim*, † 14. & 15. Adar seu Febr. ad recolendam memoriam mirandæ Dei liberationis, qvam Deus Judæis tempore Ahasveri seu Xerxis, Hamane contra Judæos sæviente, præstitit. Nunc ordine singulos libros sacros per omnes sectiones considerabimus, expensis eorum nominibus, numerô capitum & materiâ contentâ. Post Mosis ergo qvinqve libros, qvorum nomina supra fuerunt indicata. In consideratione Sidrarum, in prima sectione primò offertur Canticum Canticorum.

† *Videtur* פור pur *sors esse*, *Persarum vox Hebraicè* גורל goral *dicitur*, scribit in margine B. Auctor.

De Cantico Canticorum.

Hebræi hanc inscriptionem præfigunt huic scripto ex primo Cantici versu שיר השירים *schir haschirim*, qvod est, Canticum Canticorum, seu præstantissimum, nobilissimum, aut regium inter omnia Cantica. Ita námqve solent Hebræi superlativum exprimere gradum, junctis duobus nominibus ejusdem originis, alterum in singulari, alterum in plurali numero formantes. Dictum ita fuit hoc Canticum per comparationem cum aliis Canticis Salomonis, qvi CIↃ. & V. * Cantica concinnâsse scribitur, 1. Reg. IV. 32. Inter ista Cantica, hoc unum dignum fuit judicatum Canone:

* Vitiô typographicô erant in nostro auctore 104.

none: ideò ſolum hoc ſacro Codici aſſociatum, & ad noſtra uſqve tempora conſervatum fuit. De hujus auctoritate & Canone nunqvàm Hebræi dubitârunt. Deſcribitur hôc Canticô ardentiſſimus affectus Regis erga Politiam, & contra: vel populi Judaici erga Deum, ut vult graviſſima ſententia Lutheri ſuper hoc Canticum. † Non eſt nuptiale carmen compoſitum vel in honorem filiæ Regis Ægypti, qvam Salomon in uxorem duxit; vel in honorem Hieroſolymitanæ שולמית *ſchulamith.* Ideo non decantantur hôc vagi & fœdi amores amatorum. Genus autem totum dicendi Allegoricum eſt, qvò aliud dicitur, aliud intelligitur. Propter occultiores igitur & myſticas res, qvæ hoc in Cantico ſermone allegoricô tractantur, ſemper magnum habitum fuit. Dicitur Doctoribus Hebræis hoc Canticum ſanctuarium ſeu ſanctitas ſanctitatum, id eſt, ſanctiſſimum & plenum myſterii carmen. Ideò propter rerum profunditatem, hôc carmine contentarum, interdicitur Lectio Juvenibus apud Judæos uſqve ad 30. ætatis annum, qvod notavit Origenes in præf. Cantici, & Hieronym. in præfat. in Ezech. Qvod interdictum ſimiliter de primo capite Geneſ. & Ezechielis tam primo qvàm qvarto c. intellectum volunt. Hieronymus primus putavit myſticè deſcribi hôc Canticô amorem inter Chriſtum & Eccleſiam, hujus ſententiam multi ſecuti, qvamvis applicationes multis in locis non conveniant. Abſolvitur autem hoc Canticum VIII. capitibus in qvibus per-

† Idem tamen B. Luth. tom. IV. oper. Lat. Witt. fol. 49. ubi de ſenſu literali agit myſticum de Chriſto non negat.

permutatis perpetuis dialogismis interlocutionum sponsi & sponsæ oratio decurrit.

De RUTH.

Ruth historia nomen accepit à Ruth, femina Moabitica, ortâ ex posteritate filiarum Loth. Hæc in terra Moab nupserat alteri filio Noëmi illius decantatissimæ matronæ. Vixit autem Ruth temporibus Judicum; ut ex initio historiæ Ruth adparet. Postqvàm Ruth cum Noëmi in Israëliticam terram venisset; nupsit Boazo consangvineo Elimelech, factáqve ita est proavia Davidis, ut c. IV. 21. narratur. Absolvitur historia IV. capitibus.

De THRENIS.

Θρήνας, Lamentationes, à θρηνέω dictas Græcis: Hebræi à prima voce lamentationum harum איכה *Echah* vocant. A reipsa appellant קינות † *kinoth* lamenta, à קינה *kinah*, qvod est à קון *kon*, angi, lamentari. Nomen Jeremiæ hisce lamentationibus non præfigitur. Communis autem sententia est, hosce Threnos esse Jeremiæ Prophetæ, qvia lacrymarum suarum propter desolatam Jerusalem facit mentionem c. XIII. 17. & XIV. 17. Interpretes hisce threnis paragraphum præfixerunt, qvô narratur Jeremias desolatâ urbe, & abductô populô stetisse in loco urbis de-

† è 2 Paral. XXXV. 25.

solatæ. Sed Paragraphus hic non eſt in Hebræo. Conſtat hic libellus capitibus v. qvæ magnâ diligentiâ compoſita ſunt, ordine Alphabeti Hebræi ſervatô. Nam in I. II. & IV. capitib. ſinguli verſus à ſingulis Alphabeti literis incipiunt. In tertio autem capite ſervatô ternariô numerô à ſingulis Alphabeti literis tres inchoantur verſus. Solum qvintum caput eſt ἀναλφάβητον ordini Alphabetico non alligatum. Ordinem hunc Alphabeticum etiam Pſalmi aliqvot habent, à qvibus hoc artificium tranſlatum, & Salomon obſervavit c. XXXI. Proverb. ubi frugi matrem familias dignam cenſet Encomiô Alphabeticô.

De ECCLESIASTE.

Eccleſiaſten Hebræi vocant קהלת *koheleth*, Concionatorem, qvòd hic liber in publicis Judæorum panegyribus & comitiis fuerit lectus. Dictus autem fuit Salomon filius Davidis, קהלת *koheleth*, Eccleſ. I. 1. qvòd hoc panegyricum ſcriptum compoſuerit & cœtui Judæorum exhibuerit. Scriptum autem hoc Salomon, poſt graviſſimum ſuum lapſum, ad meliorem mentem reverſus, compoſuit: in qvo omne, qvod ſplendorem aliqvem in mundo habere videtur, cuiſqve homines impensè ſtudent, ſummæ arguit vanitatis. De omnibus enim partibus, in qvibus homines ſummum bonum collocant; ait: *Vanitas Vanitatum*, &c. Solum timorem Dei omnibus rebus præferendum, & in hoc ſummum bonum collocandum eſſe c. ult. expreſſè docet: *Deum time, & mandata ejus cuſtodi. In hoc omnis*

homo

homo esto. Cùm igitur hic liber summum Dei timorem spiret, & compositus post juveniles Salomonis illecebras, vero omnino consentaneum est, non solùm in senectute Salomonem hunc librum scripsisse; sed etiam ipsum tandem salvatum fuisse. † Correptus enim paterná seu humanâ saltem & temporali virgâ fuit, non æternâ, 2 Sam. VII. 14. 1. Reg. XI. 9. Et ut inter typum & Antitypum Christum maneret certitudo, ideo in ejus pietate finali adeò nihil desideratum fuit, ut Juda in Salomonis laudato exemplo ambulâsse celebretur 2. Paral. XI. 17. Scriptum hoc continetur XII. capitib.

† Prodiit de salute Regis Salomonis Disputatio M. Joh. Petersenii Tithmarsi sub Præsidio B. Christiani Chemnitii Jenæ M. DC. LV. & M. DC. LXVI. in 4to, qvam in Fascibus nostris, si DEUS volet, videbis.

De Libro E S T H E R.

Historia Esther præfixum habet hunc titulum מגילת אסתר *megillath Esther* volumen Estheræ. Virgo fuit Judaica, cujus parentes in Babylonicam Captivitatem ducti sub Nebucadnezar fuerant. Hæc à parentibus vocata fuit הדסה *Hadassah* Esth. II. 7. Forsan ab הדס *hadas* myrto. Evocata ad dignitatem regiam fuit appellata Esther Persicô nomine; qvia in aula Persica hoc nominis sortita fuit. Nam Persis סתר *Seter*, est astrum, hinc Esther fulgida & clara illa stella (*Die Schönste*) Videatur Scaliger ad Eusebium, f. 15. Historia

hæc mirabilem vultum Ecclesiæ Dei sub Persica captivitate pingit, in qva Dæmon ille aulicus Haman consiliarius intimus Ahasveri seu Xerxis Regis, propter unum Mardocheum, qvi nolebat Hamanem incurvationis honore proseqvi, totam Judæorum gentem per 127. Persarum regna dissipatam, unô dîe extinctam volebat. Sed mirabiliter à Deo res disponuntur, ut Haman, suspenderetur, & populo Dei non solùm respiratio in malis; sed etiam ultio de inimicis ipsorum concederetur, qvi 75000. hostium necâsse narrantur c. IX. 16. Historia in Hebræo textu habet X. capita; reliqva sunt assuta & Apocrypha.

Collatio horum librorum festualium respectu temporis.

Qvinqve libri, thoræ Mosaicæ annexi, scripti sunt diversis temporibus: Antiqvissimus horum est liber Ruth, qvi historiam narrat sub judicibus gestam. Hunc post longum intervallum seqvitur Canticum & Ecclesiastes. Threni verò scripti videntur sub finem vastatæ urbis per Nebucadnezarem, & populi in captivitatem abducti. Esther verò historia contigit finitâ captivitate, qvia annô Ahasveri seu Xerxis 7. Esther fit regina. Esth. II. 17. Ubi Xerxes ex Græcia rediit. Ante expeditionem in Græciam convocatis Satrapibus convivium ingens fecit, qvô tempore deliberatum fuit de bello suscipiendo adversùs Græcos. Videatur Scalig. de Emend. temp. fol. 559.

CA-

Caput XII.

De Prophetis in genere.

HUcusqve prima voluminis Hebræi sectio complexa fuit legem cum qvinqve libellis: seqvitur sectio secunda, in qva exhibentur Prophetæ priores. Prophetas Græcâ voce à προφημι, qvòd rem, anteqvàm eveniat, narrent, seu à προφατεύω dictos esse, manifestum est, unde etiam προφητεία, qvòd futura denunciet. Prophetæ vox sonat Latinè prænunciatores, qvi res admirandas, anteqvàm evenirent, ex divina revelatione videbant: ideò primis temporibus dicti fuerunt ראים *Roim*, visores, 1. Samuel. IX. 9. qvæsituri enim ex Deo aliqvid, dicebant לכו ונלכה עד הראה id est, *agite, eamus ad videntem*. Sic dicti à ראה *raah*, aliqvid videre vel naturali vi, vel ex singulari Dei revelatione. Successu temporis Prophetæ dicti sunt נביאים *Nebiim*, vates seu vaticinantes à נבא *nibba*, futura prædixit, qvòd futura prædicerent Prophetæ. Contingebat autem illis divina revelatio interdum immediatè, nonnunqvàm mediatè. Immediatè qvidem ipsis tale qvid non cogitantibus. Distingvunt autem Hebræi inter Prophetiam * & Spiritum S. Spiritum S. vocant, qvando

* Adducit & explicat hæc Fabricii verba B. D. Calovius, Tractat. 1. Isagog. Theologic. c. v. §. 1. p. m. 95. s. edit. Witteberg. clↃ. IↃc. LXV. in 8t. & Tom. 1. Systemat. c. III. Sect. 1. p. m. 286. s.

qvando Spiritus hominem vigilantem invadit, eúmqve ad vaticinandum impellit. Ita David Psalmos composuit, Salomon Proverbia vigilans, Spiritu S. illa dictitante, qvod David de se expresse testatur, 2 Sam. xxiii. 2. Sic Amos, vigilans & pecora pascens vocatur ad munus Prophetæ. Prophetiam autem vocant, qvâ homini dormienti, vel extra se rapto à Spiritu S. aliqvid revelatur. Huc referunt Judæi, qvòd Micha, 1. Reg. xxii. 19. Jehovam sedentem in throno exercitu cælesti stipatum viderit: qvòd Ezechiel admirandum currum in 4. mundi plagas simul euntem viderit. c. 1. 17. Huc etiam illud referunt, qvòd idem Ezechiel jubetur placentas super stercore humano seu bovino ustulatas comedere. c. iii. 12. 15. Item qvòd Hoseas jubetur scortum in uxorem ducere. c. 1. 2. Qvamvis incerta sint exempla pleraqve, qvòd vigilantibus non dormientibus apparitiones istæ factæ sint. Qvòd item Paullus raptus in tertium cælum audiverit ineffabilia, incertus utrum in corpore, an verò extra corpus tum fuerit, 2. Corint. xii. 3. Nonnunqvàm Prophetæ mediatè Prophetabant, & clariores de Messia Prophetias spiritu Domini revelante ex Scripturis viderunt, cùm legerent & meditarentur Domini verbum, & ardentiùs precarentur. Ita Danieli legenti annales sacros de finiendis 70. annis captivitatis, fit major revelatio 70. septimanarum, qvibus stare debuit restaurata urbs & stante adhuc Urbe, Messias exhiberi debuit, Dan. ix. 2. Sive igitur vigilarent, sive dormirent Prophetæ dicebantur φερόμενοι ὑπὸ πνεύματος correpti à Spiritu DEI, ut impulsu

impulſu & agitatione illius res divinas prædicerent. Verumenimverò hæc diſtinctio non eſt Prophetiæ; ſed hominis, cui Prophetia revelatur, qvi diverſo in ſtatu invenitur, modò vigilans, modò dormiens, modò meditans, Prophetiam accipiebat. Prophetia enim ſemper eſt manifeſtatio divinarum rerum per Spiritum S. qvaliſcumqve homo inveniatur. Ceterùm diverſis temporibus diverſimodè Deus ſuam voluntatem revelavit. Primò qvidem per ſomnia & viſiones. Deinde per Urim & Thummim. Deniqve per vocem cælitus delapſam in N. Teſtamento. Hos modos conjunctim in uſu fuiſſe, colligitur ex hiſtoria Saulis, cui nec per ſomnia, nec per Urim, nec per Prophetas Deus ampliùs reſpondebat. 1. Sam. XXVIII. 6. Ultimi modi exempla aliqvot ſunt in Novo Teſtamento, ſtante in Jordane Chriſtô vox auditur de cælo. Matth. III. 17. Sic Damaſcum proficiſcenti Paullo fit revelatio divina. Act. IX. 3. Item vox ad Petrum facta: Comede. c. X. 13. Colligunt autem Doctores Hebræi ex ſacris 48. Prophetas & Propheteſſas fuiſſe, qvi donô vaticinandi præditi fuerunt, qvorum multi poſt ſe peculiares libros non reliqverunt, ut Gad, Nathan, Elias, Eliſæus. Nonnullorum etiam Prophetarum ſcripta periêrunt, ut libri duo Jehu de rebus geſtis Joſaphat, 2. Par. XX. 37. Cúmqve Prophetæ non ſolùm divinas revelationes habuerint; ſed etiam eximii Doctores Eccleſiæ exſtiterint, ideò nomen Prophetæ, generaliùs ſumitur pro omni Doctore Eccleſiæ & concionatore, qvi res divinas tractat. Sic tempore Achab, Obadias aulæ Magiſter, 100.

T 3 Pro-

Prophetas abscondisse & cibâsse dicitur; 1. Reg. XVIII. 4. Ibidem v. 22. 450. Prophetarum mendacii, qvi Idolis sacrificabant, fit mentio. Ubi vox Prophetæ non de talibus eximiis Prophetis afflatu divinô correptis; sed de qvovis Doctore veriloqvo aut etiam mendace accipitur.

Caput XIII.

De Prophetis prioribus.

PRophetas duplices † constituerunt Doctores Hebræi: priores & posteriores, divisione sumtâ ex Zach 1. 4. Facta autem est hæc distinctio ab adjuncto tempore, qvô vixerunt. Alii enim ante captivitatem; alii post prophetârunt. Sed Hebræi illos vocant priores Prophetas, qvi ante tempora Uziæ regis vixerunt, non consideratâ captivitate Babylonicâ. In secunda hac sectione codicis Hebræi hic titulus præfigitur; Prophetæ priores: נביאים ראשונים, *Nebiim Rischonim.* Veniunt autem sub nomine priorum Prophetarum, liber

† Legendus hic omnino B. Joh. Pappus in Hypotyposi doctrinæ Christianæ, qvam, ut omnia hujus Theologi scripta, nostræ religionis Studiosis qvàm familiarissimam velim, Locô 1. p. m. 11. f. edit. Argent. clɔ. Iɔc. XIX. in 8t. Adde & Joh. Henr. Ursin. Volum. II. Sacror. Analector. lib. IV. c. X. p. m. 225. f. Joh. Henr. Höttinger. lib. II. Thesauri Philol. Sect. II. p. 461. f. Apud Talmudicos: *Propheta priores fuerunt, David, Samuel, & Salomon,* Sota fol. 48. 2. Bar-

liber Josuæ; Judicum, duo Samuelis, duo Regum. Ideo autem hi libri nomine Prophetarum appellantur à Doctoribus Hebræis qvia Samuel omnium Prophetarum primus fuisse dicitur. Actor. III. 24. qvi & alios omnes Prophetandi donô superaverit, & Academiam filiis Prophetarum exstruxerit, in illáqve Rector fuerit in Najoth. I. Sam. XIX. 20. Deinde qvia omnes Spiritu vaticinandi præditi phrasi Hebræâ dicti fuerunt Prophetæ. Sic Judicum c. IV. 4. Debora mater in Israël Prophetissa vocatur. Hæc in genere de prioribus Prophetis; seqvuntur nunc singuli libri sectionis secundæ.

CAPUT XIV.

De Libris secundæ Sectionis.

DE JOSUA.

JOsua Hebræis יהושע à יהוה & ישע *jeschang* Domini salute, dicitur, q. d. Dominus illius Salvator, nomine compositô, partim ex sanctissimo nomine יהוה (sic enim plerumqve propria nomina homines cum Dei nomine componere consveverunt,

Bartenora in Sota c. IX. *Omnes Prophetæ vocantur Priores, exceptis Haggeô, Zachariâ, & Malachiâ, sociisqve ipsorum, qvi vocantur Posteriores.* Majem. ibid. *Prophetæ priores fuerunt Prophetæ Templi primi, Prophetæ autem Domus posterioris, vel secundæ, vocantur Posteriores.*

runt, ut in unam familiam Dei transiisse & à so-
lo Deo donum accepisse crederentur) partim ex
nomine ישע *jeschang* salutis. Nomen hoc honorarium
Josuæ à Mose fuit impositum propter eximia vir-
tutum & donorum in ipso refulgentium docu-
menta, qvódqve mortuô Mose res admirandas
esset gesturus. Nomen autem ex circumcisione
habuit הושע Salvator Num. XIII. 17. Natus adhuc
in Ægypto ex tribu Ephraim, minister fuit Mo-
sis. Hic ex Rephidim decima mansione (qva-
rum 42. Israëlitæ habuerunt intra 40. annos, to-
ties enim sua castra commutârunt, & in loca alia
transtulerunt) cum 11. viris exploratum mittitur
terram Canaan. Scientiæ bellicæ specimen edi-
dit, pugnans contra Amalekitas Exod. XVII. 9.
Cùm verò solicitus Moses de futuro populi Du-
ce Deum consuleret, jubetur Josuam ducem po-
puli Israëlitici constituere Num. XXVII. 18. Ideò
sistitur coram Israële, eiqve Moses manus impo-
nit, dux creatus adhuc vivente Mose, ut Judæos
in terram sanctam introduceret. Mortuô ergo
Mose (cùm annos 120. explevisset Deut. XXXIV.
7.) Josua repletus Spiritu sanctô misit explora-
tores in Jericho, & trajecit Jordanem, erectísqve
12. lapidibus in memoriam transitus renovat cir-
cumcisionem per 40. annos in deserto omissam.
Oppugnat Jericho & trans Jordanem 30. Reges
cædit, (Reges illi non tam nationum qvam civi-
tatum fuerunt. Sic Melchisedech in Salem, sic
Sodoma suum regem habuit.) In oppugnatione
Gibeon ad 24. boras Sol sistitur. Dividit terram,
singulis tribubus suâ parte assignatâ. Tandem ex-
probratâ Judæis Idololatriâ, & extortô consen-
su

ſu velle Iſraëlem in viis Domini ambulare, annô ætatis 110. moritur, Joſuæ XXIV. 29. Hiſtoria Joſuæ conſtat c. XXIV. & complectitur hiſtoriam fermè 30. annorum.

Liber JUDICUM.

Liber Judicum ספר שפטים *Sepher Schophtim* Hebraicè nuncupatur. Fuerunt autem Judices gubernatores populi Judaici poſt introductionem in terram promiſſam, dicti à שפט *Schaphat* qvod judicando, ad tribunal ſederent. Primis enim ſeculis Judaicus populus regebatur patriâ poteſtate. Sic patres ante diluvium & poſt diluvium, Abraham, Iſaac, Jacob, ſic Joſeph in Ægypto. Duravit hæc patrum poteſtas etiam tempore Moſis & Joſuæ. Deinde judiciariâ poteſtate. Tertiò regiâ, qvibus duces conjuncti ſunt. Deniqvè ſacerdotali ſeu Pontificiâ formâ regiminis ſemper in deterius ruente. Patria poteſtas Judiciariæ, Judiciaria regiæ præſtitit. Sub Pontificum autem poteſtate totalis fuit facta populi Iſraël Apoſtaſia à vero Deo. Diverſa autem erat forma gubernationis ſub judicibus à forma regum vel Pontificum. Judices enim Deus excitabat ex qvalibet tribu: reges autem & Pontifices ex certa. Deinde reges dominabantur in populi facultates, Judices non item. Judices non exercebant imperium in populum: ſed tutabantur fines patrios: conſervabant religionem & populi controverſias dirimebant: vel deniqve populum ſuum è ſervitute gentium liberabant, unde מושיעים *Moſchijim*,

ſervatores dicebantur. Non verò continuè judices erant; ſed aliqvando liberatô populô ab hoſtibus vel mortuô Judice *Iſraëlitæ* αὐτονομίᾳ ſuâ utebantur. Sic cùm populus Judaicus in ſervitutem Sifferæ redactus fuiſſet, liberabatur à Debora Jud. v. 31. poſteà qvieſcit *Iſraël* per 40. annos ſuô gaudens jure. Numerantur autem Judices 16. Judas & Simeon ſimul judicant, Othoniel, Ehud, Samgar, Debora & Barach, Gideon, Abimelech, Thola, Jair, Jephta, Abeſan, Elon, Abdon, Samſon. His adnumeratur Samuel cum filiis Joële & Abia, nec non Eli. Nam Samuel natus tempore judicum, cùm *Iſraël* regem non haberet, ipſe populum omnibus diebus ſuæ vitæ judicavit, & ſingulis annis loca *Iſraëlitica* circumivit, populíqve controverſias compoſuit. Perfunctus autem hôc officiô domum ſuam in Rama redibat 1. Sam. xv. 34. Sic Eli qvoqve judex fuit *Iſraëlis* 40. annos, filiis ejus degenerantibus à patria virtute 1. Sam. iv. 18. Samuel cùm ſeniô eſſet confectus, filios ſuos Joëlem & Abiam ſuper *Iſraëlem* conſtituit judices. Sed hi avaritiâ ducti judicia pervertebant, populóqve occaſionem dabant ad Apoſtaſiam, ut is rejectis judicibus more aliarum gentium regem poſceret, 1. Sam. viii. 2. 3. ſ. Fuerunt igitur judices in univerſum 20. Qvamdiu autem ſinguli *Iſraëlem* judicârint, qvídqve memoriâ dignum geſſerint, ſingulorum hiſtoriæ in libello judicum commemorant.

Libri

Libri SAMUELIS.

Libri Samuelis in vulgata verſione annumerantur libris Regum, ideo qvatuor libri Regum facti ſunt. Accidit verò id propter Saulis & Davidis hiſtoriam, qvæ in libris Samuelis deſcribitur, qvi æqvè reges fuerunt, qvàm iſti, qvi in libris Regum, Verùm clara eſt diſtinctio horum librorum, tum ex divina autoritate deſumpta, Differunt enim libri Samuelis à libris Regum titulô: deinde Scriptura diſtingvit inter Samuelis & Regum libros. Sic enim ipſa Davidis res geſtas priores & poſteriores deſcriptas eſſe affirmat in verbis Samuelis Videntis, 1. Par, XXIX. 29. Qvas etiam in libro Nathan & Gad commemoratas Scriptura ait. Diverſi igitur ſunt libri Samuelis à Regum. Deinde duo hîc Samuelis libri facti fuerunt, prior & poſterior. In priore acta Davidis deſcribuntur, cùm adhuc ſub Saule viveret, & ab illo in *decennale exilium extur bare-tur.* Poſteriore librô res Davidis narrantur cùm occiſô Saule regno integrô potiretur, Titulus librorum Samuelis eſt: ספר שמואל *Sepher Schemuel*, vel ספר ראשון מהמלכים *ſepher riſchon mehamelachim*, primus liber de regibus, vel ſecundus, tertius, qvartus, de Regibus. Vocati ſunt libri Samuelis à Schemuel judice, qvem precibus mater ſterilis à Deo impetravit. Unde Infanti indit nomen efflagitati à Deo: vel à שאל *Schaal*, petere ſeu rogare & voce El: vel qvia in nomine Samuel מ inſertum cernitur, videtur illud mater compoſuiſſe aut ex Schaal petere à מן *min*

&

& אל *el* Deo. Nam illa inqvit rationem nominis reddens כי מיהוה שאלתיו *ki mejehovah Scheaithijo* qvia à Jehova eum precibus obtinui: aut componitur hoc nomen ex verbo שמע *Schama* audivit & nomine DEI EL, factâ literæ ע Syncope. Describuntur autem libris Samuelis acta Saulis, Davidis ac Salomonis ex parte. Primô qvidem librô tantùm Saulis & Davidis: secundô autem Davidis & Salomonis simul. Prior liber habet XXXI. capita posterior autem XXIV. sic numerus horum duorum LV.

Libri REGUM.

Libri Regum vocantur Hebræis מלכים *melachim*, à מלך *malach* regnavit.. Est autem liber Regum historia Regum Israëliticorum tam cùm esset adhuc regnum indivisum; qvàm cùm scissum est in duas partes, in regnum Israëliticum, cujus Metropolis fuit Samaria: & in regnum Judæ, cujus regia sedes fuit Hierosolymis. Describuntur in libris Regum historiæ Imperii Israëlitici & forma Ecclesiæ sub istis regibus ab annô 4. Salomonis, qvô templum Domino ædificavit, qvod factum est annô 480. ab egressu ex Ægypto. Imperavit autem Salomon toti Israëli, id est, omnibus Judæis ad unum regnum pertinentibus annis 40. Huic filius Rehabeam successit in regno Judæ. Jeroboam autem in regno Israëlitico Samariæ, in utroqve regno manente populô Judaicô: non enim Samaritanum regnum fuit principiô gentium regnum. Etenim post mortem Salomonis scissum est regnum Judæorum in duas

par-

tes, ut Rehabeam filius Salomonis imperaret duabus tantùm tribubus: Judæ & Benjamin. Super 10. reliqvas tribus, qvæ per defectionem à domo Davidis defecerant, rex constituitur Jeroboam. Ideò post tempora Salomonis semper duo Reges Judæis imperabant. Duravit autem hæc dispar Judæorum gubernatio, donec regnum Samariæ everteretur à Syris, cùm rex Samariæ abduceretur in captivitatem per Salmanasserem 2. Paralip. xi, 17. & xii, 2. manente altero regnô Judæorum in Jerusalem. Qvia verò regna illa differebant religione, legibus & ritibus, ideò semper inter Israëliticos & Judææ reges fuit aut ingens odium, sic Rehabeam gerit bellum cum Jeroboam, 1. Reg. xiv. 30. Abia cum Nadab 1. Reg. xv. 6. Asa cum Baasa ibidem v. 16. aut qvædam amicitia inter illos fuit, ut inter Josaphat Regem Judæ, & Achas regem Israël. 1. Reg. xxii. 45. Aliqvando reges Israëlitici suorum antecessorum masculam prolem, qvæ spem successionis in regno habebat, funditus tollere conabantur, ne esset superstes, qvi ad parietem mingeret, ut Zimri Baasæ: sic Jehu familiam Achab. 2. Regum ix. Judæi in regno Jeroboam deficiunt à lege Dei annô qvintô regni Rehabeam, séqve totos Idololatriæ dedunt. Duravit autem hæc Israëlis defectio annos 390. qvi anni iniqvitatis dicti fuerunt, qvibus tandem etiam adscita fuit totalis desolatio, qvod Deus veluti in tabella ostendere voluit, dum per Ezechielem jubet urbem depictam in latere obsidere per 390. dies: qvibus notati fuerunt anni ἀποστασίας sub Israëliticis Regibus exacti, Ez. iv. 5. & seq.

Libri

Libri ergo Regum à principio regni Salomonis usqve ad annum captivitatis totalis complectuntur historiam annorum ccccxxxv. si nempe ad annos Apostasiæ cccxc. qvinqve Rehabeam & xl. Salomonis anni addantur.

CAPUT XV.

De Regibus Juda in genere, & in specie de illis, qvi Rehabeamo Hierosolymis successerunt.

AD rectius intelligendam historiam tàm Regum, qvàm conciones Prophetarum, utile magnoperè est scire συγχρονίαν & successionem Regum in utroqve regno Judæorum, non solùm propter diversitatem Regiminis politici: sed & propter miserrimam Ecclesiæ faciem, qvæ modò crevit, modò valde attenuata fuit sub illa Regum diversitate. In regno Judæ integritas cultus divini & religio aliqvô modô floruit, in regno autem Israël ipsissima dominabatur Apostasia, ad qvam arguendam, sacerdotibus vel in alterutro vel in utroqve regno à vero Dei cultu discedentibus, Deus extraordinariè excitabat etiam extra tribum Leviticam Prophetas, eósqve vel ad utriusqve regni reges, vel ad alterutrius mittebat, ut indicatâ atrocitate Apostasiæ populum cum regibus ad saniorem mentem reducerent. Reges Judæorum in principio erant universales, qvi super totum semen Abrahami imperabant. Fuit Saul, David & Salomon. Nam dicitur Saul regnâsse xl. annos Act. xiii. 21. sed 1. Sam.

xiii.

XIII. 1. dicitur regnâsse duobus annis, qvod de jure, non de possessione intelligendum est: Saul enim habuit potestatem regnandi cum Samuele, XL. annos: sed jus regnandi verum tantùm habuit usqve ad bellum Amalekiticum, in qvo regi Agag pepercit. 1. Sam. XV. 7.

Confosso autem Sauli desperato succedit David, qvi regnavit annos similiter XL. in Hebron qvidem VII. in Jerusalem autem XXXIII. 1. Reg. II. 11.

Defuncto Davidi patri filius Salomon succedit in regno, qvi pariter XL. ann. regnavit, 1. Reg. XI. 42.

Post Salomonem scinditur regnum populi Judaici in regnum Judæ & Israël, qvod aliqvando dicitur regnum Manassæ, Ephraim, Joseph, Samariæ. 1. Reg. XIV. 21.

Post Salomonem regem Judæ, fit Rehabeam, filius, rex in Juda, qvi impius regnat annos 17. 1. Reg. XIV. 21.

Post hunc regnat Abiam filius æqvè impius annos III. 1. Reg. XV. 2.

Post Abiam patrem impium, regnat Asah filius pius annos XLI. 1. Regum XV. 10.

Hic pio patri succedit pius filius Josaphat, qvi regnat XXV. annos. 1. Reg. XXII. 42.

Post hunc regnat Joram, filius impius, annos VIII. 2 Reg. VIII. 16. 17.

Joræ Patri impio succedit filius impius Achazia, qvi unum annum regnat, 2. Reg. VIII. 26.

Occiso Achaziæ impio succedit filius Joas, pius, qvi regnat annos XL. 2. Regum XII. 1.

Post

Post pium Joam regnat pius filius Amasias, annos xxxix. 2. Reg xiv. 2.

Post Amasiam regnat ejus filius piè Azarias seu Uzias, πολυπράγμων tamen, annos LII.

Azariæ succedit Jotham, pius, qvi regnat annos xvi. 2. Reg. xv. 32. 33.

Post Jotham regnat filius impius Achaz annos xvi. 2 Reg. xvi. 2.

Achazo impio succedit filius omnium pientissimus Hiskias, qvi annos xxix. regnavit, 2. Reg. xviii. 2.

Pio patri Hiskiæ succedit impientissimus filius Manasses, qvi regnavit annos LV. 2. Reg. xxi. 1.

Patri impio impius succedit filius Ammon, qvi regnavit annos duos. 2. Reg. xxi. 19.

Impio Ammoni succedit filius pientissimus Josias, qvi regnavit xxxi. annos. 2. Regum xxii. 1.

Josiæ pio filius impius Jehoachaz succedit, qvi tres tantùm menses regnavit, regnô Judæ ad ruinam inclinante, 2 Reg. xxiii. 31.

Abducto fratri Jehoachaz in Ægyptum impio succedit filius æqvè impius Eliakim. Is constitutus Rex à Pharaone nomen mutatum accipit Jehojakim, regnat filius æqvè impius Jehojakim tribus mensibus, aliàs dictus Jechonia, Jerem. xvii. 20. 2. Paralipom. xxxvi. 9. Dicitur etiam Obonias, Jerem. xxi. 24. pro Jehojakim abducto Nebucadnezar constituit Regem in Jerusalem Matania patruum Jehojakim, ejúsqve nomen in Zedekiæ commutavit, 2. Reg. xxiv. 17. Regnat impiè annos xi. deficit à Babylonio, superatus autem

autem ducitur in captivitatem & excæcatur 2 Reg. xxv. 7. Hûc rege abductô universalis facta est πανωλετρία urbis & regionis, abductâ totâ nobilitate & flore populi, agricolis & vinitoribus solis relictis in Judæa, qvibus præfuit Gedolia, mensibus 7. Hôc occisô populus reliqvus fugiens Babyloniorum Tyrannidem abiit in Ægyptum. 2. Reg. xxv. 26. Summa annorum regum in regno Judæ à scisso imperio post Salomonem CCCLXXXVII.

CAPUT XVI.

De Regibus Israëlis, qvi fuerunt in altero Regno Judæorum Samaria.

SCissô Salomonis uno regnô in duas partes, pars altera eaqve potior, ex Apostasia cessit Jeroboam, homini novo & humili, qvem Deus è medio populi tulit, qvi fuit filius Nadabi 1. Reg. XIV. 7. Hic novum regnum facit in Samaria, ibíqve Judæis sibi subjectis imperat, nec patitur, fines tribuum 10. imminui per Reges Hierosolymitanos, qvin potiùs fines sui regni extendere conatur. Ut verò populum in obedientia contineat, retinuit primùm legem Mosis, deinde sacrificia, tertiò festa, tantùm ea in loco à Deo non approbato administrabat, additis multis superstitionibus & cultu vitulorum. Fuit autem Jeroboam regi Rehabeam Judæ σύγχρονος, regnavítqve in Israële impiè annos XXII. 1. Reg XIV. 20. annis qvinqve longiùs qvàm Rehabeam.

Defuncto Jeroboam succedit filius Nadab nomen Avi gerens similis Patri. Impius regnat annis duobus 1. Reg. xv. 25.

Interfecto Nadab successit Baassa, stemmate regiô interruptò impius regnat annos xxiv. 1. Reg. xv. 33.

Baassæ succedit Zimbri, rursus interruptô regiô stemmate. Is regnat tantùm 7. dies 1. Reg. xvi. 15.

Combusto Zimbri successit Amri impius, qvi regnat annos xii. 1. Reg. xvi. 23. Hic primò regiam exstruxit domum in monte Someron (Samariæ) loco, emptô duobus talentis à Schemer montis possessore. Zimbri enim exusserat arcem regiam in Thersa, ubi anteà Samaritani reges habitabant.

Omri patri succedit filius Achab, qvi instauratô Baaliticô cultu regnabat iniqvè annos xx. 1. Regum xvi. 29.

Qvinqve hi reges proximè præcedentes σύγχρονοι fuerunt regis Judæ Assæ.

Achab impio impius succedit filius Joram, qvi in Israële regnat annis xii. 2. Reg. iii. 1. Transfixo Joram sagittâ succedit Jehu, rursus lineâ regiâ interruptâ, & regnat in Israële annos xxviii. mediocriter 2. Reg. x. 30. Jehu patri succedit filius Joachaz impius. Hic differt à Jehoachaz Judæ. Nam Jehoachaz Judæ regnat tantùm iii. mensibus: sed Jechoachaz Israëlis regnat annos xvii. 2. Reg. xiii. 1.

Jechoachaz Israëlitico regi succedit filius ibidem Joas, qvi regnavit impiè xvi. annis, 2. Reg. xiii. 10. Nominatur hic Joas interducc Jehoas יהואש

&

& aliqvando contractè יואש *Joasch*, 2. Reg. xiv. 11. 13. Joas patri ſuccedit filius Jeroboam ſecundus, regnátqve impiè annos xli. 2. Reg. xiv. 23. Jeroboam ſecundo patri ſuccedit Zacharias, qvi regnat impiè vi. menſ. 2. Reg. xv. 8. Hîc jam cœpit inclinare regnum Samariæ & vergere ad interitum. Occiſo Zachariæ ſuccedit Sallum, qvi unum regnat menſem, 2. Reg. xv. 13. Occiſo Sallum ſuccedit Menachem, qvi regnat tyrannicè annos x. 2. Reg. xv. 17. Menachem patri ſuccedit filius Pekaja, qvi impiè regnavit 11. annis, 2. Reg. xv. 23. Occiſo Pekajæ ſuccedit Peka, regnátqve impiè annos xx. 2. Reg. xv. 27. Occiſo Peka ſuccedit Hoſea Synarchus Achaz Judaico, regnavit autem impiè annis ix. Fit primò tributarius Aſſyriæ regi Salmanaſſari: poſteà Hoſea cum x. tribubus Samariæ in Aſſyriam ſeu Babylonem abducitur annô ix. regni ſui, qvi fuit ſextus Hiskiæ. Legatur Lutherus ad Mich. tom. iv. Lat. Jenen. fol. 539. Sic finem habuit regnum Iſraëliticum Samariæ, qvod à Jeroboam primo rege duravit ccxxxviii. annos, vel ut Scaliger computat ad Euſebium f. 157. in canonibus Iſagogicis, fuerunt anni cclix. (ſi alicubi aliqvot anni interregni inferantur.) qvibus regnum Samariæ duravit. His annis ſubtractis à 387. cum dimidio regum in Jeruſalem, manent vel 149. vel 128. vel computante Lutherô in præfat. ad Mich. circiter 150. qvibus longiùs ſtetit regnum in Jeruſalem. Certum autem eſt ad minimum regnum Hieroſolymitanum diutiùs regnô Samariæ ſtetiſſe 134. annos. Tandem regnum Judæ totaliter everſum fuit à Nebucadnezar Aſſyrio, Babyloniô

V 2 Impe-

Imperatore. Nam Salmanasser primò vastavit regnum Samariæ: Sennacherib ejus filius conatur vastare regnum Jerusalem, sed cæditur. Successor Sennacheribi Asserhaddon qviescit, nihil molitur Merodach, neqve Benmerodach. Tandem filius Benmerodach Nebucadnezar evertit Jerusalem captô primùm Jechoniâ. Ex collatione annorum regum Judæ & Israëlis resultat συγχρονία, qvæ ostendit, qvi Judæorum reges, cum qvibus regibus Israëlis eôdem tempore vixerint & simul Judæis imperârint. Jeroboam Israëlis, σύγχρονος & συνάρχος fuit regibus Judæ Rehabeam, Abiam & Asæ. Sic reges Israëlis, Nadab, Baasa, Ela, Zimbri, Omri sunt σύγχρονοι Asæ regi Judæ. Achabo Israëlis eôdem tempore, qvô Josaphat regnavit, Joram Israëlis coætaneus est, Joram, Judæ, Achaziæ, & Joas. Sic Jehu & Jehoachaz Israëlis sunt σύγχρονοι Joas Judæ. Ita Jeroboam alter, Zacharias, Sallum, Menachem reges Israëlis, sunt σύγχρονοι uni Uziæ seu Azariæ Judæ. At Pekaja, Peka, Hosea, Israëlis reges, sunt συνάρχοι tribus regibus Judæ; Jotham, Achaz & Hiskiæ. Ceteri Judæ reges Manasses, Amon, Josias, Jehoachaz, Jehojakim (qvi Uriam Prophetam prædicentem excidium Urbis, retractum ex Ægypto decollavit, nec Propheticè sepelivit Jer. xxvi. 23.) Jehojakim sive Jechonia & Zedekias nullos habuerunt συγχρόνους reges Israëliticos, qvòd abductis Judæis Samaritanis in captivitatem per Salmanasserem regnum vastatum fuerit, novis Chaldæorum in Samaria constitutis præfectis. Soli igitur reges in Jerusalem imperabant. Qvid verò in Samariæ & Judæ regno post interfectum

Ge-

Gedoliam factum gestúmve sit usqve ad reditum populi Judæ ex captivitate, id Scriptura non commemoravit. Regum autem Israëliticorum & Judæ res gestæ describuntur libris Regum & Chronicorum, qvi easdem eorumdem regum historias narrant, si in libris regum breviores sint narrationes, in Chronicis fusiùs exponuntur.

Illud non caret difficultate, qvòd in libris Regum ad lectionem ejusdem historiæ in Chronicis lector ablegatur: si abrumpitur historia in Chronicis, dicitur illa scripta esse in libris Regum. Qvasi libri Regum & Chronicorum ab iisdem auctoribus fuerint scripti eôdem tempore. Deniqve prior regum habet capita XXII. huc prior paralipom. referatur, cujus sunt capita XXIX. posterior autem Regum hebet XXV. capita; huc referatur posterior Chronicorum, qvi habet capita XXXVI.

Collatio Regum Juda & Regum Israëlis in anno mundi & ἀποστασίας Israëlis: adornata studiô Reverendi viri DN. JOHANNIS BEHM, sacræ Theologiæ Doctoris, nunc Professoris Theol. Regiomonti Borussorum.

Anni Mundi,	Regum Juda,	Israël,	peccatorum Israël.
	Rehabeam	Jerobe-	
2969	1	1. am. 1.	1
2970	2	2	2
2971	3	3	3
2972	4	4	4
2973	5	5	5
2974	6	6	6
2975	7	7	7
2976	8	8	8
2977	9	9	9
2978	10	10	10
2979	11	11	11
2980	12	12	12
2981	13	13	13
2982	14	14	14
2983	15	15	15
2984	16	16	16
2985	17	17	17
	Abia.		
2986	1	18	18
2987	2	19	19
2988	3. 1. Assa.	20	20
		Nabad.	
2989	2	21, 1.	21

Anni

Anni



Regum

Mundi,	Juda,	Israël,	peccatorum Israël.
		Baesa	
2990	3	22. 2. 1	22
2991	4	2	23
2992	5	3	24
2993	6	4	25
2994	7	5	26
2995	8	6	27
2996	9	7	28
2997	10	8	29
2998	11	9	30
2999	12	10	31
3000	13	11	32
3001	14	12	33
3002	15	13	34
3003	16	14	35
3004	17	15	36
3005	18	16	37
3006	19	17	38
3007	20	18	39
3008	21	19	40
3009	22	20	41
3010	23	21	42
3011	24	22	43
3012	25	23	44

Anni

Regum

Mundi,	*Juda*,		*Iſraël*.		*peccatorum Iſraël*.
			Ella.		
3013	26		24	1	45
			Amiri	2	
3014	27		1		46
3015	28		2		47
3016	29		3		48
3017	30		4		49
3018	31		5		50
3019	32		6		51
3020	33		7		52
3021	34		8		53
3022	35		9		54
3023	36		10		55
3024	37		11		56
			Achab.		
3025	38		12	1	57
3026	39			2	58
	40			3	59
3027	Joſaph.				
3028	41	1		4	60
3029		2		5	61
3030		3		6	62
3031		4		7	63
3032		5		8	64

Anni

Anni

Regum

Mundi, Juda, Israël, peccatorum Israël.

3033		6			9	65
3034		7			10	66
3035		8			11	67
3036		9			12	68
3037		10			13	69
3038		11			14	70
3039		12			15	71
3040		13			16	72
3041		14			17	73
3042		15			18	74
3043		16			19	75
			Ahasia.			
3044	Prius	17		1	20	76
	jorami		Joram.			
3045	initium	18	21	2	1	77
3046	χρονι-	19	22		2	78
3047	κόν.	20			3	79
3048		21			4	80
3049	22 Poste-	1			5	81
3050	23 rius	2			6	82
3051	24 Jora-	3			7	83
3052	25 mi ini-	4			8	84
3053	tium	5			9	85
3054	verum	6			10	86

Anni

Regum

Mundi, *Juda*, *Israël*, *peccatorum Israël*.

Mundi	Juda		Israël		peccatorum Israël
3055		7		11	81
	Ahasja				
3056	1	8		12	88
3057	1 Athalia		Jehu	1	89
3058	2			2	90
3059	3			3	91
3060	4			4	92
3061	5			5	93
3062	6			6	94
		Joas			
3063	7.	1		7	95
3064		2		8	96
3065		3		9	97
3066		4		10	98
3067		5		11	99
3068		6		12	100
3069		7		13	101
3070		8		14	102
3071		9		15	103
3072		10		16	104
3073		11		17	105
3074		12		18	106
3075		13		19	107

Anni

Anni.



Regum

Mundi,	*Juda*,	*Israël*,	*peccatorum Israël*.
3076	14	20	108
3077	15	21	109
3078	16	22	110
3079	17	23	111
3080	18	24	112
3081	19	25	113
3082	20	26	114
3083	21	27	115
3084	22	28 Joa-	116
3085	23	1 has.	117
3086	24	2	118
3087	25	3	119
3088	26	4	120
3089	27	5	121
3090	28	6	122
3091	29	7	123
3092	30	8	124
3093	31	9	125
3094	32	10	126
3095	33	11	127
3096	34	12	128
3097	35	13	129
3098	36	14	130
		Joas.	

Anni

Anni



Regum

Mundi,	*Juda,*		*Israël,*		*peccatorum Israël.*
3099	37		15	1	131
	Amasia				
3100	38	1	16	2	132
3101	39	2	17	3	133
3102	40	3		4	134
3103		4		5	135
3104		5		6	136
3105		6		7	137
3106		7		8	138
3107		8		9	139
3108		9		10	140
3109		10		11	141
3110		11		12	142
3111		12		13	143
3112		13		14	144
3113		14		15	145
			Jeroboam		
3114		15	1	16	146
3115		16	2		147
3116		17	3		148
3117		18	4		149
3118		19	5		150
3119		20	6		151
3120		21	7		152

Anni

Anni

Regum

Mundi,	*Juda*,		*Israël*,	*peccatorum Israël.*
3121		22	8	153
3122		23	9	154
3123		24	10	155
3124		25	11	156
3125		26	12	157
3126		27	13	158
3127		28	14	159
3128		29	15	160
3129	1	Interregnum in Judæ regno 11. annorum.	16	161
3130	2		17	162
3131	3		18	163
3132	4		19	164
3133	5		20	165
3134	6		21	166
3135	7		22	167
3136	8		23	168
3137	9		24	169
3138	10		25	170
3139	11.	Usias.	26	171
3140	1	f. Asarias.	27	172
3141	2		28	173
3142	3		29	174
3143	4		30	175
3144	5		31	176

Anni

Anni



Regum

Mundi,	*Juda*,	*Israël*,	*peccatorum Israël*.
3145	6	32	177
3146	7	33	178
3147	8	34	179
3148	9	35	180
3149	10	36	181
3150	11	37	182
3151	12	38	183
3152	13	39	184
3153	14	40	185
3154	15	41	186
3155	16	42	187
3156	17	43	188
3157	18	44	189
3158	19	45	190
3159	20	46	191
3160	21	47	192
3161	22	48	193
3162	23	49	194
3163	24	50	195
3164	25	51	196
3165	26	52	197
3166	27	53	198
3167	28	54	199
3168	29	55	200
3169	30	56	201

Interregnum in regno Isr. 23. annorum.

Anni



Mundi,	Regum *Juda*,	Regum *Israël*,	*peccatorum Israël*.	*Olymp*.
3170	31	16	202	
3171	32	17	203	
3172	33	18	204	
3173	34	19	205	
		20		1. Olymp.
3174	35	21	206	1
3175	36	22	207	2
3176	37		208	3
3177	38	23 Zacheri- as. 6.	209	4
				2. Olymp.
3178	39	1 menses	210	1
3179	40	2 Sallum	211	2
3180	41	3 uno men-	212	3
3181	42	4 se Me- nachem	213	4
				3. Olymp.
3182	43	5 10. an	214	1
3183	44	6 annis.	215	2
3184	45	7	216	3
3185	46	8	217	4
				4. Olymp.
3186	47	9	218	1
3187	48	10	219	2
3188	49	Pekaja.	220	3
3189	50	1	221	4
		2		5. Olymp.

Anni

Anni



Regum

Mundi,	*Juda,*	*Israël,*	*peccat. Isr.*	*Olym.*	*Urb.*	*Nabonas.*
3190	51	Pekah	222	1	Anni Urbis.	Anni Nabonassaræi.
3191	52	1	223	2		
3192	1 Jotham	2	224	3		
3193	2	3	225	4 6. Olym.		
3194	3	4	226	1		
3195	4	5	227	2		
3196	5	6	228	3		
3197	6	7	229	4 7. Olym.	1	
3198	7	8	230	1	2	
3199	8	9	231	2	3	
3200	9	10	232	3	4	
3201	10	11	233	4 8. Olym.	5	
3202	11	12	234	1	6	1
3203	12	13	235	2	7	2
3204	13	14	236	3	8	3
3205	14	15	237	4 9. Olym.	9	4
3206	15 Achas.	16	238	1	10	5
3207	16 1	17	239	2	11	6
3208	2	18	240	3	12	7
3209	3	19	241	4	13	8

Anni

Anni

Regum

Mundi,	Juda,		Israël,		peccat. Isr.	Olym.	Urb.	Nabonaſ.
			Hoſea.			10.Olym.		
3210		4	20	1	242	1	14	9
3211		5	Aliud Hoſeæ initium	2	243	2	15	10
3212		6		3	244	3	16	11
3213		7		4	245	4	17	12
						11.Olym.		
3214		8		5	246	1	18	13
3215		9		6	247	2	19	14
3216		10		7	248	3	20	15
3217		11		8	249	4	21	16
						12.Olym		
3218		12	1	9	250	1	22	17
3219		13	2	10	251	2	23	18
3220		14	3	11	252	3	24	19
3221		15	4	12	253	4	25	20
						13.Olym.		
3222	2	16	5	13	254	1	26	20
3223	3		6	14	255	2	27	21
3224	4		7	15	256	3	28	22
3225	5		8	16	257	4	29	23
						14.Olym.		
3226	6		9	17	258	1	30	24
3227	7			18	259	2	31	25
3228	8		Regnum		260	3	32	26
3229	9		Samariæ		261	4	33	27

Iſraëliticum finitur.

X *Anni*

Imperatore. Nam Salmanasser primò vastavit regnum Samariæ: Sennacherib ejus filius conatur vastare regnum Jerusalem, sed cæditur. Successor Sennacheribi Asserhaddon qviescit, nihil molitur Merodach, neqve Benmerodach. Tandem filius Benmerodach Nebucadnezar evertit Jerusalem captô primùm Jechoniâ. Ex collatione annorum regum Judæ & Israëlis resultat συγχρονία, qvæ ostendit, qvi Judæorum reges, cum qvibus regibus Israëlis eôdem tempore vixerint & simul Judæis imperârint. Jeroboam Israëlis, σύγχρονος & συνάρχος fuit regibus Judæ Rehabeam, Abiam & Asæ. Sic reges Israëlis, Nadab, Baasa, Ela, Zimbri, Omri sunt σύγχρονοι Asæ regi Judæ. Achabo Israëlis eôdem tempore, qvô Josaphat regnavit, Joram Israëlis coætaneus est, Joram, Judæ, Achaziæ, & Joas. Sic Jehu & Jehoachaz Israëlis sunt σύγχρονοι Joas Judæ. Ita Jeroboam alter, Zacharias, Sallum, Menachem reges Israëlis, sunt σύγχρονοι uni Uziæ seu Azariæ Judæ. At Pekaja, Peka, Hosea, Israëlis reges, sunt συνάρχοι tribus regibus Judæ; Jotham, Achaz & Hiskiæ. Ceteri Judæ reges Manasses, Amon, Josias, Jehoachaz, Jehojakim (qvi Uriam Prophetam prædicentem excidium Urbis, retractum ex Ægypto decollavit, nec Propheticè sepelivit Jer. XXVI. 23.) Jehojakim sive Jechonia & Zedekias nullos habuerunt συγχρόνους reges Israëliticos, qvòd abductis Judæis Samaritanis in captivitatem per Salmanasserem regnum vastatum fuerit, novis Chaldæorum in Samaria constitutis præfectis. Soli igitur reges in Jerusalem imperabant. Qvid verò in Samariæ & Judæ regno post interfectum

Ge-

Gedoliam factum gestúmve sit usqve ad reditum populi Judæ ex captivitate, id Scriptura non commemoravit. Regum autem Israëliticorum & Judæ res gestæ describuntur libris Regum & Chronicorum, qvi easdem eorumdem regum historias narrant, si in libris regum breviores sint narrationes, in Chronicis fusiùs exponuntur.

Illud non caret difficultate, qvòd in libris Regum ad lectionem ejusdem historiæ in Chronicis lector ablegatur: si abrumpitur historia in Chronicis, dicitur illa scripta esse in libris Regum. Qvasi libri Regum & Chronicorum ab iisdem auctoribus fuerint scripti eôdem tempore. Deniqve prior regum habet capita XXII. huc prior paralipom. referatur, cujus sunt capita XXIX. posterior autem Regum hebet XXV. capita; huc referatur posterior Chronicorum, qvi habet capita XXXVI.

Collatio Regum Juda & Regum Israëlis in anno mundi & ἀποστασίας Israëlis: adornata studiô Reverendi viri DN. JOHANNIS BEHM, sacræ Theologiæ Doctoris, nunc Professoris Theol. Regiomonti Borussorum.

Anni Mundi,	Regum Juda,	Israël,	peccatorum Israël.
	Rehabeam	Jerobe-	
2969	1	1. am 1.	1
2970	2	2	2
2971	3	3	3
2972	4	4	4
2973	5	5	5
2974	6	6	6
2975	7	7	7
2976	8	8	8
2977	9	9	9
2978	10	10	10
2979	11	11	11
2980	12	12	12
2981	13	13	13
2982	14	14	14
2983	15	15	15
2984	16	16	16
2985	17	17	17
	Abia.		
2986	1	18	18
2987	2	19	19
2988	3. 1. Assa.	20	20
		Nabad.	
2989	2	21, 1.	21

Anni

Anni



Regum

Mundi,	*Juda*,	*Israël*,	*peccatorum Israël.*
		Baesa	
2990	3	22. 2. 1	22
2991	4	2	23
2992	5	3	24
2993	6	4	25
2994	7	5	26
2995	8	6	27
2996	9	7	28
2997	10	8	29
2998	11	9	30
2999	12	10	31
3000	13	11	32
3001	14	12	33
3002	15	13	34
3003	16	14	35
3004	17	15	36
3005	18	16	37
3006	19	17	38
3007	20	18	39
3008	21	19	40
3009	22	20	41
3010	23	21	42
3011	24	22	43
3012	25	23	44

Anni

Regum

Mundi, Juda, Israël, peccatorum Israël.

			Ella.		
3013	26		24	1	45
			Amiri	2	
3014	27		1		46
3015	28		2		47
3016	29		3		48
3017	30		4		49
3018	31		5		50
3019	32		6		51
3020	33		7		52
3021	34		8		53
3022	35		9		54
3023	36		10		55
3024	37		11		56
			Achab.		
3025	38		12	1	57
3026	39			2	58
	40			3	59
3027	Josaph.				
3028	41	1		4	60
3029		2		5	61
3030		3		6	62
3031		4		7	63
3032		5		8	64

Anni

Anni



Regum

Mundi, *Juda*, *Israël*, *peccatorum Israël.*

Mundi		Juda			Israël		peccatorum Israël
3033		6				9	65
3034		7				10	66
3035		8				11	67
3036		9				12	68
3037		10				13	69
3038		11				14	70
3039		12				15	71
3040		13				16	72
3041		14				17	73
3042		15				18	74
3043		16				19	75
			Ahasia.				
3044	Prius	17			1	20	76
	Jorami		Joram.				
3045	initium	18		21	2	1	77
3046	χρονι-	19		22		2	78
3047	κόν.	20				3	79
3048		21				4	80
3049	22 Poste-	1				5	81
3050	23 rius	2				6	82
3051	24 Jora-	3				7	83
3052	25 mi ini-	4				8	84
3053	tium	5				9	85
3054	verum	6				10	86

Anni Mundi	Regum Judæ		Regum Israël		Anni peccatorum Israël
3055		7		11	81
	Ahasja				
3056	1	8		12	88
3057	1 Athalia		Jehu	1	89
3058	2			2	90
3059	3			3	91
3060	4			4	92
3061	5			5	93
3062	6			6	94
		Joas			
3063	7.	1		7	95
3064		2		8	96
3065		3		9	97
3066		4		10	98
3067		5		11	99
3068		6		12	100
3069		7		13	101
3070		8		14	102
3071		9		15	103
3072		10		16	104
3073		11		17	105
3074		12		18	106
3075		13		19	107

Anni

Anni,



Regum

Mundi,	Juda,	Israël,	peccatorum Israël.
3076	14	20	108
3077	15	21	109
3078	16	22	110
3079	17	23	111
3080	18	24	112
3081	19	25	113
3082	20	26	114
3083	21	27	115
3084	22	28 Joa-	116
3085	23	1 has.	117
3086	24	2	118
3087	25	3	119
3088	26	4	120
3089	27	5	121
3090	28	6	122
3091	29	7	123
3092	30	8	124
3093	31	9	125
3094	32	10	126
3095	33	11	127
3096	34	12	128
3097	35	13	129
3098	36	14	130

Anni

Anni



Regum

Mundi,	*Juda,*		*Israël,*		*peccatorum Israël.*
3099	37		15	1	131
	Amasia				
3100	38	1	16	2	132
3101	39	2	17	3	133
3102	40	3		4	134
3103		4		5	135
3104		5		6	136
3105		6		7	137
3106		7		8	138
3107		8		9	139
3108		9		10	140
3109		10		11	141
3110		11		12	142
3111		12		13	143
3112		13		14	144
3113		14		15	145
			Jeroboam		
3114		15	1	16	146
3115		16	2		147
3116		17	3		148
3117		18	4		149
3118		19	5		150
3119		20	6		151
3120		21	7		152

Anni

Anni

Regum

Mundi, *Juda*, *Israël*, *peccatorum Israël*.

3121	22		8	153
3122	23		9	154
3123	24		10	155
3124	25		11	156
3125	26		12	157
3126	27		13	158
3127	28		14	159
3128	29		15	160
3129	1	Interregnum in Judæ regno II. annorum.	16	161
3130	2		17	162
3131	3		18	163
3132	4		19	164
3133	5		20	165
3134	6		21	166
3135	7		22	167
3136	8		23	168
3137	9		24	169
3138	10		25	170
3139	11.	Usias.	26	171
3140	1	f. Asarias.	27	172
3141	2		28	173
3142	3		29	174
3143	4		30	175
3144	5		31	176

Anni

Anni



Regum

Mundi,	*Juda*,	*Israël*,	*peccatorum Israël*.
3145	6	32	177
3146	7	33	178
3147	8	34	179
3148	9	35	180
3149	10	36	181
3150	11	37	182
3151	12	38	183
3152	13	39	184
3153	14	40	185
3154	15	41	186
3155	16	42	187
3156	17	43	188
3157	18	44	189
3158	19	45	190
3159	20	46	191
3160	21	47	192
3161	22	48	193
3162	23	49	194
3163	24	50	195
3164	25	51	196
3165	26	52	197
3166	27	53	198
3167	28	54	199
3168	29	55	200
3169	30	56	201

Interregnum in regno Isr. 23. annorum.

Anni

Anni



Regum

Mundi,	*Juda*,	*Israël*,		*peccatorum Israël*.	*Olymp*.
3170	31	16		202	
3171	32	17		203	
3172	33	18		204	
3173	34	19		205	
		20			1. Olymp.
3174	35	21		206	1
3175	36	22		207	2
3176	37			208	3
3177	38	23	Zachari-	209	4
			as. 6.		2. Olymp.
3178	39	1	menses	210	1
3179	40	2	Sallum	211	2
3180	41	3	uno men-	212	3
3181	42	4	se Me-	213	4
			nachem		3. Olymp.
3182	43	5	10. an	214	1
3183	44	6	annis.	215	2
3184	45	7		216	3
3185	46	8		217	4
					4. Olymp.
3186	47	9		218	1
3187	48	10		219	2
3188	49		Pekaja.	220	3
3189	50	1		221	4
		2			5. Olymp.

Anni

Anni



Regum

Mundi,	*Juda,*	*Israël,*	*peccat. Isr.*	*Olym.*	*Urb.*	*Nabonass.*
3190	51	Pekah	222	1		
3191	52	1	223	2		
3192	1 Jotham	2	224	3		
3193	2	3	225	4	Anni Urbis.	
				6. Olym.		
3194	3	4	226	1		Anni Nabonassaraei.
3195	4	5	227	2		
3196	5	6	228	3		
3197.	6	7	229	4	1	
				7. Olym.		
3198	7	8	230	1	2	
3199	8	9	231	2	3	
3200	9	10	232	3	4	
3201	10	11	233	4	5	
				8. Olym.		
3202	11	12	234	1	6	1
3203	12	13	235	2	7	2
3204	13	14	236	3	8	3
3205	14	15	237	4	9	4
				9. Olym.		
3206	15	16	238	1	10	5
	Achas.					
3207	16 1	17	239	2	11	6
3208	2	18	240	3	12	7
3209	3	19	241	4	13	8

Anni

Anni

Regum

Mundi,	*Juda,*		*Israël,*		*peccat. Isr.*	*Olym.*	*Urb.*	*Nabonas.*
			Hosea.			10. Olym.		
3210		4	20	1	242	1	14	9
3211		5	Aliud Hoseæ initium	2	243	2	15	10
3212		6		3	244	3	16	11
3213		7		4	245	4	17	12
						11. Olym.		
3214		8		5	246	1	18	13
3215		9		6	247	2	19	14
3216		10		7	248	3	20	15
3217		11		8	249	4	21	16
						12. Olym		
3218		12	1	9	250	1	22	17
3219		13	2	10	251	2	23	18
3220		14	3	11	252	3	24	19
3221		15	4	12	253	4	25	20
						13. Olym.		
3222	2	16	5	13	254	1	26	20
3223	3		6	14	255	2	27	21
3224	4		7	15	256	3	28	22
3225	5		8	16	257	4	29	23
						14. Olym.		
3226	6		9	17	258	1	30	24
3227	7			18	259	2	31	25
3228	8		Regnum		260	3	32	26
3229	9		Samariæ		261	4	33	27

Israëliticum finitur.

X *Anni*

Anni					
Mundi,	Regum Juda,	pecc. Isr.	Olymp.	Urb.	Nabonass.
			15. Olym.		
3230	10	262	1	34	28
3231	11	263	2	35	29
3232	12	264	3	36	30
3233	13	265	4	37	31
			16. Olym.		
3234	14	266	1	38	32
3235	15	267	2	39	33
3236	16	268	3	40	34
3237	17	269	4	41	35
			17. Olym.		
3238	18	270	1	42	36
3239	19	271	2	43	37
3240	20	272	3	44	38
3241	21	273	4	45	39
			18. Olym.		
3242	22	274	1	46	40
3243	23	275	2	47	41
3244	24	276	3	48	42
3245	25	277	4	49	43
			19. Olym.		
3246	26	278	1	50	44
3247	27	279	2	51	45
3248	28	280	3	52	46

Anni

Anni Mundi,	Reg. Juda,	peccat. Isr.	Olymp.	Urb.	Nabonass.
3249	29	281	4	53	47
	Manasse.		20.Olym.		
3250	1	282	1	54	48
3251	2	283	2	55	49
3252	3	284	3	56	50
3253	4	285	4	57	51
			21. Olym		
3254	5	286	1	58	52
3255	6	287	2	59	53
3256	7	288	3	60	54
3257	8	289	4	61	55
			22.Olym.		
3258	9	290	1	62	56
3259	10	291	2	63	57
3260	11	292	3	64	58
3261	12	293	4	65	59
			23.Olym.		
3262	13	294	1	66	60
3263	14	295	2	67	61
3264	15	296	3	68	62
3265	16	297	4	69	63
			24 Olym.		
3266	17	298	1	70	64
3267	18	299	2	71	65

Anni

Mundi,	Reg. Juda,	peccat. Isr.	Olym.	Urb.	Nabonas.
3268	19	300	3	72	66
3269	20	301	4	73	67
			25. Olym.		
3270	21	302	1	74	68
3271	22	303	2	75	69
3272	23	304	3	76	70
3273	24	305	4	77	71
			26. Olym		
3274	25	306	1	78	72
3275	26	307	2	79	73
3276	27	308	3	80	74
3277	28	309	4	81	75
			27. Olym.		
3278	29	310	1	82	76
3279	30	311	2	83	77
3280	31	312	3	84	78
3281	32	313	4	85	79
			28. Olym.		
3282	33	314	1	86	80
3283	34	315	2	87	81
3284	35	316	3	88	82
3285	36	317	4	89	83
			29. Olym.		
3286	37	318	1	90	84

Anni

Anni					
Mundi,	*Reg. Juda*,	*peccat. Isr.*	*Olymp.*	*Urb.*	*Nabonass.*
3287	38	319	2	91	85
3288	39	320	3	92	86
3289	40	321	4	93	87
			30. Olym.		
3290	41	322	1	94	88
3291	42	323	2	95	89
3292	43	324	3	96	90
3293	44	325	4	97	91
			31. Olym.		
3294	45	326	1	98	92
3295	46	327	2	99	93
3296	47	328	3	100	94
3297	48	329	4	101	95
			32. Olym.		
3298	49	330	1	102	96
3299	50	331	2	103	97
3300	51	332	3	104	98
3301	52	333	4	105	99
			33. Olym.		
3302	53	334	1	106	100
3303	54	335	2	107	101
3304	55	336	3	108	102
	Ammon.				
3305	1	337	4	109	103
			34. Olym.		

Anni Mundi,	Reg. Juda,	pec. Isr.	Olym.	Urb.	Nab.	pecc. Jud.
3306	2	338	1	110	104	
	Josias					
3307	1	339	2	111	105	
3308	2	340	3	112	106	
3309	3	341	4	113	107	
			35. Olym.			
3310	4	342	1	114	108	
3311	5	343	2	115	109	
3312	6	344	3	116	110	
3313	7	345	4	117	111	
			36. Olym.			
3314	8	346	1	118	112	
3315	9	347	2	119	113	
3316	10	348	3	120	114	
3317	11	349	4	121	115	
			37. Olym.			Anni peccatornm Juda.
3318	12	350	1	122	116	
3319	13	351	2	123	117	
3320	14	352	3	124	118	1
3321	15	353	4	125	119	2
			38. Olym.			
3322	16	354	1	126	120	3
3323	17	355	2	127	121	4
3324	18	356	3	128	122	5
3425	19	357	4	129	123	6

Anni

Anni

Mundi.	*Reg. Juda,*	*pec. Isr.*	*Olym.*	*Urb.*	*Nab.*	*pecc. Jud.*
			39.Olym.			
3326	20	358	1	130	124	7
3327	21	359	2	131	125	8
3328	22	360	3	132	126	9
3329	23	361	4	133	127	10
			40.Olym.			11
3330	24	362	1	134	128	
3331	25	363	2	135	129	12
3332	26	364	3	136	130	13
3333	27	365	4	137	131	14
			41.Olym.			
3334	28	366	1	138	132	15
3335	29	367	2	139	133	16
3336	30 Jo-	368	3	140	134	17
3337	31 has 3	369	4	141	135	18
	mens.		42.Olym.			
3338	1 Joja-	370	1	142	136	19
3339	2 kim.	371	2	143	137	20
3340	3	372	3	144	138	21
3341	4	373	4	145	139	22
			43.Olym.			
3342	5	374	1	146	140	23
3343	6	375	2	147	141	24
3344	7	376	3	148	142	25
3345	8	377	4	149	143	26

Anni Mundi	Reg. Juda	pec. Isr.	Oly.	Urb.	Nabon.	pec. Jud.
			44. Olym.			
3346	9	378	1	150	144	27
3347	10 Je-	379	2	151	145	28
3348	11 cho- nia 3. mens.	380	3	152	146	29
3349	1 Zede- kia.	381	4	153	147	30
3350	2		45. Olym			
3351	3	382	1	154	148	31
3352	4	383	2	155	149	32
3353	5	384	3	156	150	33
	6	385	4	157	151	34
3354			6. Olym.			
3355	7	386	1	158	152	35
3356	8	387	2	159	153	36
3357	9	388	3	160	154	37
3358	10	389	4 47. Olym.	161	155	38
3359	11	390	1	162	156	39
3360	12		2	163	157	40
			3	164	158	

CA-

Caput XVII.

De Prophetis majoribus.

SEqvitur tertia pars Codicis Hebræi, qvæ titulum habet ejusmodi: נביאים אחרונים *Nebiim acharonim*, Prophetæ posteriores, à נביא *nabi*, Propheta & אחרון *acharon*, posterior. Posteriores autem hi Prophetæ dicuntur ratione temporis, qvòd hi illis successerint, qvamvis Esaias tempore priorum Prophetarum, qvô Hiskias regnavit, vixerit. Sed voluerunt Doctores Hebræi in hanc sectionem compingere omnium Prophetarum scripta didactica, ab historicis libris nonnihil separata. Sunt autem Prophetæ omnes Hebræis alii majores: alii minores: divisione factâ non ab auctoritate, genere dicendi, vel præstantia, qvippe in his omnes Prophetæ fuerunt æqvales, qvia ab eodem Deo omnes vocati ad hoc officium, eôdem spiritu Prophetiæ ditati. Sed majores vel minores vocantur à qvantitate voluminum, vel librorum, qvorum hi breviora: illi copiosiora & pleniora scripta post se reliqverunt. Majores numerantur tres: Jesaias, Jeremias & Ezechiel, Daniele huic numero per magnam injuriam exemptô, qvi meritô debebat majoribus annumerari, & locum ratione temporis post Ezechielem obtinere. Majorum ergo Prophetarum primus est Jesaias.

De JESAIA.

Esaias Latinè corruptiùs, Hebr. pleniùs dicitur ישעיהו *Jeschamjahu*, salus Domini, aut Dominicæ salutis Doctor, nomine compositô ex ישע *Jischang* salus, & nomine Jehova vel Jah, qvod præ ceteris plenus sit consolationum, & piis gnomis refertissimus. Propheta est magnæ autoritatis, qvi citatur in sacris, 2. Paral. XXXII. 32. dicitúrqve historiam Regis Hiskiæ scripsisse. Videtur uxoratus fuisse, qvia cum filio Regi Achab jubetur occurrere, Jesa. VII. 3. Fuit hic Propheta filius Amos, qvem fratrem Amasiæ fuisse aliqvi suspicantur, sic non solùm ex tribu Juda; sed etiam ex regia stirpe fuisset. Unde Messiæ se carmen condere ait, qvem דודי *dodi* patruelem dilectum vocat, Jesai. V. 1. Nisi voce דוד *dod*, in genere Deum sibi carissimum denotare voluerit. Functus hic est Propheticô munere sub 5. Judæ regibus, Uziâ, Jotham, Achaz, Hiskiâ & Manasse: cúmqve qvatuor priorum regum tempus extendatur ad CXIII. annos ideò consentaneum est, hunc Prophetam centum vel ad minimum LXXX. annos docuisse, vel etiam plures. Cúmqve hisce regibus Judæ, σύναρχοι fuerint Jeroboam, Zacharias, Sallum, Menachem, Pekaja, Peka & Hosea reges Israëlis: ideò horum omnium impietatem expertus (qvamvis Hierosolymitano regno Doctor fuerit destinatus) vidit regum Israëlis interitum, spectavit sub Hosea regni Israëlitici non solùm interitum, sed etiam X. tribuum in captivit. per Salmanassarem in Assyriam abductionem. Constat hujus Prophetia capitibus

LXVI.

LXVI. qvæ in tres partes divisa ostendunt Prophetam populum suum in prima parte docere: in secunda Monarchia Senacheribum Jerusalem obsidere, in tertia autem parte capitivitatem Babylonicam tractare, subinde magnis consolationibus & vaticiniis de Christo insertis. Sex capitum priorum conciones sub Uzia habuit; Jesai. VI. 1. Ceterorum capitum doctrina usqve ad c. XXXIII. sub Achaz, à c. XXXVI. usqve ad finem libri conciones habitæ fuerunt, sub Hiskia, qvi c. XXXVII. ad Jesaiam mittit legatum Eliakim aulæ suæ magistrum & Sebnam cancellarium cum senioribus sacerdotum. Factus erat Hiskias tributarius Senacheribo 2. Reg. XVIII. 14. à qvo cùm defecisset Hiskias, Senacherib ingentem exercitum mittit contra Jerusalem, qvem Jesaias vidit oculis suis per angelum Domini occisum, qvod fuit miraculum omnium maximum in re bellica. Cæsa sunt centum octuaginta qvinqve millia militum in exercitu Senacheribi, Senacheribô fugâ sibi consulente, & fugiente in Niniven, ubi cùm adoraret in templo Nisroch Dei sui, à filiis suis Adrimelech & Saresar confoditur. Regnat post Senacheribum Esarhaddon, Jesai. XXXVII. 38. Adfuit Jesaias Hiskiæ peste decumbenti, qvam emplasmate ficuum sanavit, vitæqve ejus annos XV. addendos promisit. Defunctô Hiskiâ, tempora Manasses attigit, à qvo serrâ † dissectus dicitur, ut Hebræi magnô consensu tradunt, suffragante Lyra in c. XXI. secundi Regum. Et Luth. in præfa. in Jesa. qvòd Jesaias habitus fuerit Manassi pro seductore & hæreti-

† Vide supra p. 160.

retico, qvi regis Idololatriam intrepidè damnavit. Fuit omnium Prophetarum eloqventissimus, qvod ex Prophetia illius apparet, plura de Christo prædixit, qvàm alii; & qvidem tam perspicuè, ut Euangelistam, non Prophetam egisse videatur; qvi passionem Christi adeò graphicè descripsit; ut ejus spectator, non tantùm pronunciator fuisse credatur. Qvod supra admonitum fuit, id nunc ferè circa singulorum Prophetarum nomina considerandum venit: nomina ipsorum ut plurimum composita esse ex Dei nomine, in initio, vel fine dictionis, ad expressam aliqvam actionem, vel qvalitatem officii sui notandam, ut & mente, & omnibus suis conatibus in Dei familiam transivisse credantur. Deinde notetur & hoc: Nomina propria Prophetarum aut aliorum virorum, feminarúmqve in Græca vel Latina versione multum discrepare à scriptione nominum propriorum in sermone Hebræo. Facta autem est illa corruptio propter faciliorem pronunciationem istorum nominum in aliis lingvis, qvam pronunciationem Hebræi sermonis suâ proprietate asseqvi non possunt.

De JEREMIA.

Hebraicè ירמיה à celsitudine vel altitudine Jehovæ dictus. Nam רום *rom*, altum, at יה *jah*, Deum significant, qvòd magnalia Dei animô magnô, forti atqve obfirmatô docuit, suásqve persecutiones in officio suo animô æqvissimô sustinuit. Patrem habuit Hilkiam sacerdotem, virum

ſum religioſum, ideò fuit Jeremias ex tribu Levi ortus. Nam ſub Manaſſe & Ammon pater ejus librum legis perditum invenit in templo, & per Sapham pio Joſiæ legendum tradidit, 2. Reg. XXII. 8. Vixit Jeremias ſub 5. Judæ regibus poſt abductas X. Iſraëlis tribus, nempe ſub Joſia, Jehoachaz, Jehojakim, Jehojachin & Zedekia, ad totalem uſqve regni Judæ everſionem, ultra 100. *annos poſt Jeſaiam.* Sicut autem Jeſaias vidit regni *Samariæ* everſionem; *ita Jeremias intuitus eſt regni Jeroſolymitani & templi deſtructionem.* Fuit in officio hoc docendi ultra annos XL. Nam annò Joſiæ XIII. à Deo vocatur ad munus Prophetandi, Jer. I. 2. Continuavit hoc munus ad ultimum uſqve annum Zedekiæ. Sub Joſia functus eſt munere annis XVIII. tribus autem menſibus ſub impio Jehoachaz, annis XI. ſub impio Jehojakin; tribus menſibus ſub impio Jehojachin ſeu Jechonia: annis verò XI. ſub Zedekia. Si hiſce annis addantur illi, qvibus concionatus eſt in Judæa relictis colonis, apparebit, eum concionatum fuiſſe per LXXVII. annos. Textus apud Prophetam ordine nonnihil confusò collecti ſunt. Nam ea, qvæ geſta ſunt ſub Joſia, ſæpe illis, qvæ ſub Zedekia acciderunt, poſtponuntur, ut c. XXIV. 3. & c. XXI. 1. Sic hiſtoria Gedaliæ c. XLI. præponitur hiſtoriæ capti atqve excæcati Zedekiæ c. LII. Etſi verò hiſtorica confuſius tractantur, tamen à c. I. uſque ad XX. conciones ſub *Joſia* habitæ, ordine recenſentur. *Diſceptavit* ſub hoc rege cum ſacerdotibus, ſucceſſioni ordinariæ, & loco ſupra modum tribuentibus: & c. VII. 4. *templum Domini, templum Domini,* clamantibus

tibus. Contra Aſtrologos, qvi ex conſtellationibus cæli populum terrebant, docuit c. x. ſacerdotes illi perniciem meditabantur, c. XVIII. 18. Regi Jehojakim prædicit LXX. annorum captivitatem c. XXV. Difficilimam muneris functionem habuit ſub Zedekia. Nam tempore illius ter legitur incarceratus, (1,) à Paſchur ſacerdote præfecto Domus Jehovæ, c XX. 1. 2. à qvo percuſſus qvoqve fuit, (2.) à Zedekia, qvia dixerat civitatem tradendam in manus Regis Babel, imò in ipſa urbis obſidione carcere detinebatur c. XXXII. 2. 3. c. XXXVII. 15. cùm veluti transfuga ad Chaldæos accuſatur. Multum negotii fuit Jeremiæ cum Zedekia rege, cui, qvemadmodùm & aliis multis regibus, vincula mittit, c. XXVII. 2. 3. in ſignum certum futuræ captivitatis. Mittit regi librum per ſuum amanuenſem Baruch, in qvo Rex lectis qvatuor pagellis, cultrô illum conſcidit, & in ignem conjecit, c. XXXVI. 23. Diſceptat cum Hanania Propheta mendace, qvi inani ſolatiô populum contra Babyloniorum adventum tutum reddere conabatur, c. XXVIII. 1. ſ. Zedekiâ verò occiſô Nebucadnezar mandavit, ut liberum eſſet Prophetæ ire ad captivos in Babylonem, vel manere cum reliqviis in Judæa: poſterius autem Propheta maluit, c. XXXIX. 11. Nam à duce exercitus Babylonici Nebuſaradam donatur viaticô, & liberatur ex carcere, c. XL. Adjunxit ſe Gedaliæ, cum qvo in terra Juda habitavit, c. XL. 6 Cùm Jochanan autem reliqvias populi ad apoſtaſiam concitaret, ut relictâ Judæâ in Ægyptum irent: Jeremias diſſvaſit qvidem, c. XLII. ſed tamen furioſô Azariæ impetu ipſe
Je-

Jeremias cum Baruch ſcriba in Ægyptum abripitur, ubi Idololatriam populi arguens, teſte Hieronymô, lapidibus dicitur obrutus. Prophetia ejus abſolvitur capitib. LII.

De *EZECHIELE.*

Hebraicè ſignificantiùs & pleniùs ſcribitur יחזקאל *Jechesſekiel*, ac ſi dicas: fortitudo Dei à חזק *chesſeck* robur & אל *el* Deus. Filius fuit ſacerdotis Buzi. Cùm enim Jeremias ſvaderet deditionem c. XXI. jam factâ rebellione à Judæis, à Babylonio capitur Urbs annô 3. Jehojakim, Dan. 1. 1. Et multi in Babylonem abducuntur. Ideò vel hôc tempore ipſe Ezechiel eò fuit tranſlatus; vel ſub Jechonia, qvi aliàs Jehojachin, cujus tempore flos populi judaici abducebatur. Cùm verò Ezechiel abduceretur, nondum fuit ad munus Propheticum vocatus. qvintô enim annô capti Jehojachin primùm fit Propheta, Ezech. 1. 3. Exegit vitæ terminum in captivitate Babylonica, ideò ſuas conciones dinumerat per annos captivitatis Jehojakin. Nam annô 5. Jehojachin captiv. declaratur Propheta à Deo, c. 1. 3. Annô autem X. captivit. prophetabat contra Pharaonem, c. XXIX. 1. Annô 11. ſui capti regis prædicit Tyro excidium, c. XXVI. 1. & iterum Pharaoni, c. XXI. 1. Annô 12. plangit Pharaonem, c. XLII. 1. ſed annô 25. captivit. oſtendit reſtaurationem civitatis Jeruſalem & templi, qvô populum captivum ſuæ gentis efficaciſſimè conſolatur: ideò per omnes ſuas conciones agit, vel de interitu

Rerum

Rerum publ. vel restauratione Jerusalem. De interitu qvidem tàm regni Judæ, (in qvo regem Zedekiam abducendum prædicit, & regni Samariæ totalem eversionem, qvod nominibus Aholiba & Ahola figuravit, & morte Uxoris Ezechielis confirmatur c. xxv.) qvàm eversione aliorum vicinorum regnorum in pœnam, Tyri, Moabitarum & Ægypti. Hanc partem tractat usqve ad xl. c. Inde ad finem agit de reparatione Urbis & templi Jerosolymitani, qvam singulis dimensionibus Urbis & templi dimetitur. Parabolis & Ænigmatibus hic Propheta cum primis gaudet, qvibus suas conciones proponit, ideò pauciores historiæ circumstantias tractat, qvō nomine illius conciones nobis obscuriores adparent: Absolvitur totus liber xlviii. capitibus.

CAPUT XVIII.

De Prophetis minoribus.

MEmbrum alterum hujus sectionis tertiæ agit de Prophetis minoribus. Vocârunt autem Hebræi Prophetas minores à qvantitate seu à paucitate pagellarum, qvibus illi continentur. Conciones enim illorum pauciores exstant paucis comprehensæ pagellis, qvàm ut integros libros constituere qveant. Hos Hebræi Doctores uno titulô comprehendunt, & vocant תריסר *theresar* voce Chaldaicâ ex duabus compositâ. Nam Chaldæis תרי *there* idem significat qvod שנים *schenajim* duo & תרי *theri* æqvivalet Hebræo שני *schene*

ſchene duo. Pars altera vocis עסר *aſar* Chaldaicæ reſpondet voci Hebrææ עשר *aſchar* decem, in voce Chaldaica ש *ſin* in ס *ſamech* commutatô; qvòd Chaldæi ש *ſin* per punctum ſiniſtrum non agnoſcant, ſed pro eo ſimpliciter ס *ſamech* ponant. Sic autem hi Prophetæ minores nominabantur jam antiqvitus, ideo Eccleſiaſtic. XLIX. 2. votiva oratio memoriam Illorum fauſtam eſſe jubet, qvòd ſinguli illi Prophetæ Iſraëlem fuerint conſolati.

Horum primus eſt HOSEA, Heb. הושע *Hoſcheang*, ſalvator à ישע *jaſchang* natus eſt patre Beëra, qvi cujuſmodi fuerit, ſcriptura non habet. Tempus, qvô officiô functus & conciones ſuas habuit in titulo aſſignavit per reges nominatos in utroqve regno Judæ. Reges Judæ numerat 4. Uziam, Jotham, Achaz, Hiskiam, cúmqve hi regnârint annos 113. Unde ſi initium ab Hoſea factum dicatur concionum à medio tempore Uziæ & Hiskiæ, ad minimum tribus annis aſſumptis, colligitur, docuiſſe 70. annis. Iſraëlis regem nominat Jeroboam ſecundum, filium Joas, qvô nominatô & annis vitæ ejus ad Hiskiam extenſis, ſeqvitur Hoſeam docuiſſe ſub Hiskia, ſed Iſraëlis regibus: Jeroboam, Zacharia, Sallum, Menachem, Pekaja, Peka & Hoſea, omniúmqve iſtorum, non ſolùm impietatem; ſed etiam x. tribuum Iſraëlis abductionem vidiſſe. Hiſtoria regum tàm Judæ, qvàm Iſraëlis collata, & rebus in gubernatione eorum expenſis videre eſt, in qvæ tempora Hoſeas inciderit, & qvæ vitia in Politia & Eccleſia Prophetæ taxanda fuerint. Unde Prophetiæ ejus rectiùs intelligentur. In-

vehitur maximè in vitia Ephraim, qvod regnum fuit Samariæ, in qvo multa Idololatria exercebatur, ob qvam in Assyriam captivos abducendos incolas prædicit c. VII. 1. & c. XIV. 1. Ideò propriis oculis intuitus est abductionem x. tribuum in regno Samariæ. Illud admiratione dignum in hoc Propheta, qvòd alioqvin castissimus & pientissimus vir jubetur scortum ducere in Uxorem c. 1. 2. Ubi qvæsitum fuit à multis, an facere id jussus sit dormitans in somno seu in visione tantùm? an reverà feminam aliqvam prostitutæ pudicitiæ in uxorem duxerit, sciens, deliberans, ac vigilans? priorem sententiam Hebræi Doctores & multi ex Christianis seqvuntur, qvasi, non verè vigilando id fecerit; sed allegoricè in somno id sibi facere visus sit; Nonnulli arbitrantur Prophetam reverâ & politicè duxisse scortum. Lutherus ibidem utramqve sententiam rectè improbat, & docet Prophetam honesti viri Gomer filiam duxisse uxorem, ac ex ea honestos libros procreâsse, posteà verò jussu Dei, uxorem legitimam ante honestè ductam, & liberos ex legitimo toro natos, coram populo scortum & spurios ad significandum Israëlis divortium à Deo, vocâsse. Dicuntur enim ipsi liberi ex uxore ducta procreati spurii esse, qvi spurii esse nullâ ratione potuerunt, qvia ex legitimo matrimonio nati fuerunt. Qvam proinde ob caussam Hoseæ liberi spurii dicuntur: ea de caussa Uxor qvoqve illius scortum vocatur. Sed illi σημαντικῶς; non κατὰ γένεσιν sunt spurii: ideo tantùm σημαντικῶς uxor Hoseæ est scortum, ut μυστικῶς notaretur populi apostasia, qvemadmodùm

modum nomina liberorum ex hoc conjugio susceptorum idem comprobant. Prophetia Hoseæ constat capitibus XIV.

JOEL secundus, Hebraicè יואל incipiens seu inceptator. Pater hujus vocatur Pethuel c. I. I. qvi cujus conditionis fuerit, ignoratur. Tempus, qvô docuerit, qvamvis non annotaverit, ex concionibus tamen ejus apparet, eum ante primam Jerusalem vastationem vixisse; qvia c. II. adventum hostis Aqvilonaris (Babylonii) prædicit, qvem Assyrium fuisse constat, qvi ex Aqvilone in Judæam irrupturus erat. Propheta est egregius & magnæ auctoritatis, à qvo Petrus exordiri N. T. conciones voluit, in Actis Apostolicis, c. II. 16. & ex qvo Apostolus Paulus articulum justificationis exstruxerit. Rom. x. 13. Comminatur annonæ caritatem hostis, ac Doctoribus justitiæ adventum, & gentium judicium in valle Josaphat prædicit. Capita habet secundum Hebræos IV. at secundum Latinos III.

AMOS tertius est minorum Prophetarum: Heb. עמוס *Amos* ab עמס *Amas* onerando, seu gravando nomen habet, forsan nomine hôc factô à vehementioribus concionibus, qvòd singularem præ aliorum Prophetarum concionibus habeant acrimoniam. Genus vitæ in juventute sectatus est pastoritium, fuit enim pecuarius seu armentarius inter pastores מתקוע *mithekoa* ex Thecoa. Thecoa autem pagus fuit sesqvimilliari distans à Jerusalem, pagus in tribu Benjamin ignobilis qvidem; sed ob insignia pascua & rem pastoritiam satis celebris, ad qvem plurimi pastorum confluebant. Amos igitur est Thecoites c. I. I. & c. VII. 14.

14. qvi à pecoribus ad munus prophetandi vocatur. Deus nominat reges, qvorum tempore docuit, Uziam & Jeroboam II. qvorum ille LII. hic in Israël XLI. annos imperavit. Sub his regibus concionatus fuit annis XL. ante X. tribuum ex Samaria in Assyriam abductionem. Cœpit concionari II. annis ante illum horribilem terræmotum in Judæa, Amos I. I. qvi cùm diutiùs duraret, fugerunt habitatores terræ, Zach. XIV. 5. Peculiariter mittitur in Samariam, ut regnum Israël ad pœnitentiam reduceret, qvi etiam ob acres conciones jussu Jeroboam per Amasiam sacerdotem in Bethel, relegatur ex regno Israëlis & in Judæam pellitur. Creditur à veteribus fuste fullonis ab Amasia sacerdote occisus esse, Am. VII. 13. Capita sunt IX.

OBADIAS ex minoribus Prophetis qvartus, Heb. עבדיה *Obadjah* ab עבד *Obed* servus, vel opus, & Jah Deus, q. d. servus Dei aut singulare opus Dei. Videtur enim nomen accepisse ab officio, qvòd fuerit industrius Dei minister. Qvô verò patre natus & sub qvibus Regibus docuerit, non annotavit. Ex filo autem hujus prophetiæ apparet, qvòd tum prophetaverit, cùm populus Judæus abduceretur in captivitatem regni Judæ. Tum enim Edomitæ, contra qvos hæc prophetia est directa, in bivio stantes vinctis fratribus Judæis illudebant, & unà cùm hostibus domos Jerusalem ingressi sorte eas & bona reliqva inter se dividebant. Prophetia caput habet unum.

JONAS qvintus est, Heb. יונה *jonah;* Columba, à mansvetudine & facilitate morum sic videtur dictus. Filius fuit Amithai, vel Prophetæ Amethai,

thai, vel alius cujuſpiam celeberrimi Viri. Sub qvibus autem regibus vixerit, ipſe qvidem non annotavit. Hiſtoria tamen regum libr. 2. c. xiv. 25. narrat fuiſſe de Jath-Hajepher civitate in tribu Zabulon: ideo Judæum eſſe ſe in ſua Prophetia apertè inqvit. Qvòd verò prædixerit ſub Jeroboam ſecundo terminos terræ Iſraëlis, per Hazaël regem Aſſyriæ ſub Jehoachaz Iſraëlis rege, ex eo colligunt nonnulli, qvòd vixerit ſub Jeroboam, rege Iſraëlis. Scaliger firmiſſimè colligit, Jonam vixiſſe ſub Joas rege, f. 68. ad Euſebium, Ejus verò Prophetiam de reſtituendo termino Iſraëlis tempore Jeroboami II. coætanei Amaſiæ fuiſſe adimpletam. Functus igitur eſt officiô Jonas Prophetæ, ut verè colligitur, ſub Joa, poſteà miſſus extra Judæam in Babylonis tractum Niniven, ubi ſedes erat Monarcharum Aſſyriacorum, ut regi Aſſyriæ (qvi ut ex Chronologia probatiſſima conſtat tum fuit Sardanapalus ultimus Aſſyriorum Rex, poſtqvàm Aſſyriæ regnum ſtetiſſet 1360. annos; annô 61. à diluvio ad initium Aſſur computatô, Scalig. de Emend. temp. f. 39. Sardanapalo autem regnum eripuit Arbaces Medus & tranſtulit illud ad Medos, qvi regnârunt 240. annis) & ſubditis ejus interitum annunciaret, niſi actâ pœnitentiâ ad Deum redirent. Jonas initiò perſvaderi non poterat, ut ad gentes in Septentr. in Niniven iret, ſitam verſus ortum: ſed fugit ad occaſum in Tharſum Græciæ, ne inter Judæorum hoſtes doceret, ſed mirabili Dei animadverſione retractus extruditur ad Ninivitas. Nam deglutitus à Balæna cùm fugeret, poſt triduum vectus per 250. milliaria in

qvæ funditus erat deleta. Habet hæc Prophetia capita VII.

Septimus eſt NAHUM נחום *Nachum*, Concionator vel pœnitentiæ Doctor. Utrumqve enim נחם *Nicham* Hebræis ſignificat: conſolari & pœnitere. Annum, qvô docuit, & ſub qvibus regibus vixerit, hic Propheta non aſſignavit. Ex Prophetia autem, qvam direxit adverſus Niniven, qvam delendam exemplô urbis No ſive Memphis aut Alexandriæ in Ægypto antiqvæ prædixit: apparet Prophetam hunc concionatum fuiſſe poſt abductas x. tribus Iſraëlis paullò ante regni Judæ captivitatem. Ideò titulum ſuis concionibus hunc præfixit; *Prophetia Ninive.* Voluit enim Judæos abducendos interitu & ruinâ Ninives conſolari c. II. 8. & c. III. 7.

HABACUC Octavus Hebr. חבקוק *Chabakuk*, amplexator ſeu concionator conſolatorius *ein hertzer, halſer*, ſeu tenaciſſimus obſervator verbi divini à חבק *chabak*, amplexari, in ſinum recipere, tertiâ radicali repetitâ. Hinc neqve parentes, qvibus natus, neqve reges, ſub qvibus docuit, conſignavit. Fabuloſè in fragmentis Habacuc hic Propheta Danieli in fovea latitanti cibum attuliſſe narratur. Propheta enim Habacuc fermè 100. annis ante captivitatem in Judæa vixiſſe, ex eo colligitur, qvòd adventum Babyloniorum hoſtium antè prædicat, c. I. 6. Illorúmqve immanitatem deſcribat, populum Domini in ſpem liberationis erigens. Capita hujus prophetiæ ſunt III.

SOPHONIAS Nonus Propheta minor, Hebr. צפניה *Zephunjah*, ſecretarius Domini, à יה *jah* & צפן

צפן *zaphan* occultavit aut ſtudiosè verba Domini aſſervavit. Propheta hic & patrem, qvô natus, & tempus, qvô docuit, ipſemet annotavit. Natus eſt patre Chuſi, virô ſuô tempore ſatis celebratô, de qvo tamen non conſtat utrum ordinis Levitici fuerit. Prophetavit verò tempore Joſiæ Regis Judæ, poſt abductas x. tribus Iſraëlis, paullò ante Judæ captivitatem. Joſia enim XXXI. annos, Jehojakim III. menſes, Jechonias annos XI. Zedekias ſimiliter XI. regnavit, unde vix XL. annos ante captivitatem docuit, vel munus ejus docendi ferè ad captivitatem uſqve Judæ fuit extenſum. Tempus enim ab initio Joſiæ ad finalem deſtructionem non multum excedit annos LIII. Minatur autem Judæ, propter cultum idololatricum, exilium: poſteà prædicit interitum Ninivæ in vindictam à Deo immittendam rapaci urbi, c. II. 8. Prophetia capita habet III.

HAGGÆUS decimus minorum Prophetarum Hebr. חגי *chaggai*, feſtivus, aut feſtum celebrans à חג *chag*, feſtum, cum Jod in fine nominum propriorum formativo, forſan ex eo ita dictus, qvòd templi Hieroſolymitani ædificationem poſt captivit. maximè urſerit cum Zacharia. Prophetare cœpit annô II. Darii Nothi Perſici Imperatoris 100. annis poſt ſolutam captivitatem uſqve ad annum II. Darii Nothi intercedunt anni CVII. Non eſt hic Darius Babylonici regni, qvod ſub Belſazer omnino deſiit, Dan. v. ſed eſt Darius Imperator Perſicus: monarchia enim tranſlata erat ad Perſas; cùm in Perſia poſt Cyrum Cambyſes, Schmerdis, Darius Hyſtaſpis, Xerxes, Artaxer-

taxerxes Longimanus, Darius Nothus, Artaxerxes Memor, Achos, Arſes, Darius, deniqve Codomannus regnaverunt. Propheta igitur hic tempore Darii Nothi poſt ſolutam captivit. CVII. annis prophetavit: tot enim ſunt ab initio Cyri regni Babylonici (nam in Perſia jam XXIX. annos regnaverat, priusqvàm caperet Babylonem) usqve ad Darii Nothi (CVII. anni, à qvo ad Darium Codomannum victum ab Alex. Magno ad Gangammela ſunt anni XCIII. Scaliger de Emend. temp. f. 558.) Docet Haggæus gloriam poſterioris templi, in qvo appariturum eſt deſiderium gentium, fore longè majorem, qvàm gloria fuit prioris templi. Prius templum ſplendore ſtructuræ excellebat: at poſterius ſtructurâ eſt vilius, adventu autem Meſſiæ eſt ſplendidius. Ideò non pauci ſeniores, qvi priorem ſtructuram ante captivitatem viderant, conſpectâ novâ formâ templi acerbè fleverunt Eſdr. III. 12. Intercedunt autem à caſu Zedekiæ, ſub qvo primum templum fuit exuſtum ad ſecundum annum Darii Nothi CLXXVI. anni, qvô intervallô omnes captivos mortuos eſſe nec qvemqvam ex reducibus priorem templi ſtructuram vidiſſe qvidam arbitrantur; ſed contrarium eſt, Hagg. II. 4. *qvis ex vobis eſt*, &c. qvod clariùs narratur, Eſdr. III. 12. complurimi ſacerdotum Levitarum, principum & ſeniorum populi, jactis novi templi fundamentis fleviſſe dicuntur, qvi viderant priorem domum. Capita prophetiæ duo ſunt.

ZACHARIAS undecimus eſt Hebr. זכריה *Secharjah*, memoria Domini à זכר *Secher* & יה *jah*.

Propheta hic & parentem & tempus, qvô docuit, annotavit. Natus fuit patre Berechiâ Zach. I. 1. sed Esd. v. 1. dicitur filius fuisse Iddo, patre binomine existente, vel avô ejus pro patre nominatô. Tempus, qvô docuit, fuit annus secundus Darii Nothi, post solutam per Cyrum captivitatem annô CVII. Unà enim cum Haggæo collega docet, & templi structuram urget. Qvales autem se Judæi gesserint ad multas Prophetæ admonitiones, id Propheta indicat, c. VII. 11. qvòd scapulam aversam ostenderint Prophetæ, qvod factum est annô IV. Darii Nothi, cùm jam biennium templum ædificarent. Prophetia habet capita XIV.

MALACHIAS fuit ultimus minorum Prophetarum Hebr. מלאכי *Malachi*, trisyllabum, Nomen sortitus à מלאך *malach*, nuncio, qvod fuerit vicinus nunciator, י in fine afformativum est proprii nominis. Hic nec parentem, qvô natus, nec tempus, qvô docuit, adscripsit: consensu autem omnium fuit ultimus Prophetarum. Qvantô autem intervallô Zachariæ successerit, exactè non habetur: Non longè verò ante Nativitatem Messiæ hunc vixisse ex eo colligitur, qvòd c. III. 1. פתאם subitò, vel mox ad templum suum venturum Dominatorem Messiam dicat. Hieronymus suô consiliô scribit ad Paullam & Eustochium, Judæos arbitrari, Malachiam scribam fuisse Esdræ; sed tempora non concordant. Nam Esdras tempore Cyri dimittentis populum vixit. Deinde centum annis pòst Haggæus & Zacharias vixerunt; post hosce demum

vixit

vixit Malachias, ideò ſcriba Eſdræ eſſe non potuit. Communiter ſtatuitur c c. aut c c c. annis nativitatem Chriſti præceſſiſſe. *A ſecundo autem anno Darii Nothi*, qvô egreſſum eſt plenariè verbum Dei tum per Prophetam Haggæum & Zachariam, tum Imperatorem Perſicum de ædificando templo & urbe Jeruſalem ad vaſtationem Politiæ Judaicæ ſunt c c c c x c. anni, ſeu L x x. hebdomades à Daniele præſcriptæ.

Omnes minores Prophetæ dividi poſſunt vel ex ſubjecto vel adjuncto, Ex ſubjecto qvidem, ubi & qvô locô docuerint, & ad qvas conciones ſuas direxerint. Alii enim ſuas conciones ad gentes habuerunt, ut Jonas & Nahum, ad Niniven: Obadias ad Edomitas. Ceteri ad populum Judaicum vel regni Samaritani, vel Jeroſolymitani.

Deinde ab adjuncto tempore diſtributi Prophetæ, alii ante captivitatem Babylonicam docuerunt, alii poſt deſtructum templum & reductam captivitatem, ut Haggæus, Zacharias & Malachias. De tribus Prophetis expreſſè legitur, qvòd fuerint uxorati, Eſaias c. VII. 3. Ezech. c. XXIV. 15. Hoſeas c. I. 2.

C A-

CAPUT. XIX.

De qvarta sectione Hebræi codicis.

QUartum חלק *Chelek* membrum seu pars codicis Hebræi hanc habet inscriptionem ספר כתובים *Sepher Cethubim*, liber scriptorum. Nam à כתב *Catab* scripsit, est nomen כתוב *Catub* scriptus. Vocant autem Hebræi Cethubim scripta divinitus revelata, sed non propheticè visa vel somnô: vel visione; sed qvæ destinatâ operâ certô consiliô aut προαιρέσει, dictante spiritu domini, sunt literis consignata ab homine θεοπνεύστῳ. Prophetiam autem esse volunt, cùm hominem spiritus Dei vel dormientem invadit, vel vigilantem sensibus privat, & extra se rapit, ut in somno, aut visione audiat, aut saltem virum aliqvem videat, hæc vel ista futura secum loqventem. Spiritum autem sanctum esse dicunt, cùm Domini spiritus hominem vigilantem integris manentibus sensibus invadit, ut loqvatur instar aliûs hominis, sed SPIRITU SANCTO ipsum agitante, & verba ejus lingvâ dictante; ut laudes Dei decantet; ita titulum hujus partis plenè scribunt: ספרים: כתובים ברוח הקודש *Espharim cethubim boruach hakkodesch*: libri scripti per Spiritum sanctum. Addunt hîc effecto Cethubim caussam efficientem, qvi est spiritus sanctitatis vel sanctus. Continentur in hac parte libri septem: Psalterium, Proverbia, Job, Esdras, Nehemia, duo Chronicorum, vel qvinqve saltem, si Esdras & Nehemia unum, si itidem Chronica unum, constituunt librum: possunt enim non incommodè ita contrahi.

De

De PSALTERIO.

Pſalterium Hebr. תהלים *tehillim*, laudes, divinæ odæ ſunt, qvibus gratia Dei, vel calamitas hominis decantatur: Sunt Pſalmi verè θεόπνευστοι à Davide θεοπνεύστῳ compoſiti: vel etiam aliis hominibus ſingulari donô Spiritus ſancti præditis. Tehillim laudes vocantur ab *halal*, hinc eſt Tehillah: uſu ſacrô vocandi erant Tehilloth, ſed uſu Doctorum dicuntur Tehillim, formatione maſculinâ, qvam ſacri textus ignorant. Pſalmorum librum complectentem CL. odas, diſtinxerunt Doctores Hebræi in qvinqve חלקים *chalakim* partes. Nam ubi incipit Pſalmus מ"ב hunc titulum præpoſuerunt: ספר שני *Sepher ſcheni*, liber ſecundus: ita ſub initium Pſalmi ע"ג eſt hic titulus: ספר שלישי *Sepher ſchelìſchi*, liber tertius: ad principium Pſalmi צ eſt hic titulus: ספר רביעי *Sepher reſiang* qvartus liber. Deniqve ad initium Pſalmi קז ſic præfigitur: ספר חמישי *Sepher chamiſchi*: liber qvintus. Ita totum Pſalterium in V. ſectiones diſtinxerunt.

De PROVERBIIS.

Proverbia Salomonis Hebr. משלים *Meſchalim*, & formâ rectionis משלי *miſchle*, gnomæ vel ſententiæ, aut aphoriſmi inſigniores pietatis & vitæ nuncupantur. Complectuntur enim veram Ethicam populi Judaici ſeu Eccleſiæ Dei, in qva virtutes & vitia deſcribuntur, qvæ vel ſectanda vel

vel fugienda docentur. Hæc Proverbia capitibus xxxi. exponuntur. Prima capita novem sunt προτρεπτικὰ ad studium virtutis hortantia. Ideo horum capitum textus sunt continuæ & cohærentis materiæ; in reliqvis capitibus sunt mixtæ sententiæ varii argumenti, qvæ ad unum statum aut propositum referri non possunt. Magnam pietatem & sanctimoniam vitæ spirant omnia proverbia Salomonis.

De HIOB.

Job Latinè truncatè, Hebr. plenius איוב *Ijob*, ab איב *ajab* odisse seu hostem esse, qvòd osor & hostis fuerit omnis impietatis & injustitiæ. א omninò est radicale & י. Ideò non potest dolentem aut gementem significare. Vir fuit amplissimæ familiæ & dives pecoris. Qvando autem vixerit prorsus non constat. Vixisse autem ante Ezechielem manifestum est, qvia ab eo citatur, c. xiv. 20. tanqvàm omnium justissimus, qvi justitiâ suâ posset in maximis periculis vitam liberare. Vixit autem in terra עוץ Uz, qvæ est terra Edom, Thre. iv. 21. Hinc reges Edomitici vocantur Uzæi, Jerem. xxv. 21. Videtur autem Job habitâsse in Edom Esavi regione, anteqvàm illa terra nomen Edom ab Esau acciperet. Antiqvissimis enim temporibus illa vocabatur Uz. Hinc colligitur utcunqve, qvòd Job antecesserit Esau, & vixerit ante natum Jacobum & Esau. Permittitur à DEO tentari partim à Satana, partim ab amicis; qvorum ille ulcera infligit; hi Jobum impietatis convincere conantur. Fit interdum

terdum pusillanimis; sed tandem eluctatur Deô sententiam ferente pro illo, qvi etiam omnia amissa locupletiùs recuperavit. Historia hæc dramaticè tractata constat capitibus XLII. Est compositionis metricæ accuratæ & vocabulorum selectorum, ut stylus ejus communem dicendi Hebræorum modum excedere videatur; ab Hebræo tamen idiomate non est alienus.

De DANIELE.

Post Jobum inter Hagiographica numeratur Daniel, perfidià & iniqvitate Rabbinorum, (Galatinus, lib. 1.) qvi Danielem non habent in numero Prophetarum, nec dignantur eum sede Propheticâ, qvia ipsorum impietati & inani exspectationi de futuro Messia plenô ore contradicit, qvi ostendit non solùm venturum Messiam (qvod omnes faciunt Prophetæ) sed adventum etiam certâ temporis periodô circumscribit, intra qvam certò venire, excidi, & opus redemtionis perficere debuit, ut omnino nullus alius Messias sit exspectandus extra terminos adventui Messiæ præscriptos. Venire autem debuit post captivitatem Babylonicam; restauratâ urbe, & templô, ubi verò urbs cum templo per Romanos destruetur, Messias non venit solùm: sed excisus etiam opus redemtionis perfecit. Durationi ergo urbis, & exhibitioni Messiæ præscripsit certum tempus, nempe Hebdomadas septuaginta seu annos qvadringentos nonaginta, qvorum finis erit in excidio urbis. Initium autem à מוצא דבר *moza dabar* egressu verbi, tum Dei per Prophe-

phetas Haggæum & Zachariam, tum Imperatoris Darii Nothi annô II. jubentis templum & urbem restaurare, sumendum. Abductus fuit Daniel unà cum captivis tertiô annô regni Jehojakim. Fuit Daniel de semine regum & principibus Juda Dan. I. 3. Vixit sub Babylonicis regibus minus prosperè, horrendâ adversus socios ejus excitatâ persecutione: sed translatô regnô ad Darium (cùm occideretur Belsazar) sub illo & posteà sub Cyro prosperè egit, Daniel. VI. 28. Plerasqve Prophetias & visiones habuit sub Babylonicis regibus. Nam per hysterologiam c. VII. & VIII. antecedit ordine historicô, qvintum, qvod complectitur res gestas sub Belsazaro Babylonio, reliqvorum capitum materia IX. X. XI. XII. fuit tractata vel sub Dario Medo: sed tantùm Babylonis, vel sub Cyro Persa, tam Persarum & Medorum, qvàm Babyloniorum regibus.

De ESDRA.

Esdra primarius Sacerdos fuit, versatissimus in lege Dei, Esdræ VII. 6. II. 12. & c. X. 10. ortus de tribu Levi (qvæ post defectionem sub Jeroboam tribui Judæ adhæsit) non simpliciter verò Esdra de Levitica fuit tribu: sed de linea summorum Sacerdotum, Esdræ VII. I. Hic vixit in aula Persica. † Non enim venit cum dimissis ex capti-

† *Series Regum Persarum. Regnavit annos Cyrus* 30. *Cambyses* 8. *Darius Hystaspes* 36. *Xerxes* 21.

captivitate ſub Cyro, qvorum Catalogus recenſetur Erdr. II. & Nehem. VII. ſed demum ſub Artaſaſte ſeu Artaxerxe non Longimano, ad Darium Nothum regnante, qvi ſtructuram templi & urbis prohibuerat, Eſdr. IV. 7. 21. & ſeqq. ſed Artaſaſte Memore, qvi poſt Darium Nothum regnavit, is inſiſtens veſtigiis Patris Darii Nothi, Judæis favebat & cultum Dei promovebat, hujus Artaxerxis Memoris annô 7. mittitur Eſdras in Judæam, ut ſtructuram templi & urbis, qvam ſomnolentiùs in Judæa reduces tractabant, urgeret Eſdr. VII. 8. Eſdras igitur cum gratia dimiſſus à rege, muneribus & Satellitibus inſtructus, in Judæam abit annô CLXI. poſt primam dimiſſionem Cyri, urbem plenè reſtituit & politiam conſtituit. Deſcribit enim res ante ſe geſtas, donaria Cyri, c. I. numerum reducum, c. II. prima principia reſtaurationis c. III, commemorat etiam ſub qvibus regibus impedita fuerit ſtructura templi c. IV. & per qvos plenariè conceſſa c. VI. & VII. tandem ſcandalum è Republica removet, dum alienigenæ feminæ per divortium ſeparantur à Judæis, negotiô qvatuor menſibus confectô. Eſd. X. 16. & 17. Hiſtoria Eſdræ abſolvitur capitibus decem.

De

21. *Artaxerxes Longim.* 41. *Darius Nothus* 19. *Artaxerxes Memor.* 43. *Ochus* 23. *Arſes* 5. *Darius Codoman.* 6.

Summa 232. *tot annos duravit Perſica Monarchia.*

De NEHEMIA.

Nehemia filius Chadiæ Judæus, Pincerna fuit in aula Persica, hic annô XIII. post Esdram. annô post primam à Cyro factam solutionem captivitatis, CLXXIV. venit in Judæam. Non est hic Nehemias, qvi cum primis reducibus fuit reversus, Esdræ II. 2. Cùm enim audiret templum qvidem in Judæa perfectum: sed muros urbis adhuc disjectos jacere, impetratâ à rege veniâ, ad tempus (rediit enim in Persiam post duodecim annos Neh. V. 14. in Judæam proficiscitur, &, ut murô urbs circumdaretur, mandat. Vitia Reipublicæ corrigit, immanes exactiones prohibet c. V. alienigenæ feminæ separantur c, IX. distributus populus ut pars una habitaret Hierosolymis, pars altera in urbibus c. XI. per totam Judæam. Revertitur in Persiam Nehemias annô XXXII. Artaxerxis Memoris annis XL. ante victoriam Alexandri M. ideò ad ejus usque tempora continuat historiam, & mentionem facit Manassis, qvi summi sacerdotis Jaduæ Neh. XII. 22. fuit patruelis. Hic Jaduas Alexandro Magno cum toto ordine Sacerdotali factus supplex, tributi ad septennium remissionem & αὐτονομίαν impetravit. Ejecit Nehemias è Republica Judæorum Manassem, filium Jojadæ Sacerdotis summi, qvi non solùm alienigenam duxerat Samballeti Samaritani præfecti filiam Nicaso: sed etiam in odium Hierosolymitanorum Judæorum in monte Garizim, operâ Samballetis, templum aliud excitavit, qvod ducentos annos du-

duravit. Ex hoc dissidio natæ sunt sectæ: פרשים Pharisæorum, צדיקים Sadducæorum & עשים Assæorum, qvorum aliqvi adhærebant Hierosolymitanis, alii Garizæis in religione.

Ceterùm à laxata captivitate ad Darium Codomanum sex summi Sacerdotes fuerunt, Josua, Jojakim., Eliaæsib, Jojada, Jochanan, & Jadua. Sub novem autem regibus Persiæ, unus summus Sacerdos mortuus est: contrà ab Imperatore Artaxerxe Memore usqve ad victoriam Alexandri sub qvatuor regibus, qvinqve summi Sacerdotes fuerunt. Ideò Josua primus post laxatam captivitatem Sacerdos seu summus Pontifex admodùm senuit, & filius ejus fit Pontifex annò à laxata captivitate CVI. Tot enim sunt anni à dimissione captivorum ad templi continuationem sub Dario Notho. Historia Nehemiæ constat capitibus tredecim.

De Libris PARALIPOMENORUM.

Παραλειπόμενα q. d. residua aut relicta vel Chronica seu historiæ temporum Græcè dicta: Hebraicè vocantur דברי הימים *Difre haijamim*, verba dierum, clariùs ita verba Hebræa redduntur: Res gestæ temporum. Nam sicut דברי *difre* non tantùm verba: sed etiam res, negotia & gesta significant: ita ימים *jamim* non tantùm dies: sed tempora qvoqve longa, denotat. Paralipomena igitur sunt difre Jamim, libri historici seu annales rerum Judaicarum in

Ecclesia & politia gestarum: describunt enim regum Judæorum tam Hierosolymis qvàm Samariæ acta & gesta, ubiqve tam Ecclesiæ qvàm Politiæ adumbratô statu. Contexunt enim eamdem eorumdem regum historiam, qvàm libri Regum exposuerunt. Nisi qvòd libri Paralipomenon interdum easdem historias pleniùs, qvàm libri regum recenseant. Faciunt igitur hi libri Chronicorum ad majorem intellectum librorum Regum: ideo non solùm librorum Regum lector remittitur ad Chronicorum: sed etiam Chronicorum lector ad librorum regum lectionem amandatur. Unde sciri neqvit librine Regum an Chronicorum priùs fuerint scripti. Finiuntur autem libri Chronicorum excidiô templi & regni Judæ, sicut libri qvoqve regum, nisi qvòd Paralipomena post septuaginta annorum hiatum ultimis versiculis duobus dimissionem per Cyrum factam ex captivitate narrent. Non autem commemorant hi libri; sicut nec Regum, statum Judæorum in Assyriaca, in Babylonica & in Persica captivitate, qvid actum ibi sit cum gente judæorum in varias oras dispersa usqve ad annum primum Cyri. Habent & hoc peculiare libri Chronicorum, qvòd faciant mentionem Zerubabel & Sealthiel, qvi post captivitatem fuerunt. Cùm libri regum allegant libros Chronicorum & contra, videntur libri Regum antiqviores esse nec hos Chronicorum, qvi jam exstant esse illos, qvi allegantur à libris Regum: sed olim alios Chronicorum fuisse. In his annus primus Cyri non est primus Monarchiæ Cyri: jam enim antè regnaverat viginti octo annos & multa gesserat in Oriente subactis

mul-

multis populis, ob qvam caussam dicit: Dominus Deus cæli dedit mihi omnia regna terræ. Annus igitur vigesimus octavus Cyri est primus annus Regni Babylonici: Tertius autem annus regni Babylonici, fuit ultimus Cyri in hac vita. Obiit enim Cyrus imperii sui annô xxxi.

CAPUT XX.

De tempore, qvô Prophetæ, qvorum hactenus longâ serie facta mentio, vixerint; collati tum ad se invicem, tum ad natum Christum.

HActenus qvatuor sectionum libros sacros eô ordine, qvô in codice Hebræo habentur, consideravimus: consideranda veniunt deinceps, qvæ ad majorem perspicuitatem & intellectum Hebræi codicis faciunt.

Hîc primò sese offert tempus Prophetarum, qvô singuli vixerint ante natum Christum. Ad hanc temporis notationem investigandam necesse est constitui certos terminos à qvo & ad qvem. Terminus à qvo supputandi temporis, qvô Propheta qvilibet vixerit, constituatur templum à Salomone conditum annô 4. regni Salomonici, qvi est annus mundi bis millesimus nongentesimus trigesimus tertius.

Terminus ad qvem est duplex captivitas finita Judæorum & nativitas Christi. Sunt verò anni à condito templo ad finem captivitatis Babylonicæ 490. stetit enim templum 431. captivitas autem duravit 59. annos, inclusis additis annis undecim Jechoniæ, ibi enim initium captivitatis

omnino faciendum: non demum à Zedekia. Terminus alter temporis ad qvem, est Nativitas Christi. Sunt verò anni à laxata captivitate exactissimè computando usque ad natum Christum 530. (multi nativitatem Christi factam esse annô mundi 3970. statuunt. Nam hìc vehementer variant autores & Judæi & Christiani. Vide computum Hebræorum fol. 5. & seqq. Communissima opinio est Christum natum annô mundi 3962.) Anni post solutam captivitatem ad natum Christum coligendi sunt ex seculari historia scriptorum illorum, qvi extra Ecclesiam Dei vixerunt. Nam continua series annorum ab initio mundi ad Christi nativitatem in sacris literis haberi non potest. Exactissimè factâ computatione ab initio mundi ad natum Christum sunt anni 3949. absoluti. Vitam ergo cujúsqve Prophetæ investigaturus, incipe 1. à primo notati temporis articulo, numerans vel ad principium vel ad finem captivitatis secundæ ad natum Christum usqve. Non potest autem semper præcisè haberi prophetarum initium, qvia qvotô annô regis Judæ, vel Israëlis ad Propheticum munus vocati fuerint non omnes Prophetæ annotârunt, ut verò certi aliqvid constituatur, sumi potest initium Prophetæ à medio tempore regni, illius regis, qvem Propheta primò allegat. 2. Computentur anni ad finem captivitatis & nativitatem Christi. Tempus verò qvod est à condito templo Salomonis ad finem usqve captivitatis est annorum 490. (stetit enim templum 431. annos, captivitas à Zedekia capto duravit 59. annos, à Jechonia 70. unde annos captivitatis computamus) & vocari
potest

poteſt hoc tempus Prophetarum tempus, quod pleriſqve Prophetæ intra hoc tempus vixerint.

Invenies autem terminos anteà nominatos per haſce hypotheſes.

1. Templum à Salomone ædificatur annô mundi 2933.
2. Idem templum deſtruitur annô mundi 3364.
3. Stetit ergo templum 431. annis.
4. A condito templo ad laxatam captivitatem ſunt anni 490. qvæ accidit annô mundi 3390.
5. A laxata captivitate ad natum Chriſtum ſunt anni 530.

Laxatur enim captivitas annô mundi 3420 Chriſtus naſcitur annô mundi 3949. 529. completorum diſtantia.

Hypotheſes iſtæ invictis rationibus à Joſepho Scaligero confirmantur, & ſubinde in ſchola Chronologorum ſtabiliuntur, unde magis magiſſqve fiunt clariores. Qvibus ſuffragatur Theatrum Hiſtoricum Chriſtoph. Helvici Profeſſ. in Acad. Giſſena celeberrimi. Nunc de ſingulis Prophetis, qvorum ſcripta in codice ſacro exſtant, ordine dicendum eſt, qvô tempore qviqve vixerint.

E S A I A S.

Incipit docere ſub Uſia, cujus regni medium eſt annus vigeſimus ſextus (regnavit enim annos 52.) vixit Eſaias docendo poſt templi initium 252. ante finem captivitatis 230. ante nativitatem

Christi 759. Huc collimavit D. Lutherus in Chronicis, Tom. IV. Latino Jenensi, fol. 724. Demus, inqviens, Esaiam cœpisse 27. Usiæ, tunc est ferè 32. annorum, & occisum esse 10. annô Manassis, tunc prophetavit 96. annos, & cum eo Hos. 70. vel 60. vel 80. annos, ut patet ex numeris annorum Usiæ, Jotham, Achas & Ezechiæ. Idem ferè sentit Theatrum Historicum Helvici, tabul. 14. Esaiam scil. 80. aut 90. docuisse annos.

JEREMIAS.

Cœpit docere sub Josia annô 13. regni illius. Computatis igitur annis post conditum templum annô 386. ante finem captivitatis 99. ante natum Christum 630.

EZECHIEL.

Cœpit Prophetare annô 5. abducti Jehojakim seu Jechoniæ, idcirco vixit post conditum templum 404. ante finitam captivitatem 65. annis; ante natum Christum annis 625.

HOSEAS.

Docuit sub Uzia, si à medio illius regni computentur anni, vixit post conditum templum 192. ante captivitatis finem 295, ante Christi nativitatem 824.

JOEL.

JOEL.

Non annotavit tempus, qvô docuit, qvia verò regno Judæ prædicit vastationem, ideo aliqvi eum collocant sub Amazia rege Juda. Si igitur à medio regno Amaziæ fit computatio, nempe ab annô 14. (regnavit enim Amazias 29. annos) colligetur Joel vixisse post conditum templum 212. ante finem captivitatis 284. ante nativitatem Christi 813.

AMOS.

Qvia vocatur ad Propheticum munus sub Uzia; ideò factâ computatione, à medio Uziæ regni, vixit post conditum templum 224. ante finem captivitatis 263. ante natum Christum 792.

ABADIAS.

Non annotavit tempus à se administrati muneris: sed qvia v. 10. & 12. reprehendit Edomæos, qvòd captâ urbe Jerusalem, unà cum hostibus ingressi, sorte domos in prædam diviserint: ideò sub Zedekia vel Jechonia vixisse colligitur. Ab an. 11. Zedekiæ si computatio instituitur, prophetavit Abadias annô post templum conditum 431. (tot enim annos templum stetit) Ante laxatam captivitatem 59. annô (undecim enim anni à Jechonia capto jam effluxerant, qvibus additis, captivitas 70. annos duravit) ante nativitatem Christi annis 599.

JONAS.

Neqve hic tempus suarum concionum assignavit. Qvia verò ejus Prophetia de restituendo termino Israëli, per Regem Syriæ Hazaël erepto, adimpleta scribitur, sub Jeroboam secundo, filio Joas; ideò eum sub præcedente Rege Judæ, Joa vixisse omnino consentaneum est, cujus 13. annô cœpit regnare infamis ille Sardanapalus, cujus tempore Jonas ad Ninivitas missus est. Huic Arbaces regnum eripuit: sed urbem Niniven non delevit: verùm Dominium commutavit. Factô igitur initiô à medietate regni sub Joa Judæ annô 20. (regnavit enim 40. annos) Vixit Jonas annô 182. post templum conditum: annô ante laxatam captivitatem 306. ante natum Christum 834.

MICHEAS.

Qvia sub Jotham Judæ docuisse scribitur, sumptô Initiô ab anno octavo, qvi est medius regni Jotham (regnavit enim 16. annos) Micheas vixisse colligetur post conditum templum 257. ante laxatam captivitatem 230. ante natum Christum 759. annis.

NAHUM & HABACUC.

Qvia prædicunt Judæ captivitatem, & Nahum minatur Niniyæ interitum propter abductas 10. Israëlis

Iſraëlis tribus: ideò ſi illis dantur anni centum & qvadraginta ante Judæ captivitatem (nullius enim regis faciunt mentionem in Juda vel Iſraële, ſub qvo vixerint) vixiſſe colligentur poſt conditum templum 287. annis; ante ſolutam captivitatem 200: ante Chriſtum natum 729.

HAGGÆUS & ZACHARIAS.

Qvia anni ſecundi Imperatoris Darii Perſici faciunt mentionem: ideò novam Epocham extraneorum gubernatorum aſſumunt, non ſacram. Computationem igitur hic fieri oportet per Perſicam hiſtoriam; qvæ Monarchiæ Perſicæ 232. aſſignant annos. In qva primus Monarcha Cyrus fuit, qvi primò laxavit Judæorum captivitatem, regnavit is annos 30. aut 31. ſed à plena Monarchia poſtqvàm dimiſiſſet Judæos, tres duntaxat annos Cyrus vixit, regnavit in totum 30. annos. Cambyſes cum Schmerde octo annos, Darius Hyſtaſpis 36. Xerxes 21. Artaxerxes Long. 41. Darius Nothus 19. Artaxerxes Memor 43. Ochus 23. Arſes 3. Darius Codomannus 6. Hic trium Dariorum fit mentio, qvod nomen fuit regiæ dignitatis apud Perſas & Medos. Certum autem eſt ex hiſtoria Eſdræ, fundamenta qvidem templi Hieroſolymitani ſub Cyro jacta fuiſſe: Sed ſub Cambyſe, Dario Hyſtaſpis, Xerxe & Artaxerxe Longimano uſqve ad alium Darium ſtructuram templi fuiſſe impeditam Eſdr. IV, 24. Darius igitur hic, qvi & reſtaurationem templi iterum conceſſit & ſub qvo Haggæus & Zacharias reſtaurationem templi urgent, eſt Darius

No-

Nothus. Effluxerunt autem à Cyro ad annum secundum Darii Nothi, ut Scaliger exactissimè in libro de emendatione temporum colligit, anni 106. Haggæus igitur & Zacharias incipiunt docere post laxatam captivitatem 106. annis. Vivunt enim tantò intervallô post captivitatem. Ideo post primum templum vixerunt 537. annis. Ante natum Christum 422.

MALACHIAS

Prorsus nullum habet Chronologicum indicium, ideò qvô tempore vixerit, exactè colligi omnino non potest. Omnium verò consensus est, ut credatur Malachias non solùm post captivitatem vixisse: sed etiam 300. aut 200. annis, ante natum Christum, vel si conjiciatur in annum mundi 3544.405. ante Christum docuisse deprehendetur, qvod jamjam affuturum Messiam פתאם confestim aut subitò adventurum dicat, Malach. III. I.

Hinc jam facile est colligere, qvi, qvibus Prophetis fuerint σύγχρονοι seu qvi eôdem tempore aut penè diversô vixerint. Horum antiqvissimus & primus est Jonas, ultimus Malachias, si sciretur certum tempus Malachiæ, tum dari posset intervallum inter Jonam & Malachiam. Si igitur detur Malachiam 300. ante Christum annis vixisse, tunc Malachias vixit post Jonam 535. post conditum templum Salomonis vixit Malachias 117. ante Christum natum 301. Jonæ succedit Esaias, cui fuerunt σύγχρονοι & coætanei collegæ Hoseas, Micheas, & Joel. His ferè σύγχρο-

σύγχρονοι fuerunt Nahum & Habacue. Sic ferè eôdem tempore vixerunt Jeremias, Ezechiel & Abadias: coætanei qvoqve fuerunt Haggæus & Zacharias. Jonas autem & Malachias extimi nullos habuerunt coætaneos.

Ut omnia præcedentia dicta vel de anno mundi vel captivitatis, vel nati Christi solidiùs intelligantur, & qvod dictum est, Christum Jesum natum esse annô mundi 3949. hâc inductione nobis opus est.

1656. sunt anni à condito mundo ad diluvium.
292. à diluvio ad natum Abraham.
75. à nato Abraham ad vocationem ejus.
430. à vocatione Abraham, ad excessum ex Ægypto. Hi anni collecti à condito mundo, ad migrationem ex Ægypto, faciunt summam

2453

479. ab Exodo ad conditum templum Salomonis.
428. Hinc ad casum Zedekiæ, & excidium templi.

Hi anni collecti reddunt summam

907.

59. à casu Zedekiæ ad reditum Judæorum ex captivitate Babylonica.
108. Hinc ad edictum Darii Nothi.
259. ad Encænia Judæ Maccabæi.

162.

362. hinc ad natalem verum Christi Jesu filii Dei.
Collecti hi anni à casu *Zedekiæ*, ad natum Christum sunt

588.

Omnes præcedentes anni à condito mundo ad natalem Christi, sunt 3948. Hæc summa firmissimè demonstratur ab illustri viro Josepho Scaligero in lib. de emendatione temporum, vide p. ibi 735.

Controversia est inter Chronologos ἀκριβεστάτως de 3. annis, alii enim natum Christum dicunt annò mundi 3947. alii 48. alii 49. nonnulli 50. Hæc controversia tandem componetur diligenti inqvisitione: nec poterit statui Christus natus annò mundi 3962. vel 64. vel 70. Postrema enim computatio laborat παραχρονισμῷ 22. annorum, qvi nullâ ratione per veras Epochas demonstrari possunt.

Caput XXI.

De Librorum in codice Hebr. clausulis.

Libros sacros Bibliorum plerosqve, doctores Hebræi finiunt clausulis. Aliqvi verò libri nullas habent clausulas, qvales sunt liber Ruth, Esther, Judicum, Primus Samuelis, Primus Regum & Jeremias. Item XI. minores Prophetæ & Nehemias. Reliqvi omnes aliqvam habent clausulam.

Est verò clausula libri sacri adjectio, qvarumdam dictionum à Doctoribus Hebræis facta sub finem alicujus libri memoriæ vel gratitudinis ergo.

Ideò

Ideò ea adjectio est partim μνημονικὴ partim εὐχαριστική. Clausulâ μνημονικῇ complectuntur tam summam versuum in aliqvo libro, qvàm medium versuum, & numerum Parsarum cum sidris memoriæ causâ. Clausulâ autem εὐχαριστικῇ Deo gratias agunt, qvòd libri alicui legendo vel imprimendo sine magno impedimento finem imponere, divinitus concessum fuerit, Interdum utrámqve clausulam conjungunt. Nunc ordine de clausulis eorum librorum agamus, qvorum fini aliqvid præter textum sacrum est appensum. Sic liber בראשית utrámqve habet clausulam: Prior est notata his literis חזק *chesek*, vel חזק *chasek*, fortitudo seu roboravit q. d. Dominus vires & robur librum legendi & absolvendi hactenus suggessit.

Altera clausula habet סכום *Secom*, summam versuum & sidrarum. Ita verò habetur integra clausula Bereschith: סכום פסוקי דספר בראשית אלף וחמש מאות ושלשים ארבעה וסימן א״ך ל״ד וחצי ועל חרבך תחיה ופרשיותיו י״ב אחאב סימן סדריו מ״ג:

Interpretatio hujus clausulæ: summa versiculorum libri Bereschith mille & qvinqve centa (qvingenti) & triginta qvatuor. Et horum signum sunt literæ א״ך ל״ד, qvæ faciunt 1534. tot in Genesi sunt versus. Medium versiculorum est ibi: Et in gladio tuo vives Genes. XXVII. 40. distinctiones sunt duodecim, qvarum signum sunt literæ Achabh. Ordines verò sunt hujus libri מ״ג i. e. 43.

Radi-

Radicum qvarumdam conſideratio.

Verbum סכם Chaldæum eſt, unde סכום ſumma idem qvod Hebræis חשבון פסק ſimiliter Chaldæis eſt finire aut ceſſare, hinc פסוק verſus ſeu ſententia abſoluta & finita, i.e. periodus. דספר Chaldaicè per הספר vel אשר ſolo ſchin ſumtô & mutatô illud in Daleth סמן ſignavit hinc סימן ſignum vel nota. Sic חצי medietas à חצה dimidiavit in duas æqvales partes diſſecuit.

Notatio.

Clauſula hæc habet numerum omnium verſuum, qvi ſunt in Bereſchith. 2. Parſarum. 3. Sidrarum. Singulis partibus adduntur literæ characteriſticæ, qvibus ubiqve numerus deſignatur. Parſæ à ſidris diſtingvuntur, ut partes majores à minoribus. Nam Parſæ ſunt diſtinctiones Sabbathinæ majores. Sidræ verò ſunt capitum antiqvæ diviſiones ſeu ſectiones, qvæ olim apud Judæos longiores, qvàm hodiè capitum ſunt, fuerunt. Habebat enim antiqvitus qvadraginta tria capita Geneſis, nunc diſtincta eſt in 50. In Venetianis Bibliis eſt mendum, in numero verſuum, vitioſum enim in ultima συζυγία literarum numeralium poſitum eſt ך fine pro ד. Nam ſunt verſus tantùm in Geneſi 1534. non verò 2030. Literæ אחאב duodecim notantes, ſunt nomen proprium Regis Iſraëlis, qvæ heic memoriæ cauſsâ ponuntur.

Libri

Libri שמות Exodi clauſula eſt μνημονευτικὴ: סכום פסוקי דספרא ואלה שמות אלף ומתים ו״ט וסימנו א״רט וסדריו י״א ופרשיותיו כ״ט וחצי אלהים לא תקלל Id eſt, Summa verſiculorum, qvi ſunt in libro Schemoth (vel Exodi) mille ducenti & novem; Signum ejus ſunt literæ Arat: ordines verò ſunt undecim: diſtinctiones qvoqve illius ſunt undecim: & Medium (libri ſchemoth) eſt ibi: Diis non maledices Exod. xxii. 28.

Annotatio.

In hoc qvoqve סכום verſuum, diſtinctionum & ordinum colligitur numerus Litera Vau præpoſita literæ Teth numerali non eſt numeri, ſed copulationis. Nempe verſus eſſe in hoc libro 1209. Alias ט״ו qvindecim deſignat in numeratione, atqve tum ſignificativæ literæ Arat, ſi Vau eſſet numerale, numerum verſuum non exprimerent. Nam in hiſce א mille, ר ducentos, & ט novem ſignificat.

Literæ Arat ſunt dictionis אררט alterô ר exciſo, qvô nomine notatur Regio Armeniæ, in cujus montibus ſiccatis aqvis diluvii, arca Noæ ſubſidit, ut omnino dictio ſit ἀξιομνημόνευτος.

Deinde in literis numeralibus, qvibus Parſæ exprimuntur, vitium manifeſtum apparet in exemplari Antverpienſi, & inde deducto Wittenbergenſi, ubi כ״ט ponitur cum כ״ט ponendum fuerat: non enim viginti novem, ſed tantùm xi. ſunt hujus libri Parſæ. Oportet igitur parem hic numerum eſſe id Sidris & Parſis, ut neuter neu-

 trum

trum excedat. Radices ſunt eædem, qvæ in ſuperiore Sechom, ſed רספרה Chaldaicæ formationis eſt, in principio & in fine dictionis pro שספר. Libri ויקרא Sechom eſt duplex: ἀρχαϊκὴ חזק & μνημονευτικὴ, qvæ ſic habet: סכום הפסוקים של ספר זה שמונה מאות וחמשים ותשעה וסימן נט"ף וחציו הנוגע בבשר הזב ע"ח עו"רה i. e. Summa illorum verſuum, qvi in hoc libro ſunt, octingenti & qvinqvaginta novem: & ſignum ſunt literæ נטף (in qvibus ף fin: octingenta, נ qvinqvaginta, ט novem ſignificat) Sint ſanè alicujus viri nomen, vel Radicis נטף ſtillare: medium vocis ibi eſt: tangens carnem ſeminiflui, Levitici xv. 7.

Notatio.

De literis ע"ח & עו"ה, huic סכום annexis diu dubitatum fuit à præſtantiſſimis etiam Hebræis, qvid ſibi velint hæ literæ. Magnus Weygenmeierus in literis ad me, negat ſe ſcire qvid ſignificent: fatetur idem in libro Raſche theboth apertiùs fol. 46. b. cùm inqvit: Hôc ſymbolô clauditur Sechom peſukim libri Levitici, qvid eô innuatur, hactenus eruere non potui. Johannes Buxtorfius Hebrææ Lingvæ in Baſilienſi Academia Profeſſ. peritiſſimus in literis ad me datis, Stochaſmô primò inveſtigare voluit: cùm non ſuccederet, propiùs ad metam collimavit. Nam priores duæ literæ ע"ח numerales, deſignant ſeptuaginta octo: tot enim ſunt verſus in ultima Parſa Levitici. Ideò eundem numerum literis nominis proprii Sacerdotis, qvi tetigit arcam, de-

designari. Dicitur hic עוה Uza 2. Sam. VI. 7. 8. Sed primô Paralip. XIII. 9. scribitur per א עזא, qvæ literæ septuaginta octo denotant, nempe ע 70. ז 7. & א 1. designantibus. Vitiosè igitur ה scribitur in voce עזה, cùm per א scribendum esset. Aliàs hæ literæ initiales versuum numerum in hac Sidra non exprimerent, excedit enim qvaternitate numerus per ה scriptus in voce עזה. Magnô autem studiô Doctores consectantur numerum in qvolibet סכום notare, non solùm literis numeralibus (qvæ mutari & incertæ reddi possunt) sed etiam eundem numerum literis alicujus nominis proprii exprimere, qvòd hoc indicium constantius & immutabilius sit. Sic supra in בראשית numerum Parsarum notârunt, non tantùm י״ב literis, sed etiam Regiô nomine אחאב, sic hôc locô numerus פסוקים in Parsa ultima notatur non solùm numeralibus ע״ח; sed etiam nomine temerarii illius Sacerdotis עזא, qvi audaci curiositate arcam fœderis, plaustrô minante ruinam, attigerat. Et qvia hoc nomen per literam qviescentem ה in fine scriptum reperiatur. & per א: ideò scriptio per א huic signo numerali magìs convenit, per ה autem non convenit. Imperitiâ ergo Chalcographi & correctoris nomen per ה positum fuit pro nomine per א exarato, posterius autem numerum verum expressit.

In hoc Levitici Sechom nulla fit mentio Sidræ aut Parsæ, ideò nulla qvoqve earum indicia per literas adjecta fuerunt. Caussam reddant Doctores Hebræi. Sunt autem in hoc libro novem Parsæ, Sidrarum numerus ignoratur, qvia illum Alexandrienses Judæi per suam capitum distin-

ctionem absorpserunt. Hodie capita habet Levit. XXVI.

Libri במדבר sechom hic est: סכום פסוקי דספר במדבר סיני אלף ומאתים ושמוני ושמנה וסימן "אר"פח וחציו והיה האיש אשר אבחר בו מטהו יפרח וסדריו ל"ד ס"א וסדריו כ"ח ופרשיותיו עשרה: i. e. Summa versuum hujus libri Bamidbar (numerorum) mille ducenti octuaginta octo, & signum sunt literæ ארפח א 1000. ר. 200. פ 80. ח 8. medium autem ejus ibi: c. XVII. 20. Et erit ille vir, qvem elegero, virga ejus florebit: Sidræ autem ejus sunt 32. in alio libro sunt Sidræ ejus 28. sed Parsæ ejus decem sunt.

Et hic Sechom habet numerum Pesukim (MCCLXXXIIX) & numerum Sidrarum, qvarum diversitas hic ostenditur. Nam alia exemplaria distincta sunt in hoc libro in triginta duas, alia in 28. Sidras: qvæ rationem capitum habuerunt: olim enim ante hodiernam distinctionem per capita in Midbar libro distinctio Sidrarum non erat eadem. Diversitatem hanc exemplarium indicârunt literis Rasche ס"א, qvæ sunt initiales literæ harum vocum integrarum ספר אחר i. e. alius liber seu aliud exemplar. Literæ numerales versuum in hoc Sechom, sunt nominis proprii Arphachsad, ultimâ syllabâ resectâ, & כ versô in ח: vel alius nominis proprii sunt hæ literæ.

Ultimò in hac summa continentur Parsæ qvarum sunt decem in hoc libro. Ideo ex hoc loco & superiore perspicuum est, Sidras breviores, Parsas autem longiores esse, qvô fit, ut in eodem libro plures sint Sidræ, pauciores verò Parsæ. Alexandrinorum igitur interpretum, qvi in Ægypto,

Ægypto, tempore Ptolemæi vixerunt, & Biblia verterunt (qvos communiter LXX vocamus) audacia contra antiqvissimam legis Sidrarum distinctionem, multiplicavit numerum capitum, ut hodie 36. habeantur in hoc libro Numerorum capita. Libri הדברים Sechom sic habet: סכום פסוקי דספרא ופסוקי ר דאוריתא בראשית אלף וחמש מאות ושלשים וארבעה ואלה שמות אלף ומאתים ותשעה ויקרא שמונה מאות וחמשים ותשעה במדבר סיני אלף ומאתים ושמונים ושמונה אלה הדברים אלף וחמשים וחמשה סכום הפסוקים של כל התורה חמשת אלפים ותשע מאות וארבעים חמשה:

Versio.

Libri haddebahrim (Deuteronomii) summa versuum, qvi sunt in hoc libro, & versus illuminationis seu legis totius. Bereschith (libri versus sunt) 1534. sed libri Elleschemoth sunt 1209. Libri Vajikra sunt versus 859. Libri Bammidbar Sinai sunt versus 1288. Deniqve libri Haddebharim sunt versus 1055. Summa illorum omnium versuum, qvi sunt in tota lege 5945.

Notatio.

Deuteronomii Sechom non habet numerum Sidrarum, neqve Parsarum, earum, qvæ in hoc ultimo libro continentur: sed tantùm numerum Pesukim, & qvidem primò per μερισμὸν ac πελείωσιν. Per μερισμὸν qvidem: Nam summa versicu-

ſiculorum in ſingulis libris legis numeratur & ſigillatim in Deuteronomii, numerus ponitur verſuum, mille qvinqvaginta & qvinqve. Deinde per τελείωσιν ſeu collectionem partium in unam ſummam, qvot in tota lege reperiantur verſus. Sunt autem qvinqve millia nongenti & qvadraginta qvinqve. Notetur autem Hebræorum dictum תורה vocari à Chaldæis אוריתא illuminationem, ab אור, qvòd Lex Domini illuminet mentem, & diſpellat intellectus tenebras. Tantum de Sechom Legis Moſis: ſeqvuntur aliorum librorum clauſulæ, & qvidem primò שירים clauſula eſt ἀρχαϊστική חזק. qvædam exemplaria habent hanc clauſulam: סכום פסוקים דשיר השירים מאה ושבעה עשר וחציו נרד וכרכום: i. e. Summa verſuum Cantici Canticorum, centum & novendecim, & medium illorum ibi: Nardus & crocum, &c. c. IV. 14.

Sic liber Ruth habet hanc clauſulam: סכום פסוקים של ספר רות שמונים וחמשה וחציו ותאמר רות המואבית i. e. Summa verſuum, qvi ſunt in libro Ruth: octuaginta & qvinqve, & medium eorum eſt ibi, c. II. 21. & dixit Ruth illa Moabitica.

Clauſula Threnorum c. V. 21. eſt γνωμολογική, qvæ repetit ſententiam inſignem textus, ut:
השיבנו יהוה אליך ונשוב חדש ימינו בקדם: סימן יה״קק:

Interpretatio.

Converte nos Jehova ad te & convertemur, innova dies noſtros ſicut antiqvitus.

Signum

Signum ſunt literæ Jod, Thau, Kuph, Kuph. Qvædam exemplaria poſt hanc Gnomologicam ſententiam habent haſce literas, ית״קק qvæ ſunt literæ ראשי notantes eos libros, in qvibus Gnome aliqva ex textu repetitur ſub finem. Nam Jod eſt initialis nominis ישעיהו Eſaiæ Prophetæ, ת verò eſt: תרי עשר duodecim minorum: ק autem prius notat librum קהלת Eccleſiaſten, poſterius autem ק ſignat librum קינות Lamentationum ſeu Threnorum Jeremiæ.

Qvatuor enim hi libri tantùm habent ſententiam aliqvam inſignem ex textu repetitam. Præter hanc Gnomologicam ſententiam, (in Coheleth) habent qvædam exemplaria etiam hanc סכום in קהלת, ut: סכום פסוקי דקהלת מאתים ועשרים ושנים וסימנו רכ״ב וחציו שהיר כבא נקרא: i. e. Summa verſuum, qvi ſunt in Koheleth, ſunt 222. & ſignum ejus ſunt literæ רכ״ב: Medium autem ejus ibi eſt: id qvod eſt jam nominatum. Coheleth c. VI. 10.

Videtur in hoc Sechom in literis ſigni vitium eſſe Typographicum. Nam pro סימנך legendum eſt סימנו.

Libri רות Sechom in qvibuſdam exemplaribus eſt: סכום הפסוקים של ספר רות שמונים וחמשה וחציו ויאמר:

Libri Eſther in qvibuſdam exemplaribus hæc eſt clauſula: סכום פסוקי מגלת אסתר מאה ושש׳ם ו״סו ק״סר: Summa verſuum voluminis Eſther 160: & ſignum ejus literæ ק״סר 166: medium facilè colligi poteſt illorum verſuum, qvod eſt c. VI. 13. Narravit Haman Zeres uxori ſuæ.

Hæ ſunt clauſulæ librorum in prima ſectione: in

in ſecunda ſectione libri ſunt Joſuæ, Judicum, duo Samuelis & duo Regum.

Libri Joſuæ hæc clauſula eſt: סכום פסוקים של ספר יהושע שש מ מאות וחמשים וששה וסדריו ארבעה i. e. Summa verſuum, qvæ ſunt in libro Joſuæ, 656. Sidræ verò qvatuor. Eôdem modô habet exemplar Venetianum.

Liber Judicum in Antverpiano nullam habet clauſulam; in Venetiano breviſſimam: תם ספר שפטים id eſt, abſolutio ſeu perfectio libri Judicum.

Sub finem 2. Samuelis eſt hæc clauſula: סכום הפסוקים של זה הספר אלף וארבע מאות וששה וסימנו או״ת וסדריו ל״ד וחציו ולאשה אגל מרבק: i. e. Summa illorum verſuum, qvi ſunt hujus libri 1406. & ſignum ejus ſunt literæ א״ות Medium ejus ibi: Et feminæ erat vitulus ſaginarius, 1. Samel XXVIII. 24.

Notatio.

Medietas verſuum conſtituitur ſub finem prioris Samuelis. Nam medium verſuum incidit in c. XXVIII. 24. prioris Samuelis. Hinc liqvet duos Samuelis libros olim omninò pro uno libro habitos, qvia medietas hæc facit libri integri medium, & qvidem unius non autem duorum librorum, vel medietas verſuum, non eſt prioris libri, ſed utriúſqve ſimul: Utérqve ergo liber unum conſtituebat. Ideò in hoc Sechom dicitur ſumma verſuum unius libri in ſingulari numero הספר. Signum autem horum verſuum videtur omnino pugnare

gnare cum numeris expreſſis, nempe 1406. Verùm hoc ſignum א״ך notat majorem numerum, nempe 1506. ך enim finale ad notandum numeros aſſumtum, 500. notare ſolet. Ideo conjectura eſt manifeſta, pro ך finali ponendum eſſe ת qvô 400. ſignificantur. Conſpicitur autem hoc σφάλμα γραφικὸν, non ſolùm in exemplari Antverpiano, ſed etiam in Venetiano, ubi tamen videtur ד pro ך finali poſitum. Ideò hoc erit ſignum legitimum numerale hôc locô א״ת.

Libri Regum 2. olim unus fuit, ideò ſumma verſuum non additur primo, ſed ſub finem ſecundi libri. Eſt autem duplex, una ἀρχαειστική, altera ſummaria ἀρχαειστικὴ, talis eſt: חזק ונתחזק, qvæ ferè communis eſt clauſula omnium librorum deſumpta ex primo Paral. XIX. 13. confirmatus eſto & confirmabimur. Videatur Münſterus in abbreviaturis, fol. 309. Uſurpatur autem hæc clauſula à Doctoribus pro exhortatione ad aliqvid ſtrenuè agendum. Aliqvando ſic reperitur ſcripta חזק חזקו confirmando confirmabimur, ſenſus idem cum ſuperiore. Aliqvi volunt hâc ſignificari: finit liber & finitur labor. Sed ſummæ clauſula hæc eſt; סכום פסוקי דספר מלכים אלף וחמש מאות ושלשים וארבעה וסימנו תתשלד:

i. e. Summa verſuum, qvi ſunt in libro Regum 1534. & ſignum ejus ſunt literæ תת״תשלד, ut ת 400. (ſeu 1200.) literæ thithiſchledh ſunt numerales vel per ſe numerum ſignificantes: vel argutè ad aliqvod nomen proprium alludentes.

Hæ ſunt clauſulæ ſecundæ ſectionis: in tertia ſectione ſunt Prophetæ: inter qvos Eſaias habet

duplicem clausulam γνωμολογικὴν & ἐπιτρεπτικὴν: sententiosam & hortativam, qvarum illa aliqvid repetit ex textu. ut : והיה מדי חודש & erit de plenitudine Mensis Esai. LXVI. 23. i. e. singulis mensibus & sabbathis venient ad adorandum. Ideò habet clausula alicubi (in Venetiano exemplari) hasce literas חקק״י de qvibus suprà. p. 375. Adhortatoria clausula est חזק ונתחזק i. e. animosè age & animô forti agemus:

Jeremias finitur sine omni clausula.

Ezechiel autem habet hanc clausulam : סכום פסוקים דיחזקאל אלף ומאתים ושבעים ושלשה וסימנהון א״רע״ג: i. e. Summa versuum, qvi sunt in Ezechiele, sunt 1273. signum eorum sunt literæ ארע״ג qvæ vel numerales sunt, vel alicujus nominis symbolum.

Prophetæ minores singuli (qvibus Zacharias qvoqve annumeratur) nullam habent clausulam; in fine autem horum omnium est clausula Gnomologica versus penultimus tertii capitis Malachiæ: הנה אנכי שלח לכם את אליה הנביא לפני בוא יום יהוה הגדול והנורא:

Ecce ego mittens vobis Eliam priusqvàm veniat dies Jehovæ magnus ille & formidabilis ille.

Venetianum Exemplar habet insuper hanc clausulam Rhythmicam:

נשלמו הנביאים האחרונים
תהלה לשוכן מעונים:

i. e. finiuntur Prophetæ posteriores, laus esto habitatori habitationum. Sic Deum circumscribunt, qvi omnium habitationum constantissimum, cælum

lum illud ſuum, ſeu illud πᾶ, in qvo Deus eſt, & erit in omnem æternitatem, habitat.

Tandem ſeqvuntur ſechomim ultimæ & quartæ ſectionis: in qva ſunt: Pſalterium, Proverbia, Ijob, Daniel; Eſdra cum Nehemia, & libri Chronicorum.

Liber ergo תהלים Pſalmorum ſeu divinarum Odarum hanc habet clauſulam: מספר הפסוקים של תהלים אלפים וחמש מאות ושבעה ועשרים א״א כ״וך סימן רחצין ויפתוהו בפיהם וסדריו י״ט ומזורים ק״ן:
i. e. Numerus verſuum, qvi in Tehillim, ſunt 2527. hæ autem literæ א״א כו״ך ſunt ſignum illorum, & medium ejus ibi: & blandiebantur illi ore ſuo: Sidræ autem ejus ſunt 19. Pſalmi verò ſunt 150. ק״ן.

Literarum characteriſticarum duo א millia duo notant, ſed ך finale qvingenta. כ medium viginti, & ו ſeptem. Medium verſuum ibi eſt: blanditi ſunt ore ſuo, qvod exſtat Pſal. LXXVIII. 36. ubi ſunt hæc verba addita: חצי הספר i. e. medium hujus libri.

Diviſum erat olim Tehillim in 19. Sidras, qvæ erant qvædam κεφάλαια ſeu capita. Hodie verò tot ſunt capita in libro Pſalmorum, qvot Pſalmi reperiuntur.

Liber Proverbiorum aridam admodùm habet clauſulam, in qva nec verſuum, nec Sidrarum, neqve medii fit mentio: ſed nudè in Antverpiano & Venetiano dicitur: סליק ספר משלי finitur liber Proverbiorum ſeu deſinit. סלק Chaldaicè uſurpatò. Non majoris eſt diligentiæ clauſula Jobi: נשלם ספר איוב i. e. Finitur liber Ijob: תהלה לבורא עולם Laus ſit creatori mundi, אמן Amen.

Pa-

Danielis clausula hæc est: סכום פסוקי ספר דניאל שלש מאות וחמשים ושבעה : i. e. Summa versuum libri Danielis trecenti qvinqvaginta septem. Per magnum contemptum hujus Prophetæ neqve Sidras, neqve characteristicas literas numeri versuum adjecerunt Rabini.

Sub finem Esdræ ponitur ἐπιγραφὴ Nehemiæ his verbis: ספר נחמיה i. e. Liber Nehemiæ. Ideò Esdras nullam habet clausulam, sed sub finem Nehemiæ hæc ponuntur in Venetiano exemplari verba : נשלמו ספר עזרא וספר נחמיה: i. e. Finiuntur liber Esdræ & liber Nehemiæ.

Liber Chronicorum habet communem illam clausulam hortatoriam & Rhythmicam:

חזק ונתחזק המחוקק לא יוזק

i. e. fortificavit Dominus, & nos confortemur; Legislator autem seu Magister operarum non impediatur. Chaldæum verbum est זקק & זק impedire vel נזק hinc in formatione hophal Futuri יוזק.

Deniqve sub finem totius operis Biblici hanc clausulam habet exemplar Antverpianum:
נדפס על ידי ובבירת כרסטופורו פלנטין בשנת ש״מב ל״פק ברוך יהוה אשר לא עזב חסדו ממנו והכנו לסיים הספר הזה בלי שטן ופגע רע ; i. e. Excusum est per manus, & in domo Christophori Plantini, annô 342. juxta minorem numerum. Benedictus Jehova, qvi non subtraxit misericordiam suam à me, & purgavit nos ad perficiendum librum hunc, sine adversario & malo incursu.

Radices qvædam hîc singulares דפס est typis excedere, hinc דפס Typographus & דפוס Typographia. Sic à זכך fit זך purgare & idoneum seu aptum

aptum aliqvem facere, ne illotis manibus opus aggrediatur. Sic פגע est occurrere, hinc פגע qvod alicui potest obtingere, & h. l. פגע רע significat malum eventum.

Annotatio.

Ultima finalis & totius libri clausula notat Typographum & annum excusi libri, adjectâ gratiarum actione ad Deum, qvi favore suô opus hoc promovere dignatus fuerit.

Annum Hebræi scribunt vel integrè per omnes numeros à creatione mundi, vel omissis millenariis minores saltem numeros assignant. Numeros istos omnes vocant פרטים partes. Est autem omnis פרט numeralis vel גדול, magnus, vel קטן minor. Peratim majores, sunt numeri, qvi millenarios significant, ut ab exortu mundi, jam plenè effluxerunt 5000. has millenarias partes seu פרטים גדולים non numerant, sed tanqvàm satis notas rejiciunt, numerantes tantùm per numeros minores, qvi post millenarios supersunt, hi sunt פרטים קטנים minores portiones numerorum. Est igitur פרט קטן supputatio per minores numeri partes, qvæ fit per numeros minus qvàm mille significantes cujusmodi sunt numeri centenarii, denarii & unitatum. Et hoc annô 1608. post millenarios, sunt minores numeri secundùm Judæorum computationem ab exordio mundi שסח 368. Hunc minorem numerum notant literis Rasche ל"פק, qvod est integrè: לפרט קטן, juxta seu secundùm minorem portionem numeri.

Ut

Ut autem poſſis ſcire, in qvem annum Chriſtianum incidat Judæorum Liphrat Katon, ſemper deme de communi Chriſtianorum numero ab Exordio mundi hunc numerum 205. ut annus 1608. Chriſti, eſt à creatione mundi 5578. Hic primum tolle quinqve millenarios, ſupererunt anni 578. minoris computationis. De his annis tolle 205. (tot enim annos minus habent Judæi ab exordio mundi ad præſentem annum) manebunt 373. Hi numeri erunt hodie Judæorum Liphrat Katon, qvos literis numeralibus ſuis notarent שׁער. Ergo perat gadol ſeu millenarii qvinqve deponuntur anno à Chriſto nato computatione Chriſtianorum 965. qvi eſt annus mundi 5000. ſed juxta Judæorum computationem deponuntur qvinqve millenarii annô Chriſti 1240. ab illo anno incipiunt ſuam Liphrat Katon, i. e. minorem numerationem, ſeu æram minorem. Sic Venetiana Biblia ſunt impreſſa ש״ב ל״פק 312. Hos adde ad annos Chriſti 1240. prodibit annus Chriſti 1552. Sic Antverpiana Biblia cœperunt inprimi ש״מ לפ״ק 340. Hos adde ad Chriſti annos 1240. prodibit annus Chriſti 1580. Eadem Biblia abſoluta ſunt שמ״ב לפ״ק 342. (1582.) Sic Wittebergæ impreſſa ſunt Biblia Hebraica ש״מז ל״פק 347. hos adde ad Chriſti annos 1240. prodibit annus 1587. Chriſti. Sic qvemlibet liphrat Judæorum ad certum Chriſti annum reducere poteris.

Clauſula in Wittenbergenſi Hebræo exemplari eſt. מדפס במצורת יוחנן וכונרד רויאל האחים על ידי זכריה כראטו בשנת ש״מז ל״פק פה וויטמבערג׃

Im-

Impressum ad mandatum Johannis & Conradi Rühel, fratrum, per manus Zachariæ Crafft annô 347. juxta minorem computationem, hîc Wittebergæ. Tantum de clausulis.

CAPUT XXII.

Qvot annorum historiam multi libri Biblici complectantur.

Librorum sacrorum Chronologiam consideraturus, meminerit, alios libros Biblicos esse historicos, alios didacticos: in illis historia annorum illustriùs cernitur, ut aliqvando in didacticis vix aliqva Chronologiæ circumstantia inveniatur, utpote in Joele, Jona, Abadia & aliis. Ideo in libris historicis temporis consideratio inprimis erit spectanda.

Pentateuchus Mosis complectitur historiam Ecclesiæ Dei bis mille qvadringentorum nonaginta trium annorum. Nam Genesis ad diluvium habet annos 1656. ut ætates Patrum Gen. v. ostendunt. Sic generationes Patrum post diluvium ad nativitatem Abraham complectuntur annos 292. Gen. xi. Abraham natus annos septuaginta qvinqve incipit peregrinari, & paulatim cum suis in Ægyptiorum servitutem redigi, Gen. xii. 4. Duravit autem totum peregrinationis tempus cum servitute Ægyptiaca annos 430. Gen. xv. 12. Exod. xii. 4. Act. vii. 6. Galat. iii. 17. Ideò Genesis cum Exodo ad c. xiii. Exodi complectitur historiam annorum bis mille qvadringentorum qvinqvaginta trium. Reliqva capita Exodi, Le-

Leviticus, Numeri & Deuteronomium continent historiam in deserto gestam, post eductum populum annorum qvadraginta ad mortem usqve Mosis. Qvamvis Moses post secundum annum Exitus usqve ad qvadragesimum, qvid gestum fuerit in deserto non commemorat. Hinc excrescit summa annorum ex omnibus libris Mosis collecta 2493.

Josuæ historia complectitur fermè annos 35. Nam. Exod. XXXIII. II. tempore adorati vituli Josua juvenis fuisse dicitur. Natus sanè fuerit tum annos 35. qvibus addantur anni qvadraginta peregrinationis in deserto. Natus ergò annos qvinqvaginta septem Josua, introduxit populum in terram Chanaan. Hic 110. ætatis annò dicitur mortuus Jos. XXIV. 29. Ideò post ingressum in terram sanctam annos 35. vixisse colligitur.

Judicum historia complectitur ferê annos 450. Act. XIII. 20. Alii temporibus Judicum assignant annos 357. Qvod hâc inductione probare conantur. Nam à Josuæ morte sub Othoniele qviescit terra annis 40. (Jud. III. 11.) sub Ehud qviescit 80. (Jud. III. 30.) sub Debora & Barack qviescit 40. annos (Jud. V. 32.) sub Gedeone qviescit 40 (Jud. VIII. 28.) sub Abimelech 3. annis (Jud IX. 23.) sub Dola annis 23, (Jud. X. 2.) sub Jair annis 22. (Jud. X. 3.) Deinceps Amonitæ & Philistæi affligunt Israëlem 18. annis (ibidem vers. 8.) Jephtha verò Ephrahita judicat Israëlem 6. annis (Jud. XII. 7.) Ibsan 7. annis (Jud. XII. 9.) Elon decem annis (ibid. 11.) Abdon 8. (Jud. XII. 14.) Simson 20. (Jud XVI. 31.) Eli judicat 40. annis (1. Sam. IV. 18.) Hi anni in summam

mam unam collecti producunt annos 357. in numero Actorum (XIII. 20.) 450. vitium in esse etiam Lutherus in Marginali glossemate animadvertit, & scribendum censet 350.

Historia prioris Samuelis complectitur annos octuaginta; & si Saulis & Samuelis imperio qvadragenario addantur qvadraginta Eli judicis. Liber posterior Samuelis habet historiam Davidis 40. annorum. Ideo utriusqve Samuelis historia complectitur annos 120.

Regum prior habet 40. annos regni Salomonici. Ceterorum regum Judæorum (factô initiô à Jeroboam) qvi partim in priore, partim in posteriore libro Regum recensentur, historia complectitur annos 390. Sunt enim à capite XIII. Samuelis primi, ad finem libri 2. Regum, ad captivitatem usqve Babylonicam hi anni Apostasiæ juxta Ezechielem c. IV. 5. Summa ergo annorum in Regum libris erit 430. Sic Chronicorum libri, præter genealogiam ab initio mundi textam, complectuntur vitas Regum Judæ & Israëlis, à Davide usqve ad Zedekiam, ut libri Regum 470. annos, qvi anni discrepant ab annis Regum 40. qvi Davidi assignantur.

Esdras & Nehemias habent historiam à primo annô Cyri laxatæ captivitatis, ad Darium illum, qvi victus est ab Alexandro magno; qvi Darius Codomannus vocabatur, ducentorum annorum.

Ceteri libri Biblici vel nullam habent Chronologiam, vel qvi habent aliqvam, sive illi historici sive prophetici sint, complectuntur historiam tantùm paucorum annorum sui ævi.

Liber Esther, vix integram historiam Estheræ tractat. Nam exponit res gestas, cùm ad dignitatem regiam evecta esset, historia est ferè 10. annorum.

Liber Job annos ætatis Jobi complectitur, qvi vixit post calamitatem 140. annos, Jobi XLII. qvibus geminatis; dicitur enim vixisse in 4. generationem, sunt anni 280.

Psalmi, Proverbia nullam habent Chronologiam continuam. Prophetæ qvot annis singuli officiô suô functi fuerint, anteà fuit indicatum.

CAPUT XXIII.

De vero ordine librorum Biblicorum, secundum temporum successionem.

QUod Mosis 5. libri, Josuæ, Judicum, Ruth, Samuelis, Regum, Paralipomenon, Esdræ & Nehemiæ historia ordine Chronologicô contexatur, in dubium vocari non potest. Hebræorum historia magna, סדר עולה רבה, retulit historiam Ruth ad tempora Eglonis Moabici Regis à Judice Israëlis tertio confossi. Ideò Ruth vixisse dicitur tempore Judicum. In reliqvorum librorum sacrorum collocatione, est nonnihil ordinis confusi. Nam aliqvi non ponuntur eô ordine, qvem tempus reqvirebat gestæ rei. Esther historia spectat ad tempora Esdræ, qvi Achasveri seu Xerxis, qvi maritus Estheræ fuit, meminit. Sic Psalmi ad tempus Davidis, Proverbia, Ecclesiastes & Canticum ad ætatem Salomonis: ideò ante

ante Eſtheram & Eſdram collocandi erant hi libri. De Jobo, ad qvod tempus referendus ſit, non ſatis conſtat inter Doctores Hebræos. Chronicon enim Hebræorum magnum retulit Jobum ad hiſtoriam Jacobi Patriarchæ, qvem vixiſſe narrat tempore oppreſſi populi in Ægypto, eúmqve paullò ante exitum ex Ægypto, diem ſuum obiiſſe.

Qvi verò Prophetæ anteceſſerint tempore, qvi poſteriores fuerint, ſuprà fuit indicatum, qvorum pleríqve poſt templum Salomonis, ante captivitatem, alii poſt captivitatem vixerunt. Unde apparuit, Jonam omnium vetuſtiſſimum, Malachiam autem omnium noviſſimum fuiſſe.

CAPUT XXIV.

De לוח *indice ſeu tabula Hebræo codici annexa.*

LAterculus ſeu לוח, qvi ſub finem veteris Teſtamenti in Hebræo textu ponitur, docet ordine, qvæ ſint Parſæ & haphtaræ feriarum apud Judæos, qvarum aliæ ſunt ſeptimanariæ & ordinariæ: aliæ inter haſce incidentes. Feria ſeptimanaria ſeu hebdomadalis eſt Sabbatum, dies qviſqve ſeptimus, nobis in ſeptimana proximus ante Dominicum diem, Chriſtianis feriatum.

Sabbatis attributæ ſunt lectiones Legales & Propheticæ. Legales vocantur Parſæ, qvarum tot ſunt, qvot Sabbata, ſeu qvietis dies in annò.

Totam enim legem Moſis qvinqve libris com-

prehenſam, in qvinqvaginta qvatuor ſectiones ſeu Parſas diſtinxerunt, eáſqve ſingulis Sabbatis aſſignârunt, qvarum qvæ ſint nomina, & qvot ſingulis libris Moſis contineantur, ſuprà fuit indicatum.

Sabbatariis Moſis textibus adjunxerunt alios ex Prophetis hinc inde adſcitos, hos vocant haphtaras הפטרה ceſſationes: qvæ autem haphtaræ, qvibus Parſis aſſignatæ ſint, docet hic Luach, qvi ſimiliter oſtendit, qvæ haphtaræ feriis aliis præter Sabbata conveniant.

Diviſus eſt hic index in qvatuor columnas, in qvarum prima nomina Parſarum ponuntur. In ſecunda autem initia haphtararum aſſignantur. In tertia columna caput Prophetæ, ex qvo haphtara ſit petita, adducitur. In qvarta diverſitas haphtararum, juxta Hiſpanos & Germanos Judæos monſtratur.

Titulus ſeu ἐπιγραφὴ, huic indiculo præmiſſus eſt hic: לוח ההפטרות של כל השנה כפי המנהגים i.e. Tabula haphtararum, qvæ ſunt totius anni juxta omnem ritum ſeu conſvetudinem.

Conjungemus autem haſce columnas, qvòd una abſqve altera intelligi non poſſit. Sunt verò in hiſce columnis octuaginta novem lineæ, indicantes tam Sabbatorum qvàm aliarum feriarum Parſas & haphtaras.

Prima linea haſce habet dictiones in prima columna: הפטרת בראשית i.e. Haphtara eſt Bereſchith, primæ Parſæ Sabbaticæ à c. I. Geneſis ad v. 10. c. VI. Geneſis. In ſecunda columna initium ponitur haphtaræ hiſce verbis: כה אמר האל יהוה id eſt, Sic dixit Dominus Jehova, (ה׳ abbreviatum,

tum, eſt nominis integri Jehova) in tertia columna Propheta & caput, ex qvo deſumta ſit haphtara hæc annotatur, ut : בישעיה בסימן מ"ב i. e. In Eſaia in capite ſeu ſigno diſtinctivo 42. Hîc non habet locum columna qvarta, qvia nulla diverſitas circa hanc Parſam in haphtaris contingit apud Judæos in diverſis regnis viventes.

2. Lineæ voces in prima columna; תולדות נח i. e. generationes Noach à c. VI. Gen. ad c. XII. ejuſdem. Haphthtaræ initium eſt: Exulta ſterilis. Exſtat hæc בישעיה בסימן נ"ד : רני עקרה apud Eſaiam c. LIV.

3. Linea in I. columna habet nomen Parſchæ לך לך vade tibi, à c. XII. ad XVIII. Geneſ. in ſecunda columna eſt initium haphtaræ: למה תאמר יעקב i. e. Cur dices Jacob. In tertia columna aſſignatus eſt locus, ubi reperiri qveat hæc haphtara: Apud Eſaiam c. XLVI.

4. Linea primæ columnæ וירא i. e. Et viſus eſt à c. XVIII. ad XXIII. Gen. In ſecunda colum. ואשה אחת מנשי בני הנביאים i. e. & femina una de uxoribus filiorum Prophetarum. Haphtara hæc non eſt notata in margine libri Regum. In tertia columna במלכים ד in libro Regum 2. c. IV.

5. Linea, columna prima חיי שרה i. e. vitæ Saræ à c. XXIII. ad c. XXV. 20. Gen. Columna ſecunda והמלך דוד זקן i. e. Et rex David ſenuerat: Columna 3. במלכים בסימן א" i. e. in Regum (lib. 1.) c. I.

6. Lin. colum. I. תולדות יצחק i. e. generationes Iſaac; à v. 20. Gen. ad cap ibidem XXVIII. 10.

10. Columna secunda משא דבר י״י i. e. Prophetia verbi Jehovæ contra Israëlem. In columna tertia ב״תע במל אבי בסימן א״ i. e. apud duodecim Prophetarum minorem (sic enim vocantur per literas Rasche) qvod esset integrum בתרי עשר in duobus & decem. & qvidem apud Malachiam c. 1.

7. Lin. & 8. bis ponit nomen Parsæ, duplicem ob haphtaram variantem secundum Hispanos & Germanos Judæos. Septima igitur linea habet ויצא יעקב i. e. Et egressus est à c. xxv. Gen. ad c. xxxvii. ejusdem. In secunda col. ועמי תלוים & populus meus suspensi: In tertia col. ב״תע בהושע בסימן א״ apud 12. minores in Hoseæ c. xi. hic columnâ 4. כמנה נהספרדים i. e. juxta usum seu ritum Hispanorum Judæorum, qvi Parsæ: Egressus est Jacob, haphtaram ex Hoseæ c. xi. adjungebant. In lineæ octavæ colum. 2. ויברח יעקב i. e. Et fugit Jacob. In columna tertia exstat hæc haphtara: ב״תע בהושע ב״ i. e. apud duodecim in Hoseæ c. xii. Columna 4 diversitatem rituum ostendit במנהג האשכנזים secundum consvetudinem Germanorum Judæorum.

9. Lin. col. 1. וישלח & misit à c. Gen. xxii. ad xxxvi. ejusdem col. 2. חזון עובדיה i. e. visio Obadiæ. col. 3. ב״תע בעובדיה בסימן א״ i. e. apud 12. minores in Obadia c. 1.

10. Lin. col. 1. וישב i. e. & habitavit Jacob in terra peregrinationis, à c. xxxvii. Gen. ad c. xli. ejusdem: In 2. col. כה אמר י״י על שלשה פשעי ישראל i. e. sic dixit Jehova propter tres prævaricationes Israëlis. colum. 3. ב״תע בעמוס בסימן ב i. e. etiam in 12. minoribus apud Amos c. 11. ad finem Prophetæ.

11. Lin

11. Lin. col. 1. מקץ i. e. in fine à XLI. Gen. ad v. 19. c. XLII. col. 2. ויקץ שלמה : i. e. & evigilavit Salomoh. 3. col. במלכים בסימן ג i. e. Regum 1. c. III. à v. 15. ad finem capitis.

12. Lin. col. 1. ויגש i. e. & accessit à v. 19. c. XLIV. Gen. ad c. XLVII. 28. col. 2. ויהי דבר ה״ וג״ו i. e. & fuit verbum Jehovæ (& cetera) ואתה בן אדם קח לך (id notatur literis Rasche Theboth) integrum erit וגומר i. e. & expleas, i. e. & cetera In 3. col. ביחזקאל בסימן ל״ז i. e. apud Ezechielem à v. 15. c. XXXVII. ad finem capitis.

13. Lin. col. 1. ויחי יעקב i. e. & fuit Jacob à v. 28. c. XLVII. ad finem 1. libri Mosis col. 1. ויקרבו ימי דוד למות i. e. adpropinqvaverunt dies David, ut moreretur. 3. col. i. e. in libro Regum (primo) c. II. Hactenus Parsæ ex Bereschith: seqvuntur ex Schemoth.

14. & 15. lin. col. 1. unam indicant Parsam: ואלה שמות i. e. & hæc sunt nomina à c. 1. Exodi ad sextum ejusdem. Columna secunda: הבאים ישרש יעקב id est, & venientes radicem aget Jacob: colum. tertia: בישעיה בסימן כ״ז i. e. apud Esaiam à v. 6. c. XXVII. ad fin. capitis: col. 4. כמנהג האשכנזים secundum consvetudinem Germanorum Judæorum: lineæ autem 15. col. secunda habet: דברי ירמיהו i. e. verba Jeremiæ: columna 3. בירמיה בסימן א״ apud Jeremiam c. 1. columna qvarta habet כמנהג הספרדים i. e. juxta morem aut ritum Hispanorum Judæorum.

Decimæ sextæ lineæ columna prima וארא i. e. & visus sum à c. VI. ad c. X. ejusdem. Columna 2. כה אמר אדני בקבצי את־בית ישראל i. e. sic dixit Dominus, cùm ego congregavero domum Israël

Columna tertia: apud Ezechielem cap. XXVIII. 25.

Decimæ ſeptimæ lin. col. 1. בא אל פרעה Eas ad Pharaonem à c. x. ad v. 27. c. XIII. Exodi. Col. 2. הדבר אשר דבר יהוה אל ירמיהו id eſt, hoc eſt verbum, qvod locutus eſt Jehova ad Jeremiam. Col. 3. בירמיהו בסימן מ״ו i. e. apud Jeremiam à v. 13. c. XLVI. ad finem illius capitis.

18. Lin. col. 1. ויהי בשלח i. e. Et fuit cùm mitteret. à c. XIII. Exod. ad c. XVIII. ejuſdem. col. 2. ודבורה אשה נביאה i. e. Et Debora femina erat Prophetica. Col. 3. בשופטים בסימן ד״ i. e. In Judicum hiſtoria c. IV. à v. 4.

19. Lin. col. 1. וישמע יתרו i. e. & audivit Jethro à c. XVIII. ad c. XXI. Exod. col. 2. בשנת מות המלך עוזיהו Annô, qvô mortuus eſt Rex Uzia. col. 3. בישעיה בסימן ו״ i. e. apud Eſaiam c. VI.

20. Lin. col. 1. משפטים i. e. Judicia, à c. XXI. ad XXV. Exod. Col. 2. הדבר אשר היה אל ירמיהו Verbum, qvod factum eſt ad Jeremiam. Col. 3. בירמיהו בסימן ל״ד i. e. apud Jeremiam à v. 8. cap. XXXIV.

21. Lin. col. 1. ויקחו לי תרומה i. e. & accipiant mihi oblationem. Col. 2. ויהוה נתן חכמה לשלמה i. e. & Jehova dedit ſapientiam Salomoni. Col. 3. במלכים בסימן ה״ i. e. Regum (primo) à v. 13. c. V.

22. Lin. col. 1. ואתה תצוה i. e. tu autem præcipies, à v. penult. c. XXVII. Exod. ad c. XXX. 11. Col. 2. אתה בן אדם הגד את בית ישראל i. e. tu autem fili hominis nuncia Domui Iſraël. columna 3. ביחזקאל בסימן מ״ג id eſt, apud Ezechi. à v. 10. c. XLIII.

23.

23. & 24. Lin. in prima col. conveniunt כי תשא i. e. Ubi sumseris. à c. xxx. ad c. xxxv. Exod. Col. 2. ויהי ימים רבים יהוה ודבר i. e. Et fuit multis diebus, & locutus est Jehova. col. 3. במלכים בסימן ח"י i. e. In Regum (primo) à v. 20. c. xix. Col. 4. כמנהג האשכנזים i. e. secundum ritum Germanorum (Judæorum.) In col. 2. lin. 24. וישלח אחאב Et misit Achab. Colum. 3. במלכים בסימן י"ח in Regum (primo) ab initio capitis ad v. 20. ejusdem. In 4. col. כמנהג הספרדים i. e. juxta consvetudinem Hispanorum (Judæorum.)

25. & 26. Lin. similiter in prima columna conveniunt, ויקהל i. e. convocavit cælum, à c. xxxv. Exod. ad v. 21. c. xxxviii. col. 2. lin. 25. וישלח ומלך שלמה Et misit Rex Salomon. Col. 3. במלכים בסימן ו" in Regum (primo) à v. 13. c. vii. Col. 4. במנהג ספרדים i. e. juxta ritum Hispanorum. col. 2. lin. 26. ויעש חירום & fecit Chirom, col. 3. במלכים בסימן ז" i. e. in Regum (primo) à v. 50. c. vii. ad finem capitis. 4. col. כמנהג האשכנזים i. e. juxta morem Germanorum.

27. & 28. Lineæ conveniunt in prima columna, אלה פקודי Ista sunt numerata, à v. 21. c. xxxviii. Exodi ad finem libri. col. 2. lin. 27. ויעש חירום & fecit Chirom. col. 3. במלכים בסימן ז" in Regum (primo) à v. 20. c. xxvii. usqve ad v. 22. seqq. c. ut habet marginalis notatio Haphtaræ è regione textus verborum horum ותשלם כל המלאכה & absolvit universum opus. Non videtur rectè notata haphtara voce Vaijaas. Alias una haphtara servit duabus parsis Vaickhel & pekude. 4. col. כמנהג הספרדים ad ritum Hispanorum. col. 2. lin. 28. Vatescblam col melacho, & absolvit universum

versum opus. 3. col. Bimlachim Besiman ו׳ id est, in Regum (primo) à v. 50. c. VII. col. 4. Keminhag. haaschkenazzim. Tres præcedentes Parsæ diversitatem in Haphtaris admittebant.

29. Lin. col. I. ויקרא & vocavit Mosen. Prima est Parsa tertii libri Mosis usqve ad caput sextum: col. 2. עם זו יצרתי populus hic direptus: col. 3. Bischajah Besiman מ׳ג i. e. apud Esaiam v. 22. c. XLIII.

30. Lin. col. I. צו את־אהרן præcipe Aharoni à c. VI. ad 9 Levit. colum. 2. כה אמר יהוה צבאות i. e. sic dixit Jehova militiarum. Colum. 3. Bischajah Besiman ו׳. i. e. apud Esaiam à v. 6. c. VII. In texto initium haphtaræ hujus ad marginem est omissum incuriâ typographi, qvod commune habet hæc haphtara cum multis.

31. Lin. colum. I. ביום השמיני i. e. die octavô, à c. IX. Levitici ad XII. Col. 2. ויסף עוד דוד & addidit deinceps David. Col. 3. bischmuel Besiman Vav, i. e. apud Samuelem (lib. 2.) c. VI. I.

32. Lin. col. I. כי תזריע i. e. qvando semen concipiet à c. XII. Lev. ad c. XIV. ejusdem. Col. 2. ואיש בא מבעל שלישה i. e. Et venit vir de Baal schelischah. Col. 3. Bimlachim Besiman. ד i. e. In Regum (secundo) à v. 42. c. IV.

33. Lin. col. I. זאת תהיה תורת המצרע i. e. hæc erit lex leprosi, à c. XIV. ad XVI. Lev. Col. 2. וארבעה אנשים i. e. & qvatuor viri. Colum. 3. Bimlachim Besiman ז i. e. in Regum (2) à v. 3.

34. Lin. col. I. אחרי מות i. e. postqvàm mortuus est, à c. XVI. ad XIX. Levitici. colum. 2. Vajhi debar Jehova ו׳כו Veatha Ben Adam hatischpot. Et fuit verbum Jehovæ, & cetera. Literæ ו׳כו Rasche

Rasche sunt, dictionis וכלי & reliqva, seu & cetera. Et tu fili hominis an judicabis. col. 3. Bichezkel Besiman כ"ו i. e. apud Ezechielem c. xxvi.

35. & 36. col. 1. conveniunt קדושים תהיו sancti estote, à c. xix. Lev. ad xxi. colum. 2. Halo cibne cuschijim annon sicut filiæ Æthiopum. col. 3. בת"ע בעמוס בסימן ט i. e. apud. 12. minores, in Amos c. (pro ט sit ח.) viii. à v. 21. Col. 4. Ceminhag haaschkenazzim, i. e. consvetudine Germanorum. In 26. lin. Col. 2. Vajhi debar Jehova Ben Adam, dabbereth Zikne Israël, i. e. factum est verbum Jehovæ, fili hominis alloqvere seniores Israël. Colum. 2. Bichezkel Besiman כ i. e. apud Ezechielem à v. 2. c. xx. Columna qvarta Ceminhag hassephardim, juxta ritum Hispanorum.

37. Lin. col. 1. אמור die à xxi. ad xxv. Levitici. col. 2. והכהנים הלוים & Sacerdotes Levitarum: col. 3. ביחזקאל בסימן מ"ד i. e. apud Ezechielem c. xliv. à v. 15.

38. lin. col. 1. בהר in monte à c. xxv. ad v. 2. c. xxvi. Levitici: col. 2. ויאמר ירמיהו & dixit Jeremias; col. 3. apud Jeremiam c. xxxii. à v. 6.

39. Lin. col. 1. אם בחקותי si in statutis meis à c. xxxvi. 3, ad finem libri Levitici, Col. 2 יהוה עזי ומעזי Jehova est robur meum & propugnaculum meum. col. 3. apud Jeremiam, c. xvi. à v. 19. ad seqventis capitis v. 15. Hæ sunt Parsæ in Levitico: seqvuntur in libro Numerorum.

40. Lin. col. 1. במדבר סיני i. e. in deserto Sinai, à primo Numerorum ad c. iv. 22. Col. 2. והיה מספר בני ישראל & erit numerus filiorum Israël. col. 3. בת"ע

ב"תע בהושע בסימן כ i. e. apud 12. minores Hoseam 11. c.

41. Lin. col. 1. נשא tolle à c. IV. Num. v. 22. ad c. VIII. ejusdem. col. 2. ויהי איש אחד מצרעה i. e. & fuit vir de Zorah. Columna tertia Judicum c. XIII.

42. Lin. col. 1. בהעלותך cùm ascenderis, seu cùm tu feceris ascendere à c. VIII. ad c. XII. Num. col. 2. רני ושמחי Exulta & gaude. Col. 2. ב"תע בזכריה בסימן ב apud 12. minores Zachariam 11. c.

43. Lin. col. 1. שלח לך i. e. mitte tibi, à c. XIII. Numer. ad c. XVI. Colum. 2. וישלח יהושע בן נון i. e. & misit Josua filius Nun. Col. 3. Josuæ 11. c.

44. Lin. col. 1. ויקח קרח & accepit Korah. à c. XVI. ad XIX. Num. col. 2. ויאמר שמואל אל העם & dixit Samuel ad populum: colum. 3. apud Samuelem lib. 1. c. XI. à v. 14. Hujus haphtaræ nulla fit mentio ad marginem textus. Verba autem in לוח assignata extant citatô versu.

45. Lin. col. 1. חקת statuta à c. XIX. ad XXII. Numerorum: col. 2. ויפתח הגלעדי & Jephthe Giladeus. Col. 3. In historia Judicum c. 11. Et hujus haphtaræ notatio fuit ad textus marginem incuriâ typographi & correctoris omissâ.

46. Lin. col. 1. וירא בלק & vidit Balak à c. XXII. Num. ad v. 10. c. XXV. Numer. Col. 2. והיה שארית יעקב & erit residuum Jacobi. col. 3. apud 12. minores in Micha, c. v. 6.

47. Lin. col. 1. פינחס à c. XXV. ad XXX. Num. Colum. 2. ויד ה' היתה אל אליהו & manus Jehovæ fuit ad Eliam. Col. 3. In Regum historia, c. XIX.

48.

48. Lin. col. 1. ראשי המטות seniores tribuum à c. xxx. ad xxxiii. Numeror. Col. 2. דברי ירמיהו בן חלקיהו i. e. verba Jeremiæ filii Helkiæ. col. 3. apud Jeremiam c. 1. Hæc haphtara est qvoqve adjuncta Parsæ Elle schemoth, consvetudine Judæorum Hispanorum, ut suprà in linea 15. fuit annotatum.

49. Lin. col. 1. ואלה מסעי: hæ sunt profectiones à c. xxxiii. Numeror. ad finem libri. columna 2. שמעו דבר ה׳ בית יעקב audite verbum Jehovæ domus Jacob. col. 3. apud Jeremiam c. 11. Seqvuntur nunc haphtaræ, qvæ sunt in qvinto Mosis libro.

50. Lin. col. 1. אלה הדברים hæc sunt verba à 1. c. Deut. usqve ad v. 25. c. iii. col. 2. חזון ישעיהו i. e. visio Esaiæ. colum. 3. בישעיה בסימן א i. e. apud Esaiam, c. 1.

51. Lin. col. 1. ואתחנן i. e. & deprecabor à c. iii. usqve ad c. vii. 10. Colum. 2. נחמו נחמו עמי consolamini, consolamini popule mi. 3. col. Pischajah Besiman ח, i. e. apud Esaiam, c. xl.

52. Lin. col. 1. עקב propterea à c. vii. ad capitis xi. 26. col. 2. ותאמר ציון & dixit Zijon. col. 3. Bischajah Besiman מט i. e. apud Esaiam, c. xlix. 3.

53. Lin col. 1. ראה vide, à v. 26. c. xi. Deut. ad v. 18. c. xvi. ejusdem: Col. 2. עניה סערה paupercula seu misera turbine agitata. 3. col. Bischajah Besiman נ״ד i. e. apud Esaiam a v. 11. c. liv.

54 Lin. col. 1. שפטים i. e. judices, a c. xvi. ad v. 10. c. xxi. Deut. col. 2. אנכי אנכי הוא מנחמכם i. e. Ego ego sum, consolans vos. 3. col. Bischajah Besiman נא i. e. apud Esaiam c. li. 12.

55. Lin. col. 1. כי תצא qvando egressus fueris a c. xxi. ad c. xxvi. Col. 2. רני עקרה gaude sterilis: Col.

Col. 3. Bischajah Besiman נר i. e. apud Esaiam c. LIV.

56 Lin. col. 1. כי תבא qvando ingressus fueris à v. 26. ad c. XXIX. 10. colum. 2. קומי עורי surge illucesce. Columna 3. Bischajah Besiman ס i. e. apud Esaiam c. LX.

57. Lin. col. 1. נצבים constituti à c. XXIX. ad XXX. Deut. Colum. 1. שוש אשיש ב,', gaudendo gaudebo in Jehova: col. 3. Bischajah Besiman סא i. e. apud Esaiam c. LXI. 10.

58. & 59. lin. col. 1. conveniunt וילך & ivit à c. XXXI. ad c. XXXII. Deut. col. 2. דרשו יהיה qværite Jehovam: col. 3. Bischajah Besimam נ"ה i. e. apud Esaiam à v. 6. c. LV. Col. 4. Keminhag haaschkenazzim, i. e. secundum consvetudinem Germanorum. 2 col. lin. 59. שובה ישראל revertere Israël. Col. 3. ב"תע בהושע ב"ם י"ד i. e. apud 12. minores in Hosea c. XIV. col. 4. Keminhag haspharadim, i. e. secundum ritum Hispanorum.

60. & 61. lin. 1. col. conveniunt: האזינו aures arrigite à c. XXXII. ad XXXIII. Deut. col. 2. lin. 60. שובה ישראל ותקעו שפר בציון i. e. revertere Israël, & clangite tubâ in Zijon: habet hæc parscha duas haphtaras, prioris initium est, revertere Israël: alterius principium est: clangite tubâ in Sione. Colum. 3. Betheresser Behoscheah כדלעל יתיואל כדלעל significat. ut suprà & ut anteà דלעל particula est Doctoralis, cum כ similitudinis. In voce איואל cum ל cohæret scriptione usitata Judæis. Parsa הברכה i. e. benedictio à c. XXXIII. Deut. ad finem libri, nullam haphtaram accepit, qvòd videatur conjungi cum præcedente Parsa, cum qva unam habebit haphtaram.

Ha-

Hactenus fuerunt haphtaræ Mosaicarum Parsarum seu Sabbaticarum, ea qvæ nunc seqvuntur in לוח sunt Parsæ & haphtaræ aliarum feriarum. In prima columna ponuntur nomina festorum, in secunda, initia haphtararum, in tertia, locus, unde haphtara desumpta sit, in qvarta diversitas rituum.

62. lin. col. 1. habet. פרשת שקלים Sectio seu Parsa festi schekalim: col. 2. ויכרות והורע & percussit Jehojada. col. 3. Bimlachim Besiman י"א i. e. in Regum historia (lib. II.) à v. 16. c. XI. ad v. 6. c. XII.

63. & 64. lin. col. 1. conveniunt propter haphtararum diversitatem & habent hæc verba פרשת זכור i. e. Parscha recordationis, aliàs זכרון תרועה Memoria clangoris seu festi Tubarum. Columna 2. ויאמר שמואל אל שאול & dixit Samuel ad Saulem: col. 3. Bischmuel Besiman טו apud Samuelem lib. 1. c. xv. in initio capitis, statim post versum secundum ejusdem. Inveniuntur verba in secunda columna adducta. colum. tertia כה אמר ,', צבאות Sic dixit Jehova Zebaoth. פקדתי visitavi. Col. 4. lin. 64. Keminhag hassephardim & haaschkenazzim, i. e. juxta ritum Hispanorum & more Germanorum.

65. Lin. col. 1. פרשת פרה Parsa vaccæ: col. 2. ויהי דבר ,', ב אדם בית ישראל id est, fuit verbum Jehovæ, fili hominis, domus Israël. colum. 3. Bichezkel Besiman לו apud Ezechielem, c. XXXVI. à v. 16.

66. & 67. lin. col. 1. vocibus conveniunt פרשת החדש i. e. Parsa Mensis: col. 2. כל העם הארץ i. e. omnis populus terræ. 3. colum. Bichezkel besiman

fiman כה i. e. apud Ezechielem à v. 15. c. XLV. Neqve hujus haphtaræ initium ad marginem textuum notatum fuit: col. 4. Keminhag קצת היהודים i. e. secundum ritum nonnullorum Judæorum. vocula קצת distributionis est, cui opponitur אחרים alii. Column. 2. lin. 67. כה אמר ,׳, בראשון id est, Sic dixit Jehova in priore. Col. 3. Bichezkel besiman מה i. e. apud Ezechielem, v. 9. c. XLV. Col. 4. Keminhag אחרים secundum ritum aliorum.

68. Lin. col. 1. שבת ו״רח id est, Sabbatum & initium mensis. Literæ ורח Rasche sunt integrè sic: וראש חדש & initium Mensis, Neomenia aut Calendæ. col. 2. Koh amar Jehova haschamaim כבאי, sic dixit Jehova: Cælum est meum solium. Columna tertia, Bischaja besiman כו apud Esaiam c. LXVI.

69. Lin. col. 1. מחר חדש Cras Novilunii. Columna 2. Vaijomer lo Jehonathan Machar, i. e. & dixit illi Jehonathan cras. Columna 3. Bischmuel besiman כ i. e. apud Samuelem à v. 19. c. XX. Qvid autem sit מחר cras, explicat Marginalis haphtaræ assignatio. Est בראש חדש ad initium Novi mensis.

70. & 71. Lin. columnæ conveniunt. יום א׳ של פסח dies primus, qvi est in paschate. col. 2. Vaijomar Jehoschua El haam, i. e. dixit Josua ad populum. col. 3. Bihoschua Besiman ג i. e. apud Josuam c. III. col. 4. Keminhag haaschkenazzim, ritu Germanorum. col. 2. lin. 1. בעת ההיא i. e. tempore illo. col. 3. Bischua Besiman ה apud Josuam c. v. 2. col. 4. Keminhag hasphardim, i. e. consvetudine Hispanorum.

72. Lin. col. 1. יום ב׳ של פסח dies secundus, qvi

qvi eſt in paſchate. col. 2. Vaijiſchlach hammelech, i. e. & miſit Rex. col. 3. Bimlachim Beſiman כג: in Regum 2. libro, c. xxiii.

73. & 74. lin. colum 1. conveniunt שבת חולו שלמועד i. e. Sabbati profeſtus in celebritate. Qvod, qvid ſit, Marginalis haphtara apud Ezech. c. xxxvi. explicat: eſt haphtara ad Sabbatum בחול המועד של פסח Eſt nempe haphtara Sabbati in profeſto ſolennitatis, qvæ eſt in Peſach. Col. 2. Koh amar Jehova. ה״ה (illi legunt Adonai Elohim) עוד זאת i. e. ſic dixit Dominus Jehova adhuc illud. colum. 3. Bichezkel Beſiman ל״ז i. e. apud Ezechielem à v. 37. c. xxvi. Col. 4. Keminhag kezeth haijehudim, i. e. ſecundum ritum determinationis Judæorum qvorundam. 2. col. lin. 74. hajethah alai Jad Jehova, i. e. fuit ſupra me manus Jehovæ. Col. 3. Bichezkel Beſiman ל״ז apud Ezechielen c. xxxvii. col. 4. Keminhag אחרים ritu aliarum.

75. Lin. col. 1. יום ז של פסח i. e. dies ſeptimus, qvi eſt in Paſchate. Col. 2. Vajedabber David laihova, i. e. Et dixit David ad Jehovah. Col. 3. Biſchmuel Beſiman כ״ב i. e. apud Samuelem librô 2. c. xxii.

76. Lin. col. 1. יום ה״ של פסח dies qvintus, qvi eſt in Paſchate. 2. col. עוד היום בנוב adhuc dies in Nob. 3. col. Biſchaijah Beſiman Jod, i. e. apud Eſaiam, à v. 32. c. x.

77. Lin. col. 1. יום א״ אל שיעורת dies primus, qvi eſt ſeptimanarum, i. e. Pentecoſtes. colum. 2. Vaihi Biſcholſchim ſchanah, i. e. & factum eſt annô trigeſimô. colum. 3. Bichezkel Beſiman א id eſt, apud Ezechielem, c. 1.

78. Lin. col. 1. יום ב״ של בועות dies secundus, qvi est septimanarum. colum. 2. Vai Jehovah בהיכל כל קדשו & Dominus in palatio sanctitatis suæ. colum. 3. חבקוק בת״ע, Besiman ב apud 12. minores Prophetas in Habacuc, à v. 20. c. 11.

79. Lin. col. 1. יום ט באב i. e. dies nona in Abh mense. col. 2. Asoph Asiphem, id est, colligendo colligam illos: אסוף אסיפם. col. 3. Bejirmejah Besiman ח i. e. in Jeremia, c. VIII. à v. 13.

80. Lin. col. 1. יום א״ של ראש השנה dies prima, qvæ est initii anni. Colum. 2. Vaihi isch Echad min haremathajim, & fuit vir unus de Rematajim. col. 3. Bischmuel Besiman א, in Samuelis primo libro, c. 1

81. Lin. col. 1. יום ב״ של ר״ה secundus dies, qvi est in principio Novi anni. Literæ ר״ה sunt Rasche vocum integrarum, ראש השנה initium anni. col. 2. Coh amar Jehovah Mazah chen bammidbar, id est, sic dixit Jehova, invenit gratiam in deserto. col. 3. *B*eijrmejah, besiman ל״א i. e. apud Jeremiam, c. XXXI.

82. Lin. col. 1. צום כפור בשחרית jejunium expiationis ad matutinam. col. 2. ואמר סלו סלו & dixit, elevate, elevate. colum. 3. Bischaja Besiman נ״ז i. e. apud Esaiam, c. LVII. 14.

83. Lin. col. 1. צום כפור למנחה, jejunium expiationis ad sacrificium vespertinum. col. 2. Vaihi debar Jehova El Jonah, i. e. & factum est verbum Jehovæ ad Jonam. col. 3. ב״תע *B*ejonah besiman א i. e. apud 12. minores, c. 1. Jonæ per totam historiam.

84.

84. Lin. col. 1. יום א״ של סכות i. e. dies prima, qvæ eſt tabernaculorum. Col. 2. Hinneh jom ba laihova: ecce dies venit ipſi Jehovæh. Columna 3. בת״ע Bizcarjah. i. e. apud 12. minores, beſiman יד Zachariam, c. XIV.

85. Lin. col. 1. יום ב׳ של סכות i. e. dies ſecunda, qvæ eſt in tabernaculorum feſto. Col. 2. Vaththiſchlam Col hammelacha, i. e. & abſolutum omne opus. Col. 3. Bimlachim beſiman ז in Regum primo libro, c. VII.

86. Lin. col. 1. שבת חולו של מועד i. e. Sabbatum profeſti, qvi eſt in feſtivitate. Hoc explicatiùs dicitur in Ezechielis XXXVIII. capitis margine הפטרת חול ושל מועד של סכות i. e. haphtara profeſti, qvi eſt feſtivitatis tabernaculorum. col. 2. Vahajah bejom hahu bejom bo גוג & erit in die illa, in qva die veniet gog. Col. 3. Bichezkel beſiman ל״ח, apud Ezechielem, c. XXXVIII.

87. Lin. col. 1. יום שמיני חג עצרת i. e. dies octavus feſti azereth ſeu Pentecoſtes. Col. 2. Vaihi bichloth ſchelomoh, & fuit cùm perficeret Salomon. colum. III. Bimlachim beſiman ח i. e. In Regum hiſtoria, lib. 1. c. VIII. à v. 54.

88. Lin. col. 1. שמחת תורה lætitia legis. Col. 2. Vaihi achare moth Moſche, & fuit poſtqvàm mortuus eſt Moſes. col. 2. Bihoſchua beſiman א׳ i. e. apud Joſuam, c. 1.

89. Lineæ & ultimæ, columna prima שבת הגדול i. e. Sabbatum magnum. col. 2. וערבה לה׳ & placebit Jehovæ ſacrificium. col. 3. בת״ע bemalachi, Beſiman ג i. e. apud 12. minores in Malachia, c. III. v. 4.

Hactenus לוח index expoſitus fuit per ſingulas

columnas, partim nomen Parſchæ vel feſtivitatis; partim initium haphtaræ; partim locum, ubi apud Prophetas illa exſtet: partim deniqve diverſitatem rituum in haphtaris, exhibentes.

CAPUT XXV.

De Feſtis Judæorum.

UT לוח expoſitus rectiùs intelligatur, qvia ſæpe facta eſt in illo mentio feriarum ſeu feſtorum Judaicorum: Ideò neceſſitas ipſa reqvirit, ut paucula de feſtis Hebræorum doceantur. Ut autem feſta rectè collocentur, opus eſt menſium cognitione Hebræorum, qvi numerantur & ponuntur ordine duplici. Prior eſt ordo naturalis ſeu politicus, à qvo menſe annum inchoant, & in qvo mundum initium ſumſiſſe perſvaſiſſimum habent, nempe à Septembri. September igitur eſt Tiſchri, October Marchesvan, November Cislev, December Thebath, Januarius Schebat, Februarius Adar. Martius Niſan, Aprilis Iiar, Majus Sivan, Junius Tamuz, Julius Abh, Auguſtus Elul.

Vel numerantur & collocantur menſes ſecundum ordinem feſtorum, ordine Eccleſiaſticô, qvorum reſpectu primus menſis eſt Niſan Martius, ſecundus Iiar Aprilis, tertius Sivan Majus, qvartus Tamuz Junius, qvintus Abh Julius, ſextus Elul Auguſtus, ſeptimus Tiſchri September, Octavus Marchesvan October, Nonus Cislev November, Decimus Thebat December, undecimus

mus Schebat Januarius, duodecimus & ultimus Adar Februarius.

Pro diverſo reſpectu Tiſchri poteſt eſſe primus menſis & ſeptimus. Hinc Paraphraſtes Chaldæus in 1. Reg. VIII. 2. ait: Menſis, qvem antiqvi vocabant primum, nunc eſt ſeptimus. In menſes igitur certos incidit feſtum. Eſt autem feſtum ſolennitas, qvâ à rebus noſtris abſtinentes, Deo certô tempore converſamur, ad promovendam noſtram ſalutem, & ampliandam creatoris gloriam.

Feſta Hebræorum alia ſunt legalia, alia Politica: ſeu alia divinitus inſtituta, alia humanâ autoritate introducta.

Legalia ea ſunt, qvæ lege & ſanctione divinâ ſunt mandata, ut certô tempore peragerentur. Sunt ea vel omnium ſeptimanarum vel certarum. Omnium ſeptimanarum eſt Sabbatum, dies feſtus, qvi celebratur qvâlibet die ſeptimâ, ſingulis ſeptimanis, in memoriam creationis, ut eô die ferias perpetuò agerent Judæi, qvô Deus abſolutô opere creati mundi qvievit. Confinis Sabbato eſt Neomœnia, feſtivitas lunationis, celebrata die novæ lunæ, in memoriam divinæ gubernationis, præcepta Num. XXVIII. 11.

Certarum ſeptimanarum ſeu menſium ſunt primò feſtivitates magnæ רגלים חגים dictæ, cujusmodi ſunt סכות פסח שבועות feſtum tranſitus, ſeptimanarum, & tabernaculorum. Feſtum פסח Hebraicè, Chaldaicè פסחא, eſt feſtivitas magna celebrata menſe primô (ſecundum ordinem Eccleſiaſticum menſium, qvi eſt Niſan, Martii die 14. Levit. XXIII. à v. 4. ad 15. Celebratum eſt hoc feſtum

ſtum in memoriam tàm tranſeuntis Angeli in Ægypto & Judæorum primogentis parcentis, qvàm infermentatæ maſſæ.

Altera feſtivitas magna, fuit שבועות ſeptimanarum ſeu hebdomadum, numerabantur enim à die Omer, id eſt, à ſecundo die Paſchatis, qvi dicitur Sabbatum δευτερόπρωτον Luc. VI. 1. ſeptem hebdomades plenæ, & tum celebrabatur Pentecoſte, die 6. menſis Sivan Maji. Vocatum hoc qvoqve feſtum fuit עצרת Hebræis, Chaldæis עצרתא Aſarta, limitatum & circumſcriptum certô numerô hebdomadum.

Celebratum fuit in memoriam latæ legis in monte Sinai, Levit. XXIII. à v. 15. ad 23.

Tertia magna feſtivitas dicitur סכות Tabernaculorum ſeu σκηνοπηγίας. Celebratum fuit menſe ſeptimô Tiſchri, id eſt, Septembris die 15. in qvem menſem aliqvot feriæ incidunt. Finitur tum annus: Ideo Scenopegiæ incidunt ſub finem anni תקופת שנה, id eſt, converſionis anni, ſeu anni finis. Celebrata eſt hæc feſtivitas in memoriam qvadragenariæ commorationis in deſerto Arabico, qvô tempore ſub tabernaculis tantùm, in nullis domibus degebant.

His magnis feriis, minores feriæ adjunctæ fuerunt: תרועה clangor tubæ, Levit. XXIII. primâ die Tiſchri, dies expiationis decimá die Tiſchri, Levit. XXIII. qvæ feſtivitas כפורים dicta fuit.

Ejuſmodi fuerunt feriæ legales: Politicæ ſunt, qvæ conſenſu Eccleſiæ introductæ & receptæ fuerunt.

Harum aliæ ex lege qvadam & ſanctione humana fuerunt: Feſtivitas legis ſeu שמחת תורה

ſive

ſive הברכה gaudium legis ſive benedictionis eſt feſtum, qvô legebatur ultima Parſcha in Moſe, i. e. caput penultimum Deuter.

Abſolutô toto Pentateuchô, celebrabatur etiam hæc feſtivitas 23. Tiſchri ſeu Septembris. Tum enim abſolvitur lectionarium Moſaicum, & proximè ſeqventi Sabbatô, de novo parſchas legis ordine incipiunt, qvarum prima eſt Bereſchith. Dominicâ ergo, qvæ proximè antecedit feſtum Michaëlis initium fit Parſcharum. Et cùm Geneſis complectatur 12. Parſchas, ideò ad natalitia Domini, 12. Dominicis abſolvitur tota Geneſis. Sic Exodus paullò ante Paſcha: Leviticus ad Pentecoſten, &c. Vel ex eventu aliqvo conſtituta ſunt feſta. Hinc varia jejunia ſancita fuerunt. Jejunium Tamuz Zach. VIII. 19. die 17. Junii in memoriam fractarum tabularum per Moſen, crémati libri Legis, ſublati endelechiſmi. Jejunium Gedoliæ miſerrimè occiſi, 2. Reg. XXV. 25. Zach. VIII. die 3. Tiſchri, jejunium Thebet 7. die Thebet Decembris, jejunium Abh die 9. Abh Julii, ob deſolatum utrumqve templum hôc die, Zach. VII. 5. c. VIII. 19. Et multi alii dies ימי תעניםּ Anehariarum ſeu jejuniorum. Vide Scal. de Emend. temp. fol. 610. ubi multa jejunia inſtituta ob triſtes caſus & obitus præſtantiſſimorum virorum ut die 7. Adar, qvô moritur Moſes, ſic die 8. Thebet Decembris jejunium habent triſtiſſimum, propter legem Moſis in Græcam lingvam transfuſam ab Alexandrinis Judæis, tempore Ptolemæi, qvô tempore tenebras per tres dies per univerſum orbem factas narrant. Scal. de Emend. temp. fol. 610.

Sunt multæ aliæ feriæ Judæis in uſu: utpote זכור. Item feſtum פרה vaccæ mactandæ pro peccatis totius populi. Item feſtum ראש השנה caput annorum ſeu novi anni. Item שבת הגדל Sabbatum magnum, cujus fit mentio in Luach, qvod an ſit paraſceve ante Peſach vel alius diei feſtivitas, litigant autores.

Eſt qvoqve feſtum חנוכה dedicationis ſeu Encœnia, inſtitutum à Juda Maccabæo, 2. Maccab. 11. cùm templum repurgatum fuit ab impietate Antiochi, celebratur hoc die 25. Cislev ſeu Novembris. Ideò in voce חנוכה duæ poſteriores literæ כ״ה ſunt numerales 25. Fit hujus feſti mentio; Joh. x. 22.

Ad feſtum tabernaculorum pertinet ſolennitas חג ערבה: Feſtum Palmarum, qvòd eô die palmas portent ſepties altare circumeuntes; in memoriam ingreſſus in Canaan & expugnatæ Hiericho. Celebratur hæc ſolennitas die 8. tabernaculorum & qvia magnis ſolenniis (*f. ſollemnibus*) hæc feſtivitas peragitur, ſolet ea interdum vocari magnum Sabbatum.

Habent qvoqve feſtivitatem Eſter, ſeu פורים urnarum ſeu ſortium; Vox Suſanna Perſica idem qvod גורל, in memoriam liberationis tempore Eſther. Celebratur hæc, diebus duobus 14. & 15. Adar ſeu Februarii. Ab hac feſtivitate ad Paſcha ſunt 30. dies. Plura de Feſtis Judæorum videantur apud Scaligerum de emendatione temporum, fol. 608. & ſeqventibus. Item computus Judæorum Münſteri, maximè fol. 148. Johannes Buxtorfius in Synagoga Judaica, multis capitibus. Nam x. & xi. agit de Sabbato; c. xii. xiii. & xiv. de Pa-

Paſchate; c. xv. de Pentecoſte; c. xvi. de tabernaculorum feſtivitate; c. xvii. de Calendis ſeu Neomeniis; c. xviii. & xix. de novo anno; c. xx & xxi. de Expiationis feſto; c. xxii. de Feſto lætitiæ legis; c. xxiii. de Encœniis; c. xxiv. de feſto Purim; c. xxv. de jejuniis Vide Calendarium Eberi, in qvo ſingulis ferè menſibus fit mentio feſtivitatum judaicarum. †

Hactenus partitiones codicis Hebræi abſolvimus, in qvibus conſideravimus omnia, qvæ acciderunt ſacris textibus in fronte & in calce libri ſacri.

Δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ.

† Tu adde B. noſtrum Balth. Meiſnerum in Dedication. Meditation. in Euangelia Feſtivitatum annuarum; & in Collegio Adiaphoriſtic. Diſp. xi. §. 3. ſ. p. m. 205. ſ. B. Dan. Cramerum in Μηνολογίῳ Hebræo, ſubjuncto Petri Palladii Iſagogæ ad Libros Propheticos & Apoſtolicos, editæ Roſtochii M. DC. XXX. in 8t. B. D. Hieron. Kromayerum in Comment. in Galat. p. m. 292. ſ. edit. Lipſienſ. M. DC. LXX. in 4to. Rodolph. Hoſpinian. de Feſtis Judæor. & Ethnicor. Genev. M. DC. LXXIV. in fol. & Joh. Henr. Höttingerum in Examine Hiſtoriæ Creationis, p. m. 139. ſ. edit. Heidelb. cIↄ Iↄc LIX. in 4to.

IV.

DE

CONSULTATIONIBUS VETERUM

DISPUTATIO PUBLICA.

Habebitur cum bono

DEO

ad d. 28. Mart. M. DC. XLIX. in Auditorio majori,

PRÆSIDE

M. JOHANNE ERICO OSTERMANNO

GRÆCAR. LITERAR. PROF. PUBL.

RESPONDENTE

CHRISTIANO JANI JERSINO

HAVNIENSI DANO.

QVOD

QVOD BENE VERTAT DEUS!

E Conſultandi Veterum ratione cùm multa, nec pœnitenda ea, dici poterant, nobis propoſitum tamen eſt, in præſens non ſingula illa perſeqvi, qvæ vel à præſtantiſſimis Jureconſultorum, vel à Politices etiam Scriptoribus optimis in eam rem afferri pro re nata ac præcipi gravia atqve egregia ſolent: ſed ea tantùm explicare in medium, qvæ talia apud diverſos auctores legentibus olim obhæſerunt & vel nunc recogitantibus incidunt ſaltem. Non ignaris qvippe, tùm difficile fore, chartis pauciſſimis iſtis complecti ac cogere omnia velle; tùm aliorum etiam eſſe accuratè ſuper his commentandi provinciam. Qvare nobis qvidem ſufficiet ad inſtituti rationem, ſparſim qvæ obſervata nobis ſunt, tanqvam folia ex ampliſſimis arboribus delapſa qvædam ſublegere, & ibi ſubſiſtere meditando, ubi aliorum ſeverior cogitatio incipit. Ne autem veniat uſu, qvod illi Theocriteo lignatori, qvi in immenſæ vaſtitatis delatus ſylvam à qva ſibi incipiendum arbore eſſet, ignorabat: præſcribemus nobis cancellos qvoſdam, intra qvos, qvidqvid ejus diſqviſitionis noſtræ eſt, decurret. At cùm omnis circa Conſultationes commentatio abſolvi iſtis qvidem capitibus poſſit, ut qvid ac qvarum rerum illæ; deinde, qvot generum ſint; porrò, à qvibus inſtitui debeant; tùm, qvæ ratio conſultationum ac modus; deniqve

niqve qvibus locis, & postremò, qvô tempore peragi conveniat? exponatur; nos primô tantùm exceptò singula ordine tangemus veriùs qvàm exseqvemur: prolaturi qvippe, qvasi per spicilegium, qvæ circa Veterum rationem vel parciùs dicta aliis, vel omissa certè fuerunt.

§. I.

DUplicis generis fuisse Veterum consultationes, universales sive publicas alteras, alteras privatas, ex diversis auctoribus constat. Ac illæ qvidem vel totius gentis fuerunt; vel præcipuorum, qvi publicô nomine ardua qvæqve ac difficillima peragerent. De prioribus ex Græcis testantur Pausanias, lib. v & viii. Diodorus Siculus, lib. iv. Plutarchus in Lycurgo. Ex qvibus inter se collatis apparet, confluxisse statis temporibus ad Olympiam Elidis oppidum omnem Græciam, deliberatum de rebus gravissimis, ádqve totius gentis ejus commodum spectantibus. Qvorsum pertinet prærogativa eorum, qvi genere ac ortu Græci essent. Cùm enim præter hos etiam exterarum nationum homines, Ægyptii puta. Siculi, aliísqve freqventes eò convenirent, facta illis qvidem certamina subeundi gratia est; consultandi non item. Porrò, de Romanorum publicis deliberationibus res notior est, qvàm ut ostendi debeat. Id enim tàm diversa illa Comitiorum in ea gente usitata genera docent. Qvorum tria in universum rectè numerantur; CENTURIATA, TRIBUTA, CURIATA: de qvibus peculiares ac præ ceteris eruditos libros

iii.

III. Nicolaus Grucchius dedit. Nam qvi CALATORUM qvartum genus ex summi Principis Divi Justiniani Institutionum (tit. de Testament. Ordin.) loco qvodam addunt, frustra sunt, ut jam pridem Viris doctis observatum. De Gallorum qvoqve universalibus consultationibus non uno locô in Commentariorum suorum libris C. Julius Cæsar refert. *Bellô*, inqvit, lib. I. de bell. Gall. c. XXX. *Helvetiorum confectô, totius ferè Galliæ legati, principes civitatum, ad Cæsarem gratulatum convenerunt, intelligere sese, tametsi, pro veteribus Helvetiorum injuriis, Pop. Rom. ab iis pœnas bellô repetisset, tamen eam rem non minùs ex usu terræ, qvàm populi Romani accidisse: propterea, qvòd eô consiliô, florentissimis rebus, domos suas Helvetii reliqvissent, ut toti Galliæ bellum inferrent, imperiôqve potirentur locúmqve domicilio ex magna copia deligerent, qvem ex omni Gallia opportunissimum, ac fructuosissimum judicâssent, reliqvásqve civitates stipendiarias haberent: petiêrunt, uti sibi concilium totius Galliæ in diem certam indicere, idqve Cæsaris voluntate facere liceret: sese habere qvasdam res, qvas è commmuni consensu ab eo petere vellent,* Et ita alibi, lib. VI. de bell. Gall. c. III. Pari pactô de Germanorum publicè consultandi more tùm in Annalibus suis locis diversis gravissimus auctor C. C. Tacitus exponit, tùm faciunt fidem illa ejus de moribus Germanorum, c. XI. I. *De minoribus rebus principes consultant, de majoribus omnes; ita tamen, ut ea qvoqve, qvorum penes plebem arbitrium est, apud principes pertractentur.* Qvò spectant etiam, qvæ apud Eginhardum in vita Caroli Magni, in eamdem rem leguntur

guntur de invictissimo Romanorum Imperatore, Carolo Magno, qvem ejus generis multò plurima publica instituisse Concilia, qvibus imperii ageretur salus, scribit.

§. 2. Præcipuorum; eædémqve caussas publicas concernentes consultationes tùm apud Judaicam gentem, tùm apud Græcos veteres observantur, ut alios taceam. Ac Judæorum qvidem sunt nobiles deliberationes, qvas in Synedrii Magni consessu instituere soliti. MAGNUM dico: nam qvod PARVUM prætereà habuerunt, de eo infrà erit agendi locus. Alterum autem illud omnium illustrissimum, unis Hierosolymis agitatum, סנהדרין & סנדרין id est, συνέδριον Græcô vocabulô, vel ipso Eliâ Levitâ, homine Judæô, teste, indigitârunt, qvidqvid etiam ad delirium usqve aniles Rabbini nugentur, dum modò ex סן & הדרין hoc est, *qvasi versantes legem*, conflatam vocem ajunt; modò sic dictam, qvòd Concilii ejus assessores סונאים הדרת פנים נדין *odio habuerint* tùm *respectum personarum in judicio*, tum דורונות *munera*, contendunt; prout pluribus Vir Clarissimus & de hoc genere literarum incomparabiliter meritus Johannes Buxtorfius in stupendi laboris Talmudico Rabbinicóqve Lexico voce סנהדרין ex Pesikta, Commentario veteri in Legem, Parascbâ בהעלותך, itémqve ex Collectaneis Maharil, & Bartenora, librô Sota, c. IX. ac manuscripto qvoqve libro Aruch ostendit. Non attinet hîc referre alia nomina, qvæ Synedrio illi indita. Ut, בית דין הגדול *domus judicii magni*; & בית דין של שבעים ואחד *Curia Judicum* LXXI. item עדה qvod per סנהדרין alibi Rabbi Salomon Jarchi, Num.

Num. XXVII. 21. & ipſum Jonathanis Targum alio locô, Num. XXV. 7. interpretantur. De hoc gentis Judaicæ concilio evidenter ac prolixè Joſephus, Philo, Talmudiſtæ; ſinguli locis diverſis. Originem ejus defigimus in Numerorum undecimi capitis comma ipſum decimum & ſextum. Verba iſta ſuut; ויאמר יהוה אל משה אספה־לי שבעים איש מזקני ישראל אשר ידעת כי־הם זקני העם ושטריו ולקחת אתם אל אהל מועד והתיצבו שם עמך: וירדתי ודברתי עמך שנ ואצלתי מן הרוח אשר עליך ושמתי עליהם ונשאו אתך במשא העם ולא־תשא אתה לבדך:

Qvæ ſic vertit Pagninus: *Dixit Jehova ad Moſeh, congrega mihi ſeptuaginta viros è Senioribus Iſraël, qvos nôſti, qvod ſint Seniores populi, & principes ejus* (שטריו qvos nec Senioribus accenſendos unqvam, contra Cornelium Bertramum & Hugonem Grotium ad Matth. v. nec docendis literis etiam præfuiſſe, qvod neqvidqvàm Divo patri Auguſtino in de Civitate Dei, librô XVIII. c. XXXIX. ex LXX. Interpretum, Deut. XVI. 18. XXIX. 10. & XXXI. 28. vocis Γραμματοεισαγωγεῖς occaſione viſum, affirmamus penitus) *adducáſqve eos ad oſtium tabernaculi eccleſiæ, & ſtent ibi tecum: Tunc deſcendam & loqvar tecum ibi; & ſeparabo de ſpiritu qvi eſt in te, & ponam in eis, & ſuſtinebunt tecum onus populi, & non ſuſtinebis tu ſolus.* Ad qvem locum Paullus Fagius cùm Ebræorum ſententias aliqvot retuliſſet, tandem cum D. Hilario ad Pſalmum II. concludit, jam antè à Moſeh LXX. Virorum numerum inſtitutum fuiſſe. Nec aliena ſunt, qvæ idem Fagius alibi ad Deut. XVI. 18. ex Ebræorum libris refert: *Schophtim*, inqvit, *ſunt Judices, qvi determinant cauſſam ſive*

five judicium. Schotrim sunt, qvi dominantur populo, & exseqvuntur mandata eorum, scilicet Judicum, cum virga & flagello. Et qvi summus est inter omnes judices, is vocatur Nasi, id est, prælatus, & מופלא *Mupbla, id est, excellens. Atqve is est locô Mosis magistri nostri, cui fuerunt Septuaginta Seniores, à qvibus venerunt Sanhedrin.* Rectè omnino. Nam hûc in universum redit res, fuisse qvidem LXX. Seniores in populo Judaico etiam priùs, qvàm illis deferretur pars oneris ejus, cui ferendo maximns Dei vates Moyses se haudqvaqvàm parem profitetur citatô Numerorum XI. 14. locô: sed inde tamen ab illo tempore cepisse demum concilium, qvod Synedrium magnum pòst deinceps fuerit dictum. Certè Seniorum prioris temporis expressa mentio in Exodo habetur, c. III, 16. c. IV. 29. c. XVII 5. c. XVIII. 12 c. XIX. 7. Qvos in consilium etiam fuisse jam tùm adhibitos Bonaventura Cornelius Bertramus in de Politia Judaica c. V. istis Aben Esræ ad Exod. IV. 29. verbis docet: הזקנים הם היועצים בכל דור ודור *Seniores ipsi sunt, qvorum omni tempore fuit consilia administrare.* Qvare, cùm novi qvidem Seniores à Mose selecti nusqvàm legantur, qvibus supremorum judiciorum ac deliberationum crediderit summam; utíqve illis ipsis, qvos diximus, hanc dignitatem ac prærogativam jure meritóqve deferimus, qvidqvid etiam in adversum Dionysius Petavius statuat, in de doctrina temporum, lib. II. c. XXVII. cui Synedriorum in Palæstina institutorum à Gabinio arcessere natales visum. Qvorsum videndi Cornelius Bertramus & Petrus Cunæus (lib. I. c. XIII.) in eruditis, qvos de Republica Ebræo-

Ebræorum condiderunt, libris. Hugo item Grotius ad Matthæi v. caput commentatus. Utiqve non alibi magni Synedrii originem, qvàm in eodem xi. Numerorum capite conſtituendam cenſet tùm Talmudicus Codex Sanhedrin, tùm doctiſſimus Maimonides Halacha & ipſâ Sanhedrin, ac præter hos in Annalium libris Cardinalis Baronius, ad ann. xxxi. itémqve ſummæ eruditionis juxta ac lectionis infinitæ Vir Johannes Seldenus, in; de ſucceſſion. in bona, p. 174. aliíqve plures doctiſſimi Viri. Ceterùm durârunt iſtæ Synedrii magni conſultationes uſqve ad Chriſti Servatoris optimi tempora: qvamqvàm ita ejus Concilii ſubinde ſenuerint vires, ut aliis etiam planè exſtinctum olim deletúmqve, maximè per Babylonicæ captivitatis tractum, credatur. Qvod aliter tamen habere, inter reliqva vel illud Targumicum ad Canticum Canticorum, c. vi. 1. docuerit, נחת לבבל לסנהדרין *Deſcendit in Babyloniam ad Seniores Sanhedrin*, & qvæ ſeqvuntur. Neqve verò officiunt, qvæ de duratione & Sanhedrin in עבודה זרה Abodha Sara, c. 1. fol. 8. col. 2. leguntur illa: ארבעים שנה מדלא חרב הבית גלתה מסנהדרין ישבה לה בחניות *Qvadraginta annis, anteqvàm ædes vaſtaretur migravit Sanhedrin, & conſedit in tabernis.* Nam ad capitales cauſſas hæc tantùm reſtringenda eſſe, non ad univerſam conſultandi decernendíqve poteſtatem, qvæ utiqve, penes Synedrium magnum per iſtos totos xl. annos atqve etiam aliqvantum deinceps in aliis omnibus, qvæ capitis qvidem pœnam non poſtularent, manſit integra, ex iis apparet, qvæ mox ſeqvuntur eôdem locô: שלא למאי הלכתה לומר

 דנו

דנו דיני קנסות אמר רב נחמן בר יצחק לא תימא דיני קנסות אלא שלא דינו דיני נפשות מאי טעמא כיאן דחזו דנפשי להו רוצחים ולא יכלו למידן אמרו מוטב נגלי ממקום למקום כי הכי דלא ליחייב *Quorsum ista traditio? Ut indicaret, non decidisse caussas criminales. Ait Magister Nachman, filius Isaaci; ne dicas caussas criminales: sed, non decidisse caussas capitales. Quæ ratio? cùm viderent, quòd animas occiderent, & se non posse judicia exercere, dicebant, præstat migremus de loco in locum, ne rei fiamus*, Candidissimè, prout ejus mos est, Maimonides in eumdem sensum, Halachâ Sanhedrin, c. XIV. בשנת קלקלה השורת גלו ממקום למקום ולעשרה מקומות גלו וסופן לטבריא ומשם לא עמד ב״ד גדול עד עתה וקבלה היא שבטבריא עתידין לחזור תחלה ומשם נעתקין למקדש ארבעים שנה קודם חרבן בית שני בטלו דיני נפשות מישראל אף על פי שהיה המקדש קיים מפני שגלו הסנהדרין ולא היו שם במקומן במקדש: *Posteaqvàm imminuta fuit potestas, migrârunt de loco in locum (σύνεδροι) & decies mutârunt sedes, qvarum ultima fuit Tyberia, atqve inde in hodiernum usqve diem non ampliùs constitit Synedrium magnum. Sed vaticinium exstat in Cabbala, qvòd primùm conventuri sint Tyberiade, inde ad Sanctuarium transferendi. Qvadraginta annis ante templi secundi excidium ablata sunt judicia capitalia ab Israële, etiamsi Sanctuarium adhuc durârit: qvia exulabant σύνεδροι, nec ampliùs in loco suo, qvi in Sanctuario erat, conveniebant.* Quæ ut clara abs se sunt ac manifesta: ita mirai subeat, qvid in mentem venerit Menasse Ben Israëli, in Conciliatore, ac Benjamini item † Tudelensi, in Iti-

† Non mirum hoc de Benjamin Tudelensi Maimonidis

Itinerario, qvòd pro Synedrii poteſtate. qvâ hodiéqve in diſſitis ac partim incognitis locis utatur impunè, tantoperè fuerint nixi. Qvorum inſignem obſtinationem cum univerſis Judæorum erroribus eruditè ac ſolidè nuper confutavit Excellentiſſimus Hamburgenſium Theologus Doct. Johannes Müllerus in egregio libro, qvem Judaismum inſcripſit. c. VIII. lib. I. Ac qvæ ad Benjamini, qvod adduximus, Itinerarium notavit

nidis juxta Ganſium coætaneo, hic enim ſuo in Itinerario (*in qvo* auctore B. Glaſſiô, lib. I. Philolog. Tract. I. p. m. 72. edit. opt. Francof. M. DC. LIII. *res memorabiles, qvas, totum fere terrarum orbem notatis itineribus dimenſus, vel ipſe vidit, vel à fide dignis ſua ætatis hominibus accepit, breviter ac dilucidè deſcribuntur. Vixit ante qvingentos ferè annos.*) tot etiam Judæorum doctores & Academias ubiqve locorum in primis extra Europam ſe reperiſſe ſcribit. Cujus vaniloqventiam præter alia multa coarguit narratiuncula de Galliæ urbe פותייקיירש *Beaucaire* l'Empercurio. Verba ejus hæc ſunt, p. m. 7. edit. opt. Lugdun. Batav. cIↄ. Iↄc. XXXIII. in 8t. ומשם שתי פרסאות ל
לפותייקיירש והיא כרך גדול ויש בו יהודי׳ כמו ארבעים ושם
ישיבה גדולה על ידהרב הגדול רבי אברהם בר רבי דוד ז״צל
רב פעלים חכם גדול בתלמוד ובפסוק ובאי׳ מארץ מרחק
אליו ללמוד תורה ומוצאי׳ מ מנוחה בביתו והוא מלמדם
ומי שאין לו להוציא הוא מוציא להם משלו וממונו לכל
צרתיהם והוא עשיר גדול ושם חכמים רבי י יוסף בר
רבי מנחם ורבי בנבנשת ורבי בנימן ורבנ אברהם ורבי
יצחק בר רבי משה ז״ל id eſt, *Inde duæ paraſangæ ad* Beaucaire *civitatem ampliſſimam: in qua Judæi ferme quadraginta, celebriſqve academia eximio Profeſſore doctore*

 Abra-

vit Constantinus l'Empereur præfatione in Benjaminis Itinerarium, itémqve in Notis, ita comparata sunt, ut habeant, in qvo illi alteri desudent. Certè exstat Isaaci Abrabanielis ingenua confessio, ad comma 14. c. LII. & comm. 3. c. LIII. Esaiæ, eam nunc esse Israëlitarum fortunam ac statum, qvi hominum omnium miserrimos reddat. Nam & contemni ab omnibus, & Viris eximiis ac præstantibus destitui, & ejici ex civitatibus æqvè ac Regnis, adeò, ut inter gentes non habitent, prout pluribus illa idem Clarissimus Vir, Constantinus l'Empereur in Antidoto, qvod ab Abrabanielis in Esaiam expositionem scripsit, p. 69 & 86. exseqvitur. Nec aliter Kimchius, ad c. III. Hoseæ, qvem exscribere nunc qvidem supersedemus.

§. III. Apud

Abrahamô f. Rab. Davidis f. m. hic factis erat celebris & sapientiâ excellebat, cùm in Talmudicis, tum in Scriptura, adeò ut legis addiscendæ caussâ ipsum adirent è longinqvis etiam regionibus atqve in suis ædibus otium ac qvietem nactos instituebat; qvin etiam si cui sumptus non suppeterent, ipse de suo ex facultatibus suis qvibuscunqve opus esset erogabat, utpote ditissimus. Ibidem sapientes alii, Rab. Joseph f. Rab. Menahem, R. Benbenschath, R. Binjamin, R. Abraham, denique Iisaac f. R. Mosis f. m. Ad qvam fabulam, qvæ qvàm fide digna sit nemo non videt, nihil adnotâsse Constantinum l'Empereur ab Oppyck in notis, miror. Notari verò velim hæc Constantini verba è p. 150. notar. *Ceterùm mortis tempus* R. Salomonis Isacidis *evincit, Benjaminem, dum Judæorum Magistros alibiqve in istis civitatibus, qvas describit, commemorat, non tantùm suô tempore viventes recensere, sed eos qvandoqve, qvi obierant.*

Meminit

§. III. Apud Græcos Veteres præ ceteris Amphictyonum consultationes excellunt. Qvos commune Græciæ concilium non abs re Cicero lib. II. de Invent. c. XXIII. appellavit. *Accusatur*, inqvit, *apud Amphictyonas, commune Græciæ concilium.* Annotavit ex Androtionis historia Attica perqvàm luculentus Græcarum rerum Scriptor Pausanias in Phocicis, p. 622. dictos initiò Ἀμφικτίονας per ι, vel Ἀφικτίονας fuisse: eò qvòd τὸ ἐξ ἀρχῆς, ut ipsa ait, παρὰ τῶν περιοικούντων ἀφίκοντο εἰς Δελφοὺς οἱ συνεδρεύσοντες. Ac Ἀμφικτιόνων qvidem vocabulum apud Pindarum etiamnum legi, ex metri ratione solerter, prout solitus est, eli-

cit

Meminit Benjamini hujus Ger. Jo. Vossius, lib. II. de Idololatr. c. LXIV. p. m. 326. b. his verbis: *Qvantoperè in Asia radices egerit insana hæc religio, documento erunt, qvæ in Itinerario suo prodidit Rabbi Benjaminus, qvi ab Abrahamo Zacutho in Juchasin, sive Chronico, vixisse dicitur Annô mundi qvater millesimô nongentesimô nonagesimô tertiô (is à Christi fuerit natali* CIↃ. C. LXXIV.*) ac ab Aria qvidem Montano, viro summo, Latinè redditus; sed beneficiô nobilis, & amicissimi in Leidensium Academia nuper Collegæ mei Constantino* (leg. *Constantini*) *l'Empereur, Hebraicè primùm lucem vidit, ac novâ tralatione & pereruditis illustratus notis fuit.* Meus Benjam. Itiner. Codex olim fuit Ludovici de Dieu, cui his suâ manu eum inscripsit verbis Constantinus l'Empereur: *D. Ludovico de Dieu amico non in multis d. d. author.* Mirum verò Cl. Joh. Höttingero hujus Benjamini non venisse in mentem cùm Geographicos Scriptores recensuit in I. Biblioth. Theolog. c. V. p. 173. nec ego recordor me aliqvid isto in libro de Benjamini Itinerario legisse.

cit atqve demonstrat accerrimus Græcarum literarum vindex, & de me optimè semper meritus, Antecessor meus, Erasmus Schmidius ad Oden x. Pythiorum. Qvi ipse alibi qvoqve ostendit, posteà ab Amphictyone Deucalionis filio, qvi primus Amphictyonum illud concilium certis legibus muniverit, Ἀμφικτύονας, ι in υ mutatô, fuisse appellatos. Qvibus, qvòd in Πύλαις deliberaturi convenissent, Πυλαγορῶν qvoqve nomen obhæsit. Qvæ eædem πύλαι & Θερμόπυλαι, à θερμοῖς λουτροῖς thermis, qvas ibidem repertas Herodotus testatur Polymniâ. Qvâ ratione ipsum etiam concilium πυλαίαν βουλὴν Demosthenes dixit Philippicâ secundâ. De cujus assessoribus, ex qvibus Civitatibus populisqve conscripti iidem fuerint, & qvô pactô factum, ut ipse etiam Lacedæmoniorum Rex Philippus duorum in Synedrio isto calculorum potitus jure sit, placet non aliis, qvàm ipsius ejus, qvem dixi, Clarissimi Viri Erasmi Schmidii verbis, Prolegomenis Pythionicarum, explicare. Sic autem ille ex Strabone, librô VIII. & IX. Pausaniâ, Suidâ, aliis: *Etsi antiqvitus ex duodecim tantùm civitatibus, quæ Delphis vicinæ erant, assessores hujus judicii convenire solebant: tamen posteà ex Amphictyonis sanctione decem Græciæ populi eô jure donati sunt, ut Assessores ad hoc judicium certos mittere singulis liceret; qvi erant Iones, Dolopes, Thessali, Ænienses, Magnetes, Maleenses, Phthiotæ; Dorienses, Phocenses & Locri. Qvod jus etiam perpetuò inde mansit, usqve ad ætatem Pindari, & aliqvamdiu post, usqve ad Philippum Macedonem. Qvi qvùm annô XV. regni sui, circa Olympiadem CVII. bellum Phocicum seu Sacrum com-*

composuisset, & Phocenses atqve Lacædemonios, belli autores, vicisset, imò & τὰς πόλεις occupâsset; non tantùm ingressum patentem in Græciam, unde loco nomen erat, acqvisivit; sed etiam in συνέδριον τῶν πυλαγορῶν sese ingessit, ita qvidem, ut duos in judicio Amphictyonum haberet calculos, qvos scilicet anteà habuerant Phocenses sacrilegi, & horum auxiliatores Lacedæmonii, qvi sub Doriensium nomine comprehendebantur, nunc utriqve extrusi, jure ipsorum in Philippum & ejus posteros collatô: qva de re Demosthenes non semel in Atheniensium ἐκκλησίαις conqvestus fuit: tametsi in Oratione de Pace diversum sensit.

§. IV. Prout autem summè necessariæ magnis Potestatibus sunt publicæ consultationes, qva de re diligenter Politicæ scriptores præcipiunt, in qvibus princeps ex merito suo ponendus Aristoteles, cujus verissimum est scitum illud, Rhetoricorum c. I. τῶν θεῖον τὸν ἄνθρωπον θειότατον εἶναι τὸ βουλεύεσθαι. *rerum humanarum augustissimum esse, consultatione uti*, ad cujus legitimum usum tantoperè Alexandrum suum hortatur ac fingit summus artifex: ita non semper tamen fuisse institutas Romanis, qvoties universus Populus convenisset, ex idoneis auctoribus constat. Nam & ludorum & census caussâ omnis multitudo conveniebat. Id qvod ex Cicerone, lib. II. in Verrem, patet. *Non committam*, inqvit, *ut tùm res judicetur, cùm hac freqventia totius Italiæ Româ discesserit: qvæ convenit uno tempore undiqve comitiorum, ludorum censendiqve caussâ.* Qvin & lustri condendi caussâ populum universum in campo Martio convenisse, Titus Livius, lib. I. c. XLIV. scribit.

ſcribit. Qvem morem ad ſua uſqve tempora duràſſe, Dionyſius ait Halicarnaſſeus, lib. IV. Ac in concionibus qvibuſdam, præſertim nundinarum diebus, freqventiorem populum confluxiſſe, qvàm qvibuſdam comitiis, idem, qvem ſuprà laudavimus, Grucchius demonſtrat. Qvi propterea etiam eruditè oſtendit librorum ſuorum præfatione, COMITIA non fuiſſe, niſi populi tales eſſent conventus, qvi indicti eſſent *ad ferendam de aliqva re per ſuffragia ſententiam.* Itaqve multùm intereſſe inter COMITIA & CONCILIA, ſi accuratè velimus loqvi. Nam & latiùs patere nonnunqvàm nomen Concilii cùm generaliter accipitur, qvàm Comitia. Illud enim uſurpari in concionibus appellandis, & aliis cujuſqve generis hominum conventibus. Interdum autem etiam ejus verbi vim aſtringi ad id modò ſignificandum, ut propriè concilia appellentur, *partis populi conventus ad aliqvid jubendum.* Hoc verò, populi convocationem eſſe, ad aliqvid ſciſcendum. Qvam diſtinctionem cùm pluribus ex Lælio Felice apud A. Gellium lib. XV. c. XXVII. ac Ciceronis locis diverſis probet; tamen rectiſſimè concludit tandem, eam perpetuam non eſſe, ac à Latinis Scriptoribus vix ac ne vix qvidem ſolitam obſervari.

§. V. Privatarum conſultationum tanta vis eſt ac multitudo, ut numerum excedat. Eas enim dico, qvæ per ſingulas civitates ac aliô qvôcumqve, qvàm publicô univerſæ gentis nomine, agitari conſveverunt. Ejus generis apud Judæos fuerunt, qvæ in Synedriis parvis inſtitutæ. Qvod ut appareat, ſummam eorum referam, qvæ prolixè in Miſna, c. I. & apud Ægyptium Maimonidem,

Ha-

Halach. Sanhedrin, c. 1. atqve in Gemara etiam ad codicem Sanhedrin, c. x. itémqve apud Rabbi Bechai in Num. xi. habentur. Qvos ferè in compendium egit Clarissimus Buxtorfius, Abbreviaturâ אב״ר. Item Lexicô Talmudicô, voce סנה״ד. Cujus verba ascribam. סנהדרין קטנה *Synedrium minus residebat in singulis urbibus & locis, ubi centum & viginti cives sive œconomiæ essent, & plures, non autem pauciores, & constabat ex viginti tribus judicibus, qvi minora sui loci negotia dijudicabant. Huic subjunctum erat Judicium triumvirale, constans ex tribus Viris, qvi leviculis dijudicandis præfecti, veluti de debitis pecuniariis, furtis, calumniis, plagis, & similibus.* In Abbreviaturarum libello addit, *fuisse institutum in locis, ubi pauciores qvàm centum viginti* בעלי בתים *patres familias fuerint.* Apud Græcos nobile cumprimis Atheniensium Δικαστήριον fuit, Ἄρειος πάγος *Areopagus.* Cujus Senatus graves oportere fuisse consultationes, iterum Clarissimi Viri, Erasmi Schmidii verbis ostendam, qvæ in Annotationum ad Novum Testamentum grandi ac præclaro volumine Act. xvii. 19. habentur. Ἄρειος πάγος, *δικαστήριον Athenis. Cujus Senatores Areopagitæ. Cooptabantur in horum Senatum non qvilibet, sed genere (propter autoritatem) divitiis (ut spernere possent δωροδοκίαν) vitæqve sanctimoniâ (ut justitiæ magis studerent) clari; initiò numerô novem posteà qvinqvaginta.* De eodem Cicero, ac Stephanus περὶ Πόλεων, voce Ἄρειος πάγος, ex Philochoro, qvem citat; alii. Ceterùm de universis Atheniensium foris, & qvid in consultationem venerit illorum assessoribus, exstat integrum caput apud Julium Pollucem, qvod ipsum

decimum est libri octavi ejus Onomastici. Qvi & alibi, lib. VII. c. VI. talia pertractat.

§. VI. Plura consultationum genera aliis recensentur. Hispaniarum regno VII esse concilia Fridericus Furius lib. de consil. ostendit: QVÆSTORIUM, TOGATUM, MILITARE, FRUMENTARIUM, LEGALE, CRIMINALE, CENSORIUM. In Galliis qvàm multa ac varia fuerint olim, hodiéqve sint, Bodinus, lib. III. de Republ. c. I. docet. Idem, qvi Venetis ex Contareno, Donato & Janoto, qvatuor tribuit Concilia: qvorum primum Marinum, alterum eorum, qvæ in terra geruntur, Decemvirorum tertium, ac qvartum deniqve Septemvirorum. Qvin & Augustum Cæsarem jam natu majorem ad DOMESTICA consilia XX. sibi petiisse Senatores, atqve id Tiberium qvoqve imitatum, ex Dione Cassio, lib. LIII. & LVI. constat. In qvam rem, atqve in universum de Consilio, de Consiliariis ac Consultatione ipsa, qvi aliqvid egregii atqve excocti cupit, legat qvæ Nobilissimus qvondam Juvenis Andreas Rey à Naglowice, Discursu II. de Consultat. inter Bartholomæi Keckermanni Philosophici Cursus Disputationes relata conscripsit.

§. VII. Porrò: à qvibus institui conveniat consultationes, qvæ eorum conditio; qvæ reqvisita, Politici docent. In Ebræorum antiqva Republica זקנים *Seniores* dicti, & שופטים *Judices*, passim in Sacro Codice. Ac Synedrii qvidem magni assessores septuaginta & unum fuisse, constans est Ebræorum traditio. Clarissima verba sunt Misnæ in Masseches Sanhedrin: סנהדרין גדולה היתה של שבעים ואחד & qvæ seqvuntur. Id est; *Syn-*

Synedrium magnum ex LXX. & uno Judicibus constat. Et unde habes illius Synedrii LXXI. fuisse judices? Ex eo, qvod dicitur, (Num. xi. 16.) CONGREGA MIHI LXX. VIROS EX SENIBUS ISRAELIS, *His Moses præfectus est. Ecce LXXI.* Idem Rabbi Moses filius Majemonis Halachâ & ipsâ Sanhedrin in opere luculento, qvod יד חזקה id est, *Manum fortem* inscripsit. Qvem librum cùm ex Bibliotheca Cl. Viri Martini Trostii possideamus, exscribere aliqvammultis licebat huc spectantibus locis, nisi factum id pridem ab eruditissimis Viris esset. Nec facere igitur cum Montacutio, Anal. Exerc. vi. possumus ac Hugone Grotio supra citatô locô, qvi Assessorum Synedrii magni numerum in septuaginta duobus definiunt. Qvales illos oportuisset esse, Gemaræ ista exponunt: *Non cooptatur in Synedrium, nisi qvi sit egregiâ staturâ & sapientiâ, & formâ, senex, magiæ non rudis, callens septuaginta lingvas; ne opus sit per interpretem audire*; prout vertit Johannes Coch, talium, ad miraculum prudens ac extra controversiam doctissimus Vir ad Titul. Sanhedrin p. 18. Qvæ conveniunt iis, qvæ R. Mose Mikozi alibi habet præceptorum affirmativorum xcvii. Qvorum verba saltem ex aliorum interpretatione referam: nam qvæ Sebastianus Münsterus habet, concisa admodùm sunt. Erunt (Synedrii Magni assessores) *à labe corporis mundi, Sapientes, divites: Magiæ periti ut noverint amoliri mala.* Et paullò post; *non constituendus in Synedrio Senex decrepitus, neqve Eunuchus, qvia in illo morositas; neqve ἄτεκνος, qvò sit misericors; neqve Rex Israëlis, qvia vetitum est, cum illo disceptare.* Propositum

ſitum nobis erat qvidem, iſta & reliqva, qvæ ad præſentem rem ex inſtituti noſtri ratione, qvam inter præfandum expoſuimus, pertinent, aliqvantum fuſiùs, & vel ſic tamen etiam breviſſimè ac per ſummas qvaſi lineas perſeqvi; ſed qvia paginarum nos excludit anguſtia, reſervamus illa ad alteram, qvam cum Deo daturi ſumus de Conſultationibus Veterum Diſputationem.

SOLI DEO GLORIA.



INDEX

DICTORUM BIBLICORUM.

XXVIII.

ESR.

XVI.

JO-

INDEX

RERUM ET VERBORUM.

C.

Clau-

D.

Epi-

L.

N.

No-

Pro-

Sab-

S.

V.

Y.

Za-